



NAZIONALE
VITT. EMANUELE
BIBLIOTECA
12
33 B
31

PHILOSOPHIA SCOTI

A prolixitate, & ſubtilitas eius ab obſcuritate libera & vindicata:

SEV

OPVS PHILOSOPHICVM

STVDENTIBVS

Sic attemperatum, vt in illo habeant ad manus Philoſophiæ Scoti integritatem, & profunditatem planam.

AVTHORE


V. P. IOANNE GABRIELE BOYVIN

In Prouincia Franco-Pariſina ſtrictioris Obſeruantiæ Lectore Theologiæ Iubilato.

Et apud FF. Minores Virienſes emerito Profeſſore ex eadem Vrbe oriundo.


TOMVS SECVNDVS.

PRIMA PARS PHYSICÆ.









VENETIIS, M. DC. XC.

Apud Gaſparem de Stortis.

Superiorum Permiſſu, ac Priuilegio.



INDEX GENERALIS

Omnium quæ continentur in hac Physica.

In vniuersam Aristotelis Physicam Præfatiuncula. pag. 17

BREVE ET ACCVRATVM PHYSICÆ PRÆLVDIVM.

1. *QVid importet nomen Physica.* 10
2. *Existentia physica.* ib.
3. *Qui inuentores physica, & quo actu.* ib.
4. *Vtilitas physica.* 11
5. *Ordo physica inter scientias.* ib.
6. *Ordo scientiarum speculatiuarum.* 12
7. *An physica sit propriè scientia.* ib.
8. *An physica sit scientia speculatiua.* 13
9. *An physica sit vna simplex qualitas, &c.* ib.
10. *An subalternetur Physica Metaphysica, & Medicina Physica.* ù4
11. *Obiectum physica.* 15
12. *An ens mobile, aut corpus mobile sit obiectum proximum & adaquatum Physica.* 15
13. *An corpus generabile & corruptibile sit Physica obiectum, &c.* 16
14. *Vtrum ens infinitum & limitatum, aut substantia finita naturalis non sit obiectum physica.* 17
15. *An ens naturale vt naturale sit obiectum adaquatum physica.* ib.

PHILOSOPHIÆ NATVRALIS VNIVERSA DISPVTATIO.

Hæc Physica siue Philosophia Naturalis diuiditur in tres partes vlterius diuidendas per Disputationes, Sectiones, & Capita. Prima agit de corpore naturali in communi spectato: secunda de corpore naturali inanimato; tertia de corpore naturali animato.

PRIMA PARS PHYSICÆ

De corpore Naturali generatim sumpto.

Hæc pars diuiditur in tres Disputationes, de principijs scilicet rerum naturalium, de ipsarum natura, de causis & illarum proprietatibus.

DISPVTATIO PRIMA

De Principijs rerum Naturalium.

Hæc Disputatio distribuitur in tres Sectiones, de principijs rerum Naturalium in genere, de principijs rerum Naturalium in specie, & de toto composito resultante ex illis principijs.

Sectio I. *De principijs rerum Naturalium in genere.* 28
Quæst. I. *Quid sint principia rerum Naturalium.* 29
II. *Quid censuerint veteres Philosophi de principijs.* 22
III. *An Atomi dici debeant prima rerum naturalium principia.* 24
IV. *Quot sint verè principia rerum naturalium.* 28

V. *An*

V. *An principia sint contraria.* 32
Sect. II. *De principiis rerum naturalium in specie.* 33

Hęc Sectio habet tria Capita, quæ sunt de Materia, de Forma, & de Priuatione.

Cap. I. *De Materia.* 34
Quæst. I. *An detur Materia.* ibid.
II. *Quotuplex sit Materia.* 36
III. *Quid sit Materia prima.* 38
IV. *Quanam mens fuerit veterum Philosophorum de Materia prima.* 39
V. *A quo sit Materia prima.* 42
VI. *An Materia prima omnium sit vna vel diuersa.* 44
VII. *Vtrum Materia prima sit pura potentia, vel habeat actum entitatiuum.* 48
VIII. *Vtrum Materia possit existere sine forma.* 53
IX. *Vtrum potentia Materia sit illi essentialis.* 58
X. *Quomodo Materia appetat formas, & quales.* 60
XI. *An Materia prima sit per se cognoscibilis.* 66
XII. *Vtrum Materia sit ingenerabilis & incorruptibilis.* 68
Cap. II. *De Priuatione.* 72
Quæstio. I. *Quid sit priuatio.* 74
II. *An priuatio sit ens reale.* 75
III. *Quotuplex sit priuatio.* 77
IV. *An priuatio sit principium rerum naturalium.* 79
V. Et vltima. *Quænam sint proprietates priuationis.* 82
Cap. III. *De Forma.* 84
Quæst. I. *An detur Forma substantialis.* ibid.
II. *Quid sit forma substantialis.* 87
III. *Quotuplex sit Forma.* 91
IV. *Vtrum formæ substantiales educantur de potentia materiæ.* 93
V. *Vtrum forma possit existere sine materia.* 100
VI. *Vtrum plures formæ substantiales dentur in vna & eadem materia.* 102
Sect. III. *De Composito Naturali.* 108
Quæst. I. *An compositum ex materia & forma sit compositum per se.* ibid.

II. *Vtrum Materia & Forma vniantur seipsis in constitutione totius.* 110
III. *An totum realiter distinguatur à partibus vnitis.* 114
IV. *An totum integrale & totum per accidens distinguantur realiter à suis partibus.* 120
V. *An compositum substantiale includat essentialiter materiam & formam.* 123
VI. *An accidentia subiectentur in composito.* 128

DISPVTATIO II.

De Natura & Causis rerum Naturalium. 134

Hæc subdiuiditur in tres Sectiones, de Natura & Arte; de Causis per se; & de Causis per accidens.

Sectio I. *De Natura & arte.* 134
Quæstio. I. *Quid dicendum sit de Natura.* ibid.
II. *Quid dicendum sit de Arte.* 144
III. *Quid dicendum sit de Violentia.* 150
Sect. II. *De causis per se rerum naturalium.* 154
Cap. I. *De causis in genere.* ib.
Quæst. I. *Quot modis vsurpetur causa.* ibid.
II. *Quid & quotuplex sit causa.* 147
III. *Vtrum duæ causæ totales possint producere eundem effectum.* 161
IV. *Vtrum idem numero effectus possint produci diuisim à duabus causis totalibus* 164
V. *De proprietatibus causæ in communi,* 167
Cap. II *De causis Materiali & Formali.* 177
Quæst. I. *Quid sit causa Materialis, & an influat in compositum naturale.* ibid.
II. *Quid sit causa Formalis, & an influat in effectum.* 179
III. *Quæ sit causalitas materiæ & formæ.* 181
IV. *An locus possit supplere causalitatem causæ materialis & formalis.* 184
Cap. III. *De causa efficiente.* 186
Quæst. I. *Quid & quotuplex sit causa efficiens.* ibid.
II. *In quo consistat causalitas causæ efficientis & quodnam sit principium agendi in efficiente.* 189

III. *De causa prima efficiente vt est creans.* 191
IV. *De causa prima efficiente vt est conseruans.* 200
V. *De causa prima efficiente vt est ad omnes actiones creaturarum concurrens.* 204
VI. *De causa secunda vt principalis est.* 215
VII. *De causa secunda vt instrumentalis est.* 226
VIII. *De causa secunda vt est exemplaris.* 230
Cap. IV. *De causa Finali.* 241
Quæst. vnica: *Quanam dicenda sint de causa finali.* 234
Sectio. III. *De causis per accidens rerum naturalium.* 245
Quæst. I. *Quid sint Casus & Fortuna.* ibid.
II. *Quid dicendum sit de Fato.* 249
III. *Quid dicendum sit de Monstris.* 250

DISPVTATIO III.

De Proprietatibus rerum Naturalium. 254

Hæc diuiditur in sex Capita, quorum primum agit de Quantitate; secundum de Infinito; tertium de loco; quartum de Vacuo; quintum de tempore; & sextum de Motu.

Cap. I. *De quantitate.* ibid.
Quæst. I. *An quantitas realiter distinguatur à substantia.* 255
II. *An in continuo sint Indiuisibilia realia positiua.* 260
III. *An continuum componatur ex Indiuisibilibus.* 263
IV. *Vtrum continuum sit in infinitum diuisibile.* 265
Cap. II. *De Infinito.* 260
Quæst. I. *Quid & quotuplex sit infinitum.* 171
II. *An detur in rerum natura Infinitum actu.* 273
III. *An dari possit in creatis Infinitum actu in essentia.* 275
IV. *Vtrum possit dari Infinitum in magnitudine.* 277
V. *An possit dari Infinitum actu in multitudine.* 279
VI. *An possit dari Infinitum actu in qualitate.* 283

Cap.III. *De Loco.* 287
Quæst.I. *Quid sit Locus.* ibid.
II. *Quotuplex sit Locus.* 290
III. *Vtrum idem corpus possit esse simul in pluribus locis.* 293
IV. *Vtrum duo corpora possint esse in eodem loco.* 302
Cap.IV. *De Vacuo.* 306
Quæst.I. *An detur vel dari possit Vacuum, & qua virtute.* ibid.
II. *Dato quod Deus efficeret Vacuum, possetne motus localis fieri in illo, & qualis.* 314
Cap.V. *De Tempore.* 318
Quæst. I. *Quid & quotuplex sit Duratio in communi.* ibidem.
II. *Quid sit Æternitas.* 320
III. *Quid sit Æuum.* 322
IV. *Quid sit dicendum de Tempore.* 324
Cap.VI. *De Motu.* 334
Sect.I. *De natura Motus in genere.* 335
Quæst.I. *An detur Motus, & quid sit.* ibid.
II. *Quotuplex sit Motus.* 339
III. *An successio sit essentia Motus.* 342
IV. *Ad quæ Prædicamenta detur Motus.* 336
V. *A quo desumatur vnitas Motus.* 347
VI. *Quomodo distinguatur Motus à mouente, mobili & termino ad quem.* 351
VII. *Quomodo distinguantur & opponantur termini Motus.* 353
VIII. *An quod mouetur, ab alio moueatur.* 358
IX. *An grauia & leuia moueantur à seipsis.* 361
X. *An necessaria coniunctio requiratur mouentis cum mobili, vt efficiatur Motus.* 362
A quo moueantur proiecta. 372
Sect.II. *De speciebus Motus in particulari.* 376
Quæst.I. *Quid dicendum sit de Generatione, & Corruptione.* 377
II. *Quid dicendum sit de Augmentatione & Diminutione.* 388
III. *Quid dicendum sit de alteratione.* 397
IV. *Quid dicendum sit de motu locali.* 406
V. *Quid dicendum sit de actione, quæ est communis ad præcedentes quinque Motus.* 410



IN VNIVERSAM ARISTOTELIS PHYSICAM, PRÆFATIVNCVLA.



XPLICATIS in præcedenti codice arduis & spinosis difficultatibus, quæ primas philosophiæ partes concernunt, Logicam videlicet & Metaphysicam, iucundioris materiæ examen suscipimus in præsenti, quæ haud dubiè scholarium mentes ex ruderibus ante dictis fatigatas recreabit, applicando animum ad rerum naturalium contemplationem, de quibus agitur in physica, & ad cognitionem actuum humanorum, quos explicandos aggreditur philpsophia moralis. Quantum ad physicam, sub felicioribus auspicijs haberi non potest, quàm Aristotelis omnium physicorum antesignani, qui sequendo methodum compositionis & non resolutionis procedit à simplicioribus ad composita, & à partibus ad totum, seu à principijs ad compositum. Hanc, inquam methodum Philosophi sequemur in decursu Physicæ, quæ cum habeat corpus naturale pro obiecto, agere primò *debet de* principiis & causis communibus corporis naturalis, & de ipsiusmet affectionibus, *quæ sunt Motus, Quies, Tempus, Locus, & similia, de quibus extabunt octo libri Physicorum. Agemus* secundò de quinque corporibus simplicibus, *nimirum de cœlo & quatuor elementis.* Tertiò de certis quibusdam corporibus mixtis, sed imperfectis, quæ *vocantur* meteora, *vti sunt Gelu,*

Nix, Glacies, Pluuia, Ventus, Cometa, Fulgur, & Tonitru Quartò *denique loquemur* de anima & de eiuſdem ſpeciebus, *nimirum* vegetante, ſentiente, & rationali; *& ſic vniuerſa, Deo dante, abſoluetur phyſica.*

BREVE ET ACCRATVM PHYSICÆ PRÆLVDIVM.



QVi cum ordine aliquam ſcientiam pertractare cupiunt, quædam de ea in genere prælineare ſolent, quod vocant *proœmium*, vbi agitur communiter de ſcientię pertractandę Exiſtentia, Vtilitate, Definitione, & Obiecto ipſius. Ne ergo à ſolito diſcedere videamur, cum breuitate

Dicam *primò Phyſica nomen idem importare ac ſcientiam naturalem*, quandoquidem φύσις græcè, naturam ſignificat latinè: & ſic phyſica ſeu phyſiologia idem eſt ac ſermo ſeu ſcientia de natura, cum phyſica contempletur corpus naturale, eius principia, cauſas & proprietates, vt diximus, & ampliùs videbitur poſtea.

Dicam *ſecundò exiſtentiam phyſicæ notiorem eſſe*, quàm in ea demonſtranda diutiùs immoremur, multa enim cognoſcuntur de natura & rebus naturalibus, puta de cœlis, plantis, arboribus, & elementis, quæ ad phyſicam cognitionem ſeu ſcientiam pertinent. Ariſtoteles in aperiendis phyſicæ ſecretis, cæteros philoſophos longè ſuperauit, præ cęteris autem phyſicæ tractatibus inſtituit octo libros phyſicorum, qui inſcribuntur libri de Naturali Auditu ſeu de Auſcultatione: qui ſic denominati ſunt, quòd maximam attentionem deſiderent; ita quòd per libros de naturali Auſcultatione intelligantur ij, qui ſunt de rebus naturalibus exigentibus auditores valdè attentos, & hoc, quia tales libri difficultates non minimas continent.

Dicam *tertiò inuentorem primarium phyſicæ fuiſſe Deum*, vt teſtatur Scotus *lib. 1. de rerum omnium principio*, vbi docet *Deum eſſe omnis ſcientiæ fontem primarium*

rium, vti diximus de logica. Quoad ſecundarium phyſicę authorem, præſumitur eſſe Thales Mileſius, vnus ex ſeptem Gręcię ſapientibus, vti notat Aug. 8. *de Ciuit.* 2. Phyſicam valdè locupletauit Pythagoras, ſed accuratiori & faciliori ordine eam diſpoſuit Ariſtoteles. Si quæratur autem, per qualem actum intellectus inuenta fuerit phyſica; colligi poteſt ex Ariſtotele 1. Metaph. cap. 2. eam fuiſse inuentam per actum rectum; phyſica enim ſpeculatur ſenſibilia, quæ attinguntur directè à ſenſibus noſtris vndè de facili colligi poteſt, quod phyſica ortum ſuum duxerit ab actu recto intellectus.

Dicam *quartò, negari non poſſe, quin Phyſica ſit maximè perutilis;* quoniam cognitione rerum naturalium intellectus noſter perficitur, & inde eleuatur ad cognitionem Dei, iuxta dictum D. Pauli ad Rom. 1. *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur:* Vnde D. Aug. 8. de Ciuit. 6. perbellè ait, *ex mobilibus ad vnum immobile, ex mutabilibus ad Deum, immutabilem, ex corporeis ad ſupremum incorporeum & ex viſibilibus creatis, ad inuiſibilem creatorem cognoſcendum peruenimus.* Quòd ſi nos arcere videatur Paulus à philoſophię ſtudio 2. Coloſſ. dicens *ne quis vos decipiat per philoſophiam,* quod ipſius inutilitatem oſtendit: reſpondendum eſt Paulum non intelligi de omni philoſophia; ſed de inani & ſophiſticà; vndè addit *& inanem fallaciam.* Deinde, licèt prohiberi poſſit abuſus philoſophiæ; hoc tamen non impedit, quin philoſophia in ſe benè ordinata multùm proſit ad acquiſitionem felicitatis æternę, iuxta dictum Aug. 1. *de Trinit. cap.* 2. dicentis, *verbis & rebus corporeis vtitur ſacra pagina, vt quaſi gradatim ad diuina & ſublimia intellectus noſter aſcendat.*

Dicam *quintò* pro ordine quem tenet *phyſica* inter ſcientias, quòd ſi ſpectetur *ordo naturæ* qui deſumitur ab obiecto, quòd Metaphyſica ſit omnium ſcientiarum prima: quia obiectum eius, quod eſt *ens in communi*, precedit omnia entia particularia, quæ ſunt obiecta aliarum ſcientiarum. Poſt Metaphyſicam ſequitur phyſica, quæ occupatur circa *ſubſtantiam corpoream*. Poſt Phyſicam ſuccedit Moralis, quę *actus humanæ voluntatis* dirigit. Poſt Moralem venit Mathematica, quæ perluſtrat *quantitatem*, quam ſubſtantia pręcedit. Vltimum denique locum tenet Dialectica. quę cum habeatur *per actum reflexum intellectus*, ſupponit alias

scientias quæ per actum directum habentur. Si tamen spectetur *ordo naturæ*, primò logica tradenda est, vt potè necessaria ad alias scientias. Mathematica postea doceri debet ante Physicam, vt inquit Aristoteles *6. Ethic.c.8.* quia *accidentia sunt notiora substantijs*. Physica succedit mathematicę, & addisci debet ante Moralem; quia *actus intellectus pracedunt actiones voluntatis*. Metaphysica demum omnibus scientijs debet postponi *ordine doctrinæ* quia occupatur circa ea quę longissimè distant à sensu, suntque *transcendentia*, & maximè vniuersalia.

Dicam *sextò*, *ordine dignitatis*, *scientias speculatiuas praecedere practicas*, vt inquiunt Aristoteles 1. *Metaph. cap.* 2. & Scotus ibidem, & *quæst.* 4. *Prolog.* Quia scilicet speculatiua est gratia sui, & se ipsa expetitur, practica verò est gratia operis, & vsus; sed nobilius est esse per se, quàm ad aliud ordinari; cum istud dicat dependentiam, illud verò non: ergo scientiæ speculatiuæ ordine dignitatis, & nobilitatis præcedunt practicas. Inter scientias speculatiuas maiorem dignitatem induit Metaphysica, quæ speculatiuas nobilissimum obiectum, nempè *ens in communi*, sub quo comprehenduntur Deus, & substantiæ spirituales. Metaphysicæ *ordine dignitatis* succedit Physica ex Aristotele, & Scoto *6. Met. cap.* 1. vbi dicunt quòd, si nulla foret substantia spiritualis, quæ spectat ad metaphysicam, naturalis philosophia inter scientias inueniretur prima. Mathematica denique vltimum locum tenet inter speculatiuas cum Mathematica agat simpliciter de corpore *quanto*, *trina dimensione constante*, quod est animæ expers; vbi Physica agit de corpore *animato*: & sic maiori pollet dignitate quàm mathematica.

Dicam *septimò physicam esse* verè, & propriè scientiam ex Aristotele 3. *physic. cap.* 4. & aliis locis, vbi scientiam speculatiuam diuidit in physicam, mathematicam, & metaphysicam, Sic etiam Scotus *quæst.* 3. *Vniuers. & in* 3. *dist.* 22. *quæst. vn.* Ratio huius rei est quòd in Physica reperiantur demonstrationes euidentes, ver. gr. *corpus naturale moueri*, quia habet naturam, quæ est principium motus. *Corpus esse diuisibile*, quia est continuum. *Animam esse formam corporis*, quia est principium effectiuum operationum illius; nempè diuisionis, nutritionis, & aliarum actionum. Quòd si corpus naturale dicatur *corruptibile*, & de ente corruptili non possit dari scientia, quæ est cognitio certa

certa rei necessariæ: hoc verum est de quolibet corpore naturali singulariter sumpto, quod reuerà est corruptibile secundùm existentiam; corpus tamen naturale in communi, & secundùm essentiam, seu connexionem prædicati cùm subiecto est summè necessarium.

Dicam *octauo Physicam esse scientiam speculatiuam*, ex Aristotele 6. *Met. cap.* 1. & Scoto *ibidem* & in 3. *dist.* 34. Ob hoc omnes philosophi approbant diuisionem scientiæ speculatiuæ in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam. Ratio communis est, quòd illa scientia reputari debeat *speculatiua*, *quæ manet in contemplatione sui obiecti in qua quiescit*: sed Physica solummodo contemplatur corpus naturale, & eius proprietates: ergo non debet negari, quin sit speculatiua. Quod si physicus aliquando operetur, vt faciunt chymici; hoc est per accidens, & sola speculatio rerum naturalium est finis proximus physicę. Quod si etiam physicus ex cognitione naturalium ducatur ad amorem creatoris, quod est praxim dirigere; hoc adhuc intelligi debet per accidens fieri. Si denique medicina, quam dicunt aliqui *subalternari* Physicæ, sit practica; quia tendit circa curationem ægrotantium: *Respondeti* debet medicinam propriè non subalternari physicę; quandoquidem obiecta formalia harum scientiarum sunt diuersa, cùm physica occupetur circa *corpus naturale* sub ratione *naturalitatis*, quę est *quid speculabile*; vbi medicina respicit corpus naturale sub ratione sanabilitatis, quę est ratio practicabilis à naturalitate distincta.

Dicam *nono*, *Physicam non esse vnam simplicem qualitatem, quæ tota gignatur in prima demonstratione physica quoad intensionem, & postea extendatur ad alias conclusiones*; vt voluerunt Thomistæ, quia ex hoc sequeretur, quòd cognoscens vnam demonstrationem physicam, totam haberet physicam intensiuè, quod videtur absurdum. Physica etiam non est *vna scientia per aggregationem*, cùm sit vna qualitas reposita in prædicamento qualitatis; sed entia per accidens, qualis protunc foret physica, non reponuntur in prędicamento, vt dictum est in logica: ergo physica non est vna per aggregationem. Physica vlteriùs non est tantùm *vna vnitate ordinis*, qualiter domus dicitur vna, & nauis vna vocatur. Quia ea *quæ sunt vnum vnitate ordinis, sunt diuersi generis, & diuersæ speciei*, vt patet in domo & in naui; sed Physica est de genere qualitatis, cùm sit scien-

ſcientia, & de ſpecie habitus; ergo phyſica non eſt vna vnitate ordinis. *Vna* verò debet dici *vnitate generis remoti*, quæ deſumitur ab obiecto; ſcientia enim deſumit ſuam vnitatem extrinſecam ab vnitate obiecti: ſed corpus naturale, circa quod verſatur Phyſica, eſt vnum vnitate generis remoti, quandoquidem corpus naturale in ſe conſideratum habet ſub ſe plura corpora naturalia, quæ genere differunt, puta corpus ſimplex, & corpus mixtum: ergo phyſica eſt vna vnitate generis remoti.

Dicam *decimò*, *phyſicam nec ſubalternari Metaphyſicæ, nec ſibi ſubalternare propriè medicinam*. Prima pars aſſertionis eſt contra Suarez *diſp.* 1. *Metaph. ſect.* 5. *num.* 48. & nonnullos, qui exiſtimant omnes reliquas ſcientias metaphyſicæ ſubalternari. Ratio Scoti in contrarium *quæſt.* 3. *prol.* ſumitur ex hoc, quòd illa ſcientia non ſubalternatur alteri, ſi habeat diſtinctum obiectum eſſentiale ab illa; ſed obiectum formale phyſicæ, quod eſt corpus ſub ratione formali *naturalitatis*, diuerſum eſt ab obiecto formali metaphyſicæ, quod eſt ens ſub ratione *communi* entis: ergo phyſica non ſubalternatur metaphyſicę. Deinde phyſica gaudet principijs proprijs quæ ſunt per ſe euidentia, v. gr. quòd *detur motus*, quòd *compoſitum ex elementis ſit corruptibile*, & ſimilia: proinde phyſica non ſubalternatur metaphyſicæ. Quòd ſi Ariſtoteles 4. *met. cap.* 3. aſſeueret metaphyſicam pręſtare principia cęteris ſcientijs, & illa corroborare; non proinde aliæ ſcientiæ ſub alternantur propriè metaphyſicæ, ſed tantùm impropriè, ob rationem anteriùs allatam, quòd ſcilicet obiecta ſcientiarum inferiorum diſtinguantur formaliter & eſſentialiter ab obiecto metaphyſicæ.

Secunda pars eſt adhuc Scoti *q.* 4. *Prol.* vbi ait medicinam totam eſſe practicam, & *lib.* 6. *Met. quæſt.* 1. docet phyſicam eſſe ſpeculatiuam; ſed ſcientia practica, & effectiua non ſubalternatur propriè ſcientiæ ſpeculatiuæ; quandoquidem ſubalternans, & ſubalternata ſunt eiuſdem rationis: ergo phyſica non ſibi ſubalternat propriè medicinam. Addi poteſt ratio communis ſuperiùs allegata, quòd ſcilicet illæ ſcientiæ non ſibi ſubalterneutur, quę habent obiecta formaliter diuerſa; ſed obiecta phyſicæ, & medicinæ ſunt formaliter diuerſa; quandoquidem phyſica contemplatur eſſentiam, cauſas, paſſiones, & ſpecies corporis naturalis, abſque vllo ordine ad effectionem, vbi medicina fertur ad cor-

pus

pus naturale *vt sanabile*, tenditq; ad effectionem talis *sanabilitatis inducendæ in corpore*: & sic medicina propriè non subalternatur physicę. Quòd si Aristoteles *l. de sensu & sensibili* dicat physicam cognoscere prima principia sanitatis, & infirmitatis tradatque hoc axioma, *vbi incipit medicina, desinit physica*; ex hoc tantùm colligi debet quòd medicina subalternetur impropriè physicæ, non verò propriè: quia licèt physica aperiat primas causas sanitatis, & ægritudinis, de illis tamen non agit, quatenus sunt sanitatis, & infirmitatis capaces; sed quatenus sunt res naturales. Quantùm ergo ad dictum Aristotelis, intelligi debet de medicina *latè* sumpta, quę circa vniuersalia, & cognoscibilia versatur, & protunc coincidit cum physica: si verò sumatur propriè, & strictè, pro ea quę laborat circa singularia, circa exercitium, & experientiam, protunc medicina, quæ est practica, & potiùs ars quàm scientia, non subalternatur physicæ.

Dicam *vndecimò quæstionem de obiecto Physices debere prolixius extendi cæteris*, ob diuersitatem opinionum, quas varij authores habuerunt circa hanc materiam. D. Thomas 1. *physic.* asserit in *proœmio*, & 1. *met.* ens mobile esse obiectum totale physices. *Lib.* autem 1. *de cælo lect.* 1. affirmat corpus mobile esse obiectum illius adæquatum; vndè Thomistarum aliqui stant pro prima opinione, alij pro secunda. Galenus 1. *de elementis simplicibus* existimat corpus generabile, & corruptibile esse physicæ obiectum; quod idem à parte rei sentiunt qui dicunt substantiam sensibilem esse obiectum physiologię. Scotistarum aliqui pro obiecto adęquato phylosophię naturalis in tota sua latitudine consideratę agnoscunt ens finitum naturale, ut Tartaretus 1. *phys. quæst. vn.* Alii hoc reducunt ad substantiam finitam naturalem, vt Trombeta 6. *met. quæst.* 1. Scotus verò 6. *met. quæst.* 1. obnixè sustinet, corpus naturale vt naturale est, esse obiectum formale, & adæquatum totius physicæ. *Naturale* autem non sumitur hic prout opponitur supernaturali, aut violento, aut voluntario, sed prout distinguitur ab *artificiali*: vnde *naturale* dicitur id quod continet in se principium motus, & quietis; vbi *artefactum* est id quod non mouetur nisi per principium extrinsecum.

Dicam *duodecimò*, *nec ens mobile*, *nec corpus mobile esse obiectum proximum*, & *adæquatum physicæ*. Primum est Scoti 6. *met. quæst.* 1. Quia subiectum proximum & ada-

& adęquatum alicuius ſcientiæ debet conſtitui per *genus proximum* & per *differentiam proximam*, aliàs definitio eius eſſet vitioſa, vt diximus agendo in logica de definitione; ſed mobilitas non eſt differentia proxima entis, quandoquidem priùs competit corpori quàm enti: ergo ens mobile non eſt ſubiectum formale & adæquatum phyſicæ. Adde quòd, ſi mobilitas eſſet differentia aut proprietas intrinſeca entis, ſequeretur quòd omne ens foret mobile; hoc tamen eſt falſum, quandoquidem *Deus* eſt ens, attamen eſt immobilis. Secundum colligitur ex eodem Doctore noſtro loco præcitato, quia res aptiùs exprimitur per ſuam differentiam quam per proprietatem; ſed mobilitas eſt tantùm proprietas corporis, vbi *naturalitas eſt ipſius differentia* per quam diſtinguitur ab *artificiato*: ergo corpus mobile non eſt obiectum phyſicæ. Adde quòd ens per accidens non eſt obiectum alicuius ſcientiæ; ſed corpus mobile eſt ens per accidens, conflatum ex corpore, quod eſt ſubſtantia, & ex mobilitate, quæ eſt accidens ipſi proprium; & ſic non poteſt eſſe obiectum phyſicæ. Quòd ſi dicat Ariſtoteles 6. *met.* 1. philoſophiam naturalem occupari circa ens mobile; ens mobile confunditur cum ente naturali & corpus mobile cum corpore naturali; Ariſtoteles enim ſępiùs per *ens mobile* intelligit illud quod eſt compoſitum ex materia & forma: Si idem Ariſtoteles ibidem dicat mobilitatem diſtinguere obiectum phyſicę ab obiectis aliarum ſcientiarum; proindèque ipſum conſtituere phyſicæ obiectum, quandoquidem idem eſt principium conſtitutiuum ac diſtinctiuum: reſponderi debet, per *mobilitatem* diſtingui obiectum phyſicæ ſecundariò ab alijs, ſicuti homo per *riſibilitatem* diſtinguitur ſecundariò à bruto; primariò tamen obiectum phyſicæ ab obiectis aliarum ſcientiarum diſtinguitur per *naturalitatem*.

Dicam *tertiodecimò*, *quod corpus generabile & corruptibile non ſit phyſicæ obiectum, nec proinde ſubſtantia ſenſibilis*, quandoquidem omnis ſenſibilis ſubſtantia eſt quid obnoxium ortui & interitui. Quod corpus generabile & corruptibile non ſit obiectum adæquatum phyſicæ, ex eo patet, quòd cœlum pertineat ad phyſicam; ſed cœlum eſt ſubſtantia perpetua & incorruptibilis: ergo obiectum adæquatum phyſicæ non eſt corpus generabile & corruptibile. Quòd etiam ſubſtantia ſenſibilis non ſit phyſicæ obiectum adæquatum deſumi

po-

poteſt ex eo, quòd multoties diximus *ſcientiæ obiectum debere eſſe quid per ſe vnum*; ſed ſubſtantia ſenſibilis non eſt quid vnum per ſe, cum ſenſibilitas ſit accidens, & ex accidente cum ſubiecto fiat vnum per accidens: ergo etiam ſubſtantia ſenſibilis eſt formale & adæquatum obiectum phyſicæ.

Dicam *quartodecimò*, *ens finitum & limitatum, aut ſubſtantiam finitam naturalem non eſſe obiectum phyſicæ*: Ratio *primi* eſt, quòd ad metaphyſicam pertineat inſpectio *entis finiti*, vt patet ex Ariſtotele, qui 5. *met. text.* 14. diuidit ens finitum in decem categorias: ergo ens finitum non poteſt eſſe obiectum adæquatum phyſicæ, cum vnum & idem non poſſit eſſe obiectum duarum ſcientiarum. Ratio *ſecundi* eſt, quòd ſi ſubſtantia finita naturalis eſſet obiectum phyſicæ, omnia entia quę habent ſubſtantiam naturalem conſiderarentur à phyſica; ſed phyſica non agit de Angelis, qui ſunt ſubſtantiæ naturales: ergo ſubſtantia finita naturalis non eſt adæquatum phyſicæ obiectum.

Dicam *quinto decimò*, *ens naturale vt naturale eſt eſſe obiectum adæquatum phyſicæ*. Sic Scotus 6. *met. quæſt.* 1. & hoc conformiter ad Ariſtotelem, qui 6. *met. cap.* 1. ait ſcientiam naturalem ſpeculari ſubſtantiam corpoream, in qua eſt principium motus & quietis: ſed id quod habet principium motus & quietis eſt corpus naturale: ergo mens philoſophi eſt quod obiectum adæquatum & formale phyſicæ ſit *naturale vt naturale* eſt. Confirmari poteſt aſſertio ex hoc quòd tres conditiones requirantur ad obiectum formale alicuius ſcientiæ, nimirum *quòd de eo præſupponatur quòd ſit*, *quòd habeat paſsiones de eo demonſtrabiles*, & *quòd ad illud reducantur omnia quæ in ſcientia tractantur*; ſed hæc tria competunt corpori naturali: ergo corpus naturale vt naturale eſt, ſeu vt eſt ſubiectum motus & quietis, eſt obiectum formale & adæquatum phyſicæ. Ita quòd corpus naturale ſit obiectum materiale illius, quatenus illi eſt commune ſicuti ad medicinam, *vt naturale* verò eſt obiectum formale phyſicæ, quia per talem formalitatem diſtinguitur ab obiecto medicinæ, quod conſideratur ab ea ſub ratione *ſanabilitatis*.

Quòd corpus naturale habeat primam conditionem obiecti, ex hoc patet, quòd Ariſtoteles 2. *Phyſ. cap.* 1. tradat quidem definitionem corporis naturalis, cuius

cuius existentiam præsupponit, cùm nunquam quæratur *quid sit res*, nisi prȩsupponatur *an sit*. Quòd etiam corpus naturale habeat sec idam conditionem obiecti nempè *proprietates*, hoc est euidens; quia mobilitas, quantitas, locabilitas, finitas, & similes sunt proprietates corporis naturalis, quæ de ipso demonstrantur in physica. Quòd denique *ad corpus naturale reducantur omnia quæ habentur in physica*, quod est tertia conditio obiecti, patet: nam quæ tractantur in initio physicæ sunt principia generalia corporis naturalis, vt materia, forma, efficiens, & natura: quæ postea tractantur sunt ipsius *proprietates*, nempè quantitas, motus, locus, & tempus. Quæ demum tractantur in reliquis physicæ partibus sunt partes *subiectiuæ* seu *species corporis naturalis*, vt cœlum, elementa, meteora, & animæ, quæ sunt formæ corporum naturalium viuentium: & sic ex tribus conditionibus obiecti quæ quadrant corpori naturali sufficienter euincitur, quòd illud sit *obiectum formale, totale, & adæquatum philosophiæ naturalis*.

Obijcies multa haberi in physica quæ non pertinent ad corpus naturale, vt sunt casus, fortuna, Deus intelligentiæ, & vacuum: ergo dici nequit, quòd corpus naturale sit obiectum adȩquatum physicȩ cùm de pluribus agatur in illa quæ non respiciunt corpus naturale: *Respondeo* de prædictis non agi in physica, nisi per accidens: & sic talia reducuntur etiam per accidens ad corpus naturale. Si enim physica agit de *fortuna* & *casu*, hoc ideò fit, quia sunt causæ per accidens, quæ opponuntur causis per se; & causæ respiciunt corpus naturale tanquam suum causatum. Si pariter physica agat de *vacuo*, hoc est, quia *vacuum* consideratur tanquam aliquid pertinens ad locum, qui caret corpore recipiente. Si denique agat de *Deo & Angelis*, hoc est adhuc per accidens, quatenus scilicèt sunt causȩ efficientes motus; Deus enim mouet omnia & Angeli mouent cœlos. Si dicatur vlteriùs, quòd aliȩ scientiȩ naturales agant de entibus naturalibus, & proinde naturalitatem non esse rationem formalem obiecti physicæ; quandoquidem talis formalitas naturalitatis est communis scientijs omnibus. *Respondendum* est, quòd aliȩ scientiæ naturales reuerà agant de rebus naturalibus, sed eas non considerant præcisè *vt naturales* sunt, seu vt sunt subiectum

mo-

motus & quietis : imò hoc præcisè spectat ad physicam, quæ ideò dicitur habere pro obiecto *ens naturale ut naturale* est.

PHILOSOPHIÆ
NATVRALIS
VNIVERSA DISPOSITIO.

ARistoteles, quem in philosophicis sequi meditamur, rerum naturalium explicationem suscipiens pro diuersitate temporum diuersas explicabat materias discipulis; *populares* nimirum tradebat tempore pomeridiano, cuiusmodi erant historiæ animalium; & *auscultatorias* dictabat matutinis horis, & quæ sic nominabantur, vt prædiximus, quia cum magna attentione debeant audiri : & de istis vltimis componuntur octo libri physicorum, qui inscribuntur *de physico auditu*. In illis agitur de principijs corporis naturalis, de natura & arte, de causis, de quantitate; de loco, de continuo, de tempore, & de motu; licèt alio ordine ab aliquibus disponantur hæ materiæ; sed quidquid sit, nil ad nos, quandoquidem physicam nostram per libros distribuere non intendimus, sed per tres partes, vti diuisas fecimus Logicam & Metaphysicam. Quia enim corpus naturale constituitur adæquatum physicæ obiectum ab illo iure possumus diuidere nostram physicam, *in tres nimirum partes*, subdiuidendas in disputationes & capita. Harum prima erit *de corpore naturali in communi spectato*. Secunda aget *de corpore naturali inanimato*, & tertia *de corpore naturali animato*.

PRI-

PRIMA PARS

PHYSICÆ

De Corpore Naturali generatim sumpto.

T cum ordine debito procedamus in explicanda prima parte nostræ Physices quæ est de *Corpore Naturali in se spectato*, congruum erit illam subdiuidere in tres Disputationes. In *prima* agetur de Principijs rerum naturalium. In *secunda* de ipsarum natura & causis. In *tertia* de Proprietatibus, quæ corpori naturali conueniunt.

DISPVTATIO PRIMA,

De Principijs Rerum Naturalium.

Via loqui intendimus de corpore naturali per methodum *Compositionis*, procedentes à partibus ad totum, ideo antequam agamus de corpore naturali *animato vel inanimato*, initium debemus sumere à principiis illius; quod fit in hac Disputatione, quę vlteriùs distribuetur in tres Sectiones; quarum prima erit de *Principijs Corporis Naturalis in genere*: secunda de *Principijs rerum Naturalium in specie*, & tertia *de toto composito ex talibus principijs resultante*.

SECTIO PRIMA.

De Principiis Rerum Naturalium in genere.

PRincipium multipliciter sumitur. *Primò*, pro initio cuiuscumque actionis; sic in motu dantur princi-

pium

pium, medium, & finis. *Secundò*, ſumitur pro eo à quo res incipit, non tanquam à ſui parte, ſed tanquam ab eo à quo incipit prima pars, ſic punctum eſt principium lineæ, licèt non ſit pars illius. *Tertiò* ſumitur pro eo quod eſt cauſa alicuius cum dependentia; ſic Deus eſt principium creaturarum quæ ab illo dependent. *Quartò* ſumitur pro eo quod dat *eſſe* alteri, ſiue dependenter, ſiue independenter; & ſic in diuinis pater eſt *principium* filij, licèt filius non debeat dici ab eo dependere. *Quintò principium* ſumitur pro eo omni vnde aliquid *aut eſt*, *aut fit*, *aut cognoſcitur*; quæ verba indicant tria principia communia, quæ ſunt, vel *compoſitionis*, vel *generationis*, vel *cognitionis*. Innoteſcunt, inquam, principia Compoſitionis quæ ſunt materia & forma per hæc verba *ex quibus res ſunt*. Innoteſcunt principia Generationis, quæ ſunt priuatio, materia, & forma, per ſequentia *ex quibus res fiunt*. Innoteſcunt denique principia Cognitionis, nempè præmiſſæ reſpectu concluſionum per vltimam particulam *ex quibus res cognoſcuntur*. Non ſumus loquuturi hìc de Principijs Compoſitionis præcisè, nec de Principijs Cognitionis, benè autem de Principijs generationis, de quibus generatim ſumptis inſtituitur hæc ſectio explicanda immediatè per quæſtiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſint Principia Rerum Naturalium.

EXiſtentiam principiorum in rebus naturalibus nemo eſt qui negare poſſit; quoniam enim excepto Deo, omnia entia producuntur, & *quidquid producitur ex aliquo principio producitur*, proinde admittenda ſunt prima principia rerum naturalium. Principium autem alicuius rei poteſt eſſe vel intrinſecum, vel extrinſecum; *intrinſecum* erit, ſi intra rem principiatam exiſtat, & ſic lapides ex quibus domus conſtruitur ſunt principia interna illius, ſicut & literæ reſpectu ſyllabarum quas componunt. Principium verò erit *extrinſecum*, ſi ſit extra rem quam principiat: vt patet de architecto, qui eſt principium extrinſecum domus conſtructæ.

CONCLVSIO.

PRincipia sunt quæ nec ex alÿs, nec ex se mutuò, sed ex ÿs omnia fiunt. Sic Aristoteles 1. *Phys. cap.* 1. *tex.* 42. Sic etiam Scotus 9. *Metaph. quæst.* 14. Sic denique omnes Philosophi. Hæc definitio est quidem legitima, quia manifestè declarat *definitum*, non constat tamen proprio genere, nec propria differentia, quandoquidem genus definitionis præcedit aliquo modo definitum, & nihil precedere potest prima principia, quæ aliàs non essent *prima*.

Dicitur primò quòd *principia non fiant ex alÿs*: aliàs non essent *prima* principia; sed potiùs principiata. Dicitur secundò quòd *non fiant ex seipsis*; quia *prima principia* sunt quidem primordia omnis effectionis, ipsa tamen non fiunt; in quo prima principia distinguuntur ab elementis, quæ *ex seipsis* fiunt mutuâ transmutatione: cum ex terra aqua fiat, ex aqua aer, & ex aere ignis. Dicitur tertiò, quod *ex ipsis omnia fiant*; id est, omnia alia corpora naturalia: & per hanc particulam excluduntur res spirituales & accidentia, quæ licèt non fiant ex aliis, nec ex seipsis, non tamen sunt prima principia; quia ex illis nullum corpus naturale efficitur.

Obijcies. Prima principia fiunt *ex alterutris*; quandoquidem forma, quę est vnum principium rerum naturalium, fit ex materia, quæ est aliud principium. Ad hanc obiectionem respondent plures vnum principium posse quidem effici ex alio, in diuerso genere principij nimirum forma ex materia; non verò in eodem genere, principii, ita quòd forma non possit fieri ex alia forma, nec materia ex alia materia, aut priuatio ex alia priuatione, & hoc modo intelligunt hanc particulam definitionis, *quòd principia non fiant ex seipsis*. Sed quia talis responsio videtur contradicere Aristoteli, qui dicit simpliciter *principia non fieri ex seipsis*; vt patet ex eius definitione præcedenti: proinde meliùs est si respondeatur formam non fieri, nec produci ex materia tanquam ex parte componente; tunc enim forma non esset principium primum, sed quid principiatum; benè autem ipsam formam educi ex potentia materiæ, vt dicetur suo loco. Quòd autem *forma non fiat*, habetur ex Aristotele 7. *Metaph. cap.* 8. *text.* 26.

di-

dicente *forma non fit*, nec *generatur*. Quod vlteriùs confirmatur *lib. 8. cap. 3. text. 8.* vbi dicit, *declaratum est quod formam nullus faciat, hoc autem fit, quod ex his id est compositum*. Quo sufficienter ostenditur formam esse purè & simpliciter primum principium; nec eam produci ex alio. Sic etiam Scotus 7. Metaph.

Obiicies 2. Materia & forma componuntur ex genere & differentia, ergo non sunt prima principia, sed principiata. *Respondeo* esse prima principia *Physica*, quia ex illis fiunt omnia corpora naturalia, & ipsa non fiunt ex aliis corporibus naturalibus; hoc tamen non impedit, quin sint principiata metaphysica quia reuerà constante genere & differentia. *Dices*. Causa efficiens & finalis sunt principia compositi, sed ex illis non fit compositum: ergo ex principiis non fiunt omnia. Minor patet ex hoc, quòd ex architecto non fiat domus, nec Medicina ex sanitate. *Respondeo* definitionem allatam competere solis principijs intrinsecis, non verò extrinsecis; causa autem efficiens & finalis sunt principia tantùm extrinseca: & sic illis non debet conuenire definitio præcedens. *Dices*. Cœlum est corpus naturale, quod non agnoscit priuationem pro principio, quoniam materia eius nunquam fuit priuata sua forma. *Respondeo* quòd licèt materia cœli non præcesserit tempore formam illius præcessit tamen natura; & sic, cùm fuerit aliquod instans naturæ, in quo materia cœli præcesserit formam, proinde dici debet, quòd priuatio fuerit etiam vnum ex principiis cœli.

QVÆSTIO II.

Quid senserint Veteres Philosophi de Principijs.

PRiusquam assignetur mens Aristotelis de *numero principiorum*, non iniucundum fortè videbitur, si referantur aliqua de mente Philosophorum qui præcesserunt Aristotelem, & quod ipsemet Philosophus adducit & relicit *cap. 2. lib. 1. Phys.* Pythagorici *primò* rerum omnium principia dicebant esse *numeros*, quod nullo modo sustineri potest; quandoquidem *ea non possunt dici principia, quæ alia supponunt ex quibus resultant*: sed numeri supponunt res numerabiles, quandoquidem numerus resultat ex diuisione rerum: ergo numeri non possunt esse rerum naturalium principia.

Se-

Secundò Parmenides, & Melissus vnicum admittebant principium, quod Parmenides volebat esse *finitum*, Melissus verò contendebat esse *infinitum*: quam opinionem explicans D. Thomas *lib.* 10. *Phys.* dicebat tales philosophos pro suo vnico principio admisisse substantiam essentialiter vniformem, diuersam tantùm in apparentia sensibili, ita quòd, ignis, aqua, & omnia alia corpora essent substantialiter idem, solisque qualitatibus sensibilibus differre; nempè penes calorem, colorem, frigus, leuitatem, raritatem, & similes.

Tertiò Empedocles quatuor existimabat esse principia rerum omnium, nempè *Iouem*, seu ignem, *Iunonem* siue aerem, *Neptunum* seu aquam, & *Plutonem* seu terram. Quod dicere est, *quatuor elementa* esse prima principia omnium entium naturalium; hoc autem sustineri non potest, quandoquidem *principia non componuntur ex alijs*, & elementa constant ex *materia*, *& forma*; vnde, cum ipsamet elementa sint hoc modo principiata, proinde dici nequeunt principia prima absolutè sed tantùm mixtorum, & compositorum principia.

Quartò Anaxagoras pro principijs *infinitas particulas diuersæ rationis* constituebat, ver. gr. particulas ignis, terræ, carnis, ferri, sanguinis, ligni, & reliquarum omnium rerum, quæ permixtæ essent in re qualibet, & constituerent vnicam massam; ex qua massa cum cæteris latitantibus, particulæ ignis vel terrę prodebant *ad extra*, res fiebat ignis, vel terra, vel aliud simile: vnde volebat omnia esse in omnibus, nullamque admitti generationem substantialem; sed ex rebus delitescentibus fieri apparentes tantùm. Volebat, inquam, quodlibet esse in quolibet, puta ignem in ligno, non tamen lignum appellandum esse ignem; quæ denominatio petitur ex prædominanti seu ex magis apparenti: vnde cum ex ligno fiat ignis, de nouo ignis non producitur, sed ex delitescenti incipit apparere; proinde in hac opinione nihil propriè fit, quia pręexistebat; sed incipit prædominari, & magis apparere.

Quintò, Platonici pro principijs Deum, materiam, & ideas constituebant; volentes Deum esse quasi mundianimam, materiam in minimas particulas distribui pro compositione corporum, quæ postea de confusis distincta fiebant iuxta ideas. Thales Milesius pro primo omnium principio constituebat aquam, quæ opinio ortum ducebat ab Ægyptijs, qui cùm pinguedinem, & abun-

abundantiam suæ terræ viderent procedere ex inundatione Nili, vt gratiam referrent aquis pro beneficio ab illis accepto, ideò proclamabant *aquam esse primum principium*. Hoc idem dicebat Diogenes de aere, & Heraclitus de igne.

Sextò Democritus, Epicurus, & alij quidam, omnia ex atomis fieri asserebant; per *atomos* intelligentes quædam corpuscula infinita & indiuisibilia eiusdem generis & naturæ, proportione tamen differentia ex commixtione quorum omnia composita fiebant: sed de hac opinione, quam in hoc sæculo voluerunt resuscitare nouatores aliqui, dicetur expressiùs in sequenti quæstione. Quantùm ad Chymicos, quinque substantias simplices admittunt pro principijs; nempè Salem, Sulphur, Mercurium, Aquam & terram, quia ex mixto quolibet hæc quinque educuntur beneficio ignis: vnde inferunt has quinque substantias in omnibus corporibus mixtis reperiri, & proinde esse quinque principia rerum naturalium, Sed de facili hæc opinio reijci potest in hoc, quòd tales substantiæ, quas simplices vocant, resoluantur vlteriùs per actionem ignis, quod indicat eas esse adhuc compositas, & proinde non esse prima principia rerum naturalium.

QVÆSTIO III.

An Atomi dici debeant prima Rerum Naturalium principia.

PEr *Atomos* Leucippus, Epicurus, & alij cum Democrito intelligebant corpuscula quædam infinita, ex quibus omnia dicebant fieri, prout certo quodam modo congregarentur vel disgregarentur; ita quòd in illorum mente, aqua, ignis, plantæ, arbores, animantia, & cætera genera rerum nihil aliud essent, nisi commixtio quędam talium atomorum. Hanc opinionem à pluribus sæculis sepultam instaurare tentarunt aliqui hisce temporibus, & ideò hanc quęstionem breuiter soluendam voluimus proponere, vt aliquorum curiositati satisfiat.

CONCLVSIO.

ATomi non sunt prima principia rerum naturalium, quidquid pretendat Carthesius. Per *prima* enim *prin-*

cipia rerum naturalium intelliguntur principia generationis & diuersitatis substantialis; quia omnia, vel saltem plurima entia naturalia sunt substantialia,& diuersitatem substantialem habent inter se, vt patet de aqua, igne,arbore,leone,& alijs:sed atomi non sunt principia generationis & diuersitatis substantialis : ergo atomi non debent reputari esse principia rerum naturalium.

Probatur minor. Atomi, iuxta Carthesium, semper manent substantialiter in composito, nec per illarum vnionem aduenit composito aliquid substantiale : ergo per commixtionem atomorum non fit generatio substantialis. Neque etiam resultat ex illis vlla substantialis diuersitas, quandoquidem tales *atomi* manentes in mixto diuersificantur tantùm quoad motum, quietem, situm, & figuram : ergo *atomi* non sunt principia generationis & diuersitatis substantialis; quandoquidem idem substantialiter homo est quiescens vel ambulans; & eadem est cera,dum est rotunda vel angularis.

Probatur 2. *Atomi* sunt corpuscula quædam indiuisibilia in mente aduersariorum;sed non dantur talia corpora indiuisibilia, quoniam omne corpus quantumuis minimum est quantum & diuisibile : ergo non dantur tales Atomi, quæ sint principia rerum naturalium. Si enim tales Atomi sunt indiuisibiles, quomodo possunt constituere composita naturalia, quæ diuisibilia sunt? quomodo etiam possunt habere figuras diuersas,vt contendunt aduersarij, qui volunt illorum corpusculorum alia esse quadrata, alia oblonga, longiora, vel latiora, quæ omnia important extensionem diuisibilem? Adde quòd tales Atomi, seu minima illa corpuscula, debent componi ex quadam materia & forma, quandoquidem sunt quid corporeum:ergo non sunt prima principia.

Probatur 3. per hoc quod talis assertio Atomorum videatur opposita veritatibus Fidei, quandoquidem negat dari accidentia, solosque modos astruit quibus Atomi coniunguntur, vt faciant composita naturalia: si autem reijciantur accidentia, quomodo stabit veritas Eucharistiæ, quæ docet accidentia panis remanere post transsubstantiationem illius in corpus Christi? In eadem sententia Atomistarum nulla datur forma substantialis, quoniam omne compositum nihil est aliud quàm atomorum vnio, quæ est accidentaria, quod est adhuc contra aliam veritatem Fidei, quæ docet *animam rationalem esse formam substantialem corporis humani*.

ni. Quòd si *respondeant* Atomistæ hominem solum esse compositum substantiale constans ex corpore coalescente ex atomis,& ex anima rationali, quæ est forma substantialis illius:cur idem non poterit dici de alijs rebus, præsertim de animatis, eas scilicet constare ex materia & forma, & non ex solis Atomis temerario concursu volitantibus per inane spatium, & casu vnitis ad formanda composita.Si denique talis opinionis fautores astruunt res corporeas non informari per corporeas qualitates ab ipsis distinctas, quomodo admittent cum Catholicis gratiam sanctificantem & virtutes supernaturales,quæ sunt qualitates ab anima distinctæ, illam informante?

Confirmatur vlteriùs conclusio. Principia rerum naturalium talia debent esse, vt ex ipsis omnia naturalia possint fieri, vt patet ex nomine principij, sed ex Atomis seu ex particulis quantitatis per figuras & motum localem variatis non possunt omnia naturalia fieri, quandoquidem rerum naturalium plures habent vitam, cognitionem,& appetitum sensitiuum,vt patet in pecudibus,quæ viuunt,sentiunt,appetunt,discernunt,& percipiunt voluptates & dolos,quæ omnia non possunt esse effectus quantitatis aut localis motus, cum quantitas non sit cognoscitiua aut appetitiua: ergo Atomi non sunt prima principia rerum naturalium.

Hæ & similes rationes, quæ allegari possent in numero non mediocri; sufficienter probant reijciendam esse opinionem Atomistarum, quæ eadem est cum opinione Epicuri ab omnibus Ecclesię Doctoribus explosa,& prçsertim ab Aug. qui in *Psal.* 73. Epicurum vocat *delirum phylosophum*; & *Epist.* 56. opinionem illius de corpusculis redarguit vt *portentum quoddam*. Si enim aliquis pertinacia hanc sententiam retinere vellet, timerem valde ne *cum Saduceis substantias spirituales negaret*, existimando omnia esse corpora: eò enim dementiæ deuenerunt aliàs Epicurus, Democritus & Lucretius, vt Deos ipsos esse corporeos dicerent, ex atomis compositos,mundumque non esse à Deo conditum, nec dispositum per aliquam intelligentiam supremi ordinis: sed omnia fieri temerario concursu atomorum per inane spatium volitantium: vnde talis somniosa opinio à sapientibus Philosophis fuit proscripta, vt inepta,& rudis; à Catholicis verò omnibus damnata, vt à fide prorsus discedens & à Christianis veritatibus aliena.

QVÆSTIO IV.

Quot sint verè Principia Rerum Naturalium?

REiectis veterum opinionibus circa principia rerum naturalium, nunc videndum est quid in rei veritate sentiendum sit de illorum numero; sed antea sciendum est principium, causam, & elementum in hoc differre, quòd principium latiùs pateat causâ, & causa elemento; omnis enim causa est principium, & omne elementum est causa, non tamen omne principium est causa, nec omnis causa est elementum. *Principium* dicit simplicem processionem vnius ab alio, siue tanquam à termino, siue tanquam à producente cum dependentia, siue tanquam à producente sine dependentia. *Causa* dicit productionem vnius ab alio cum dependentia, in quocumque genere causæ producatur effectus. *Elementum* denique dicit productionem vnius ab alio per modum partis materialis intrinsecè componentis mixtum. Quia causa dicit *dependentiam* effectus à producente, ideò in creatis pater dicitur causa filij, qui à patre dependet. Quia verò *principium non dicit semper dependentiam*: sed aliquando simplicem productionem inuoluit vnius ab alio; ideò *in diuinis Pater est quidem principium filij, non verò causa* cum à Patre non dependeat filius. Hic non loquimur de numero causarum, aut elementorum de quibus suo loco agetur; sed tantùm de principiorum numero; quærentes, quot sint principia rerum naturalium, tum compositionis seu in facto esse, tum generationis seu in fieri.

CONCLVSIO PRIMA.

TRia sunt principia interna generationis in fieri, quæ sunt Materia, forma & priuatio. Sic Aristoteles 1. *Physic. cap.* 6. & 7. & 12. *Met. text.* 12. Sic etiam Scotus *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. Hoc non impedit tamen, quin sint alia principia externa generationis, nempè causa finalis, efficiens, & exemplaris. *Principia intrinseca sunt ea, quæ intrinsecè & formaliter exiguntur ad esse vel fieri alicuius compositi*; vt materia & forma, quæ requiruntur ad esse compositi cuiuslibet: & priuatio, quæ intrinsecè supponitur ad fieri illius. *Principia*

ex-

extrinseca ea sunt, quæ non requiruntur nisi extrinsecè ad effectionem compositi; vt causa efficiens & finalis, quæ ideo dicuntur principia extrinseca, quia sunt extra compositum. Principia *intrinseca* subdiuiduntur in principia *Generationis* quæ dicuntur in fieri, & in *principia compositionis* quæ dicuntur in facto esse. *Principia generationis* sunt ea, quæ requiruntur ad generationem totius, vnde dicuntur *in fieri*; & inter ea censetur esse priuatio, vt dicemus. *Principia compositionis* ea sunt quæ ita requiruntur ad existentiam compositi, vt in illo facto remaneant actu; & hæc sunt *materia & forma*.

Probatur conclusio. Tot sunt principia interna generationis in fieri, quot sunt ea sine quibus non potest explicari generatio; sed sine tribus principijs prællegatis explicari non potest generatio, nimirum sine materia, forma, & priuatione: ergo sunt tria principia generationis in fieri. *Probatur minor*; generatio naturalis est mutatio seu transitus à non esse tale ad esse tale; sed illa mutatio seu transitus non potest intelligi sine eo quod transit, & est *materia*; sine termino à quo transit, & est *priuatio*: & sine eo ad quod transit, & est *forma*. Exemplificari potest per generationem ignis, qui ex ligno producitur: & transit à non esse ignis ad esse ignem. Illud quod transit est *materia*, quæ antea erat sub forma ligni & postea induit formam ignis: terminus à quo transit est *non esse ignis*, seu ignis priuatio; & id ad quod transit materia est *forma ignis*, quam induit de nouo: & sic non potest fieri generatio nec intelligi sine materia, forma, & priuatione, quæ sunt principia generationis seu rerum naturalium *in fieri*.

Objicies. Priuatio est non ens; sed non ens non potest esse principium entis: ergo priuatio non est principium generationis entium naturalium. *Respondeo* distinguendo minorem; non ens non potest esse principium entis, principium *constitutiuum*, concedo, generatio enim non constituitur priuatione: principium *terminatiuum*, nego: à priuatione enim incipit generatio, tanquam à termino *à quo*. Hoc est quod alij dicunt ad eandem minorem, non ens non posse esse principium entis per modum partis componentis, benè autem per modum termini à quo procedit generatio. *Si dicatur* priuationem non principiare generationem, quia priuatio non est pro eo instanti quo aliquid generatur; ex hoc sequitur tantùm quòd priuatio non prin-

cipiet per modum partis constituentis genitum ; bene autem per modum termini directi , à quo *genitum* procedit .

Obijcies 2. agens seu generans est principium generationis , quia sine generante non potest intelligi generatio : ergo sunt quatuor principia generationis. *Respondeo* agens esse quidem principium externum generationis , non verò principium internum ; hic autem loquimur tantùm de internis , quæ tria solùm diximus esse . Si quis instet *dicens* , generans non minùs esse intrinsecum generationi , quàm priuationem : *Respondendum* erit generationem sumi dupliciter , vel vt est actio à generante proficiscens, & tunc non potest intelligi sine generante ; vel vt est transitus ab *esse* ad *non esse* , & tunc potest concipi generatio sine generante , modò concipiantur materia , forma , & priuatio : hic autem sumitur generatio hoc secundo modo ; & sic agens seu generans aut causa efficiens non est principium internum generationis . Si *dicatur* , quòd priuatio sit etiam principium extrinsecum, quandoquidem principiat tãtùm per modum termini exclusi. *Resp.* priuationem esse quidem extrinsecam genito , non tamen generationi ; quæ, cum sit *transitus*, intelligi non potest sine termino à quo, qui est priuatio , sine termino *ad quem* , qui est *forma*, & sine obiecto *transeunte*, quod est *materia* .

Obijcies priuationem ex Aristotele esse tantùm principium per accidens . *Resp.* esse principium per accidens generationis *in facto esse* , principium verò per se generationis *in fieri* . Si *dicat* philosophus principia semper manere; loquitur ad huc de principijs compositionis seu *in facto esse* , non verò de principijs generationis seu *in fieri* . Quòd si *dicatur* cœlum nunquam habuisse priuationem, quæ proinde non est principium omnium . *Resp.* cœlum reuerà non habuisse actu priuationem suæ formæ, benè autem habuisse aptitudinaliter ; quia materia prima cœli potuit priuari cœlesti forma . Si quis hoc neget , dicendo cœlum esse incorruptibile , nec proinde posse priuari forma : hoc verum est quantùm ad causam naturalem : potest tamen absolutè corrumpi ab agente supernaturali , nempe à Deo , qui materiam cœli potuit ponere sub alia forma , & illi dare postea formam cœli, respectu cuius habuisset priuationem .

CONCLVSIO SECVNDA.

DVo *sunt tantùm principia compositionis , seu generationis in facto esse , nempe materia & forma* . Si: Aristoteles 1.*phys. cap. 7.* & Scotus *loco pracitato* . Ratio est hæc, quòd tot sint principia compositionis & rei *in facto esse* , quot sunt ea quæ remaneut in subiecto post factam generationem ; sed materia tantùm & forma remanent post generationem, priuatio autem desinit in materia statim ac accidit forma : ergo sunt tantùm duo principia rerum naturalium *in facto esse* , quæ dicuntur principia compositionis,quia sunt partes constituentes compositum in quo remanent . Quòd autem priuatio non sit principium rei *in facto esse* , ex hoc patet ,quòd eo instanti quo materia ligni recipit formam ignis in ligno,cesset ignis priuatio;& sic,cum solùm remaneant in composito materia & forma , proinde sunt tantùm duo principia compositionis.

Obijcies . *Principium est prius principiato* ; sed forma non est prior generatione , imò per generationem producitur : ergo forma non est principium generationis aut compositionis , *Resp.* generationem non sumi pro productione formæ substantialis , sed pro totius compositi productione ; & sic forma est prior composito & generatione compositi . Quòd si forma dicatur terminus generationis, & proinde videatur generari : Respondeo , formam dici terminum generationis minus præcipuum , quia priùs debet produci quàm compositum;præcipuus tamen terminus generationis est ipsum compositum,quod vocatur terminus *qui*,id est, terminus qui simpliciter producitur ; vbi forma vocatur terminus *quo*,quoniam est id, mediante quo , generatur compositum .

Quæres , an nomen principij conueniat vniuocè materiæ,formæ, & priuationi . Non desunt qui affirmatiuè respondeant etiam ex Scotistis.Poncius noster existimat principium esse tribus præmemoratis analogum . Communiter tamen responderi debet quòd nomen principii conueniat vniuocè materię & formæ , æquiuocè verò priuationi . Ratio *primi* est , quòd per principia intelligantur entia realia positiua , quæ realiter influunt in compositum , ipsumq; constituunt ; sed materia & forma sunt talia entia constituentia intrin-

fecè & realiter quodcumque compositum : ergo nomen principij conuenit vniuocè materiæ & formæ. Ratio *secundi* ex hoc sumitur, quòd *enti & non enti nihil sit commune vniuocum*; sed materiam & forma sunt entia realia positiua, quæ constituunt compositum intrinsecè; priuatio autem est non ens ex 1.*phys. text.* 75. ergo priuatio non conuenit vniuocè in ratione principij cum materia & forma: vnde Aristoteles ibidem & tex. 66. asserit, priuationem esse principium per accidens.

QVÆSTIO V.

An Principia sint Contraria.

CONTRARIETAS duobus modis sumitur, propriè scilicet, & impropriè. *Contrarietas propria* est *repugnantia, duarum formarum mutuò se se expellentium à subiecto*, & hæc solis primis qualitatibus conuenit, siccitati & humiditati, vel frigiditati & caliditati. *Contrarietas impropria* est *oppositio rerum quæ habent rationes oppositas & repugnantes, licèt mutuo non se expellent ab eodem subiecto*, & hæc reperitur inter duas formas substantiales vltimas, vt inter formam equi & hominis vel inter duas differentias quæ diuidunt idem genus, vel inter rationale & irrationale; vel denique inter formam & priuationem eius.

CONCLVSIO.

PRINCIPIA *rei genitæ non sunt contraria, aliqua tamen principia generationis sunt contraria; non quidem propriè, sed latè.* Probatur prima pars, quia materia & forma sunt principium rei genitę; sed materia & forma non habent rationes oppositas, quandoquidem reperiuntur *simul*, & materia est receptaculum formæ: ergo principia rei genitæ non sunt contraria. Quando ergo dicit Aristoteles, *quòd principia rerum naturalium sint contraria*; hæc propositio est indefinita, non vniuersalis; quandoquidem non intelligitur de omnibus principijs.

Probatur secunda pars, *quod aliqua generationis principia sint contraria*, nempè forma & priuatio, quia illa sibi inuicem contrariantur, quæ in eodem subiecto nequeunt simul esse; sed in eadem materia non possunt

esse

esse forma & priuatio formæ, quandoquidem forma simul esset, & non esset, & eadem materia esset simul informata & non informata: ergo aliqua principia generationis sunt contraria, quandoquidem priuatio recedit à materia, eo instanti quo forma accedit. Adde quod terminus *à quo*, & terminus *ad quem* mutationis sint contrarij, vt patet in motu locali, in quo terminus *à quo* & terminus *ad quem* opponuntur; sed terminus *à quo generationis* est priuatio, & terminus *ad quem*, saltem incompletus est forma: ergo *aliqua principia sunt contraria generationis*.

Tertia pars ex eo colligitur, quòd vera & propria cõtrarietas reperiatur tantùm inter ea quæ se mutuò expellũt à subiecto; sed, licèt forma à subiecto expellat priuationẽ, priuatio tamen non expellit positiuè formam, quia non est ens positiuum: ergo cõtrarietas quæ reperitur inter principia generationis non est stricta & propria, sed tantùm impropria & lata, quæ idem est ac oppositio & incompatibilitas.

Obijcies contra *tertiam partem*, principia sunt contraria primà contrarietate, vt ait Aristoteles, 1. *Phys. cap.* 5. *text.* 42. sed prima contrarietas est contrarietas propria & stricta, quia *quod est in aliquo genere primum est regula & mensura aliorum*: ergo contrarietas quæ reperitur inter principia prima est propria & stricta iuxta Philosophum. *Resp.* contrarietatem quæ est inter principia, ideò dici *primam*, quia non repetitur ex alijs qualitatibus quę sibi opponantur, sed petitur ex natura ipsa principiorum, nempè priuationis formæ, quæ ex natura sua opponitur: cum enim sint omnium entium *prima*, proinde illorum contrarietas est etiam *prima* omnium contrarietatum, licèt non sit vera & propria contrarietas, quæ reperitur tantùm inter qualitates.

SECTIO II.

De Principijs Rerum Naturalium in specie.

EXplicatis concernentibus naturam principiorum in genere, quæ tria esse diximus, nimirum materiam, formam, & priuationem; *ordo doctrinæ* postulat, vt in hac Sectione descendamus ad examen horum principiorum in particulari, & hoc per tria Capita, quæ erunt de Materia, de Forma, & de Priuatione.

CAPVT PRIMVM.

De Materia.

CVm materia sit primum ex principiis positiuè constituentibus compositum naturale, huius sectionis Caput primum debet esse de materia. Non quidem de materia artificiali, quale est lignum ex qua fit imago; nec de materia Metaphysica, quæ est pars compositi Metaphysici, & quæ idem est ac genus, quod ideò vocatur materia, quia determinatur per differentiam, sicut materia per formam: sed de *materia Physica, & Naturali*, quæ est pars compositi Physici, quale est corpus in homine, quod est materia ipsius hominis, ex qua componitur homo, ipsi aduenieute anima rationali, quæ est forma substantialis eiusdem. De tali, inquam, materia nobis agendum est hoc loco, & in Disputatione sequenti agemus de artificiali materia, loquentes de natura, & arte.

QVÆSTIO PRIMA.

An detur Materia.

MAteria, pro diuersis muneribus quibus fungitur, varias sortitur appellationes, metaphoricas, & proprias. Quantùm ad titulos metaphoricos quibus insignitur materia, hi præsertim reperiuntur apud Authores, à quibus primò vocatur *mater*; quia ex potentia materiæ, tanquam ex vtero matris, omnes formæ naturales educuntur. 2. Vocatur *fœmina*, quia sicut fœmina cum viro concurrit ad procreandam prolem, sic materia ab agente naturali recipiens formas concurrit ad generationem compositi. 3. Vocatur *turpis*, quia caret perfectionibus formarum, quæ pulchræ, & speciosæ vocantur. 4. Dicitur *hospes*, quia ab ea tanquam ab hospitio recipiuntur formæ. 5. Appellatur *sylua*, quia sicuti in sylua continentur potentialiter formæ artificiales, sic in potentia materiæ virtualiter includuntur omnes formæ naturales. 6. Dicitur *chaos*, quia sicuti Poetæ finxerunt omnia fuisse in chao, sic omnes formæ, & priuationes continentur in Materia. Quantû ad nomina propria materię, habentur in prænotatione quæstionis sequentis.

CONCLVSIO.

D*Ari materiam constat apud omnes Philosophos*. Quia in omni mutatione datur aliquid, quod modò est sub termino à quo, & modò est sub termino ad quem; sed illud est materia, quæ primò est sub priuatione formæ introducendæ, tanquam sub termino *à quo*, & postea est sub illa forma introducta, tanquam sub termino *ad quem*: ergo datur materia. *Deinde*, dum ignis producit ignem in ligno, vel producit ignem secundùm se totum, id est, secundum materiam, & formam, vel producit ignem tantum secundùm aliquam sui partem, nempè secundum formam; sed non producit ignem secundùm se totum, aliàs ignis productus crearetur, quoniam creari est ita produci secundùm se totum, vt nihil materię aut formæ processerit: ergo ignis ille producitur tantum secundùm formam substantialem ignis, & materia prima quæ erat sub forma ligni est adhuc sub forma ignis; ergo datur materia prima. *Tandem* datur materia secunda, quæ est affecta certis quibusdam accidentibus seu dispositionibus præuijs ad formam recipiendam; sed talis materia secunda præsupponit materiam primam, quæ sine illis dispositionibus pręcessit: ergo *constat dari materiam primam*. Sicut enim ars præexigit materiam ad sua artificia conficienda; sic etiam natura, quæ nihil operatur ex nihilo: præsupponit materiam ad generationem suorum entium naturalium.

Quòd natura ex nihilo nihil possit producere; ita commune est apud Philosophos, vt inter illos commune sit istud axioma ab Aristotele traditum sexcentis in locis, & præsertim 1. *Phys. cap.* 23. & 24. 1. *de Gener. cap.* 11. *&* 12. *&* 11. *Metaph. cap.* 4. *ex nihilo nihil fit*: vnde quidam, ne cogerentur admittere aliquid fieri ex nihilo, putabant Deum ex sua substantia omnia produxisse. Anaxagoras statuebat æternum chaos, in quo omnia erant confusè immixta; seu, vt ait Philosophus, *quodlibet* erat *in quolibet*. Democritus, & Epicuruss contendebant omnia fieri ex Atomis, &ab æterno res moueri confusè, casuque, & fortuitò generari. Alii denique materiam dicebant esse *improductam*, *& ingenitam*, ex ipsaque omnia produci. Hęc autem omnia denotant, semper fuisse compertum apud Philosophos, *ex nihilo nihil fieri*, & proinde debet astrui

existentia materiæ primæ, quæ præsupponitur ad omnes formas, & ex qua omnia composita naturalia eruuntur virtute agentium naturalium.

Obijcies. *Non ens non datur*; sed materia est non ens ex Aristotele: ergo non datur materia. *Resp.* ad minorem; materia est non ens, completum & perfectum, concedo; quia non habet formam: est non ens incompletum, nego. *Dices*, quod caret forma nihil est, quia *forma dat esse rei*; sed materia caret forma, vnde vocatur *chaos*, *confusa*, & *informis*; ergo materia non existit. *Resp.* distinguendo maiorem: quod caret forma, nihil est; si careat omni formâ, tum Physica, tum Metaphysica, concedo: si careat tantùm forma Physica, & habeat formam Metaphysicam, nego. Ad minorem, sed materia caret forma; physica, concedo: Metaphysica, nego: nam materia prima independenter à forma physica habet existentiam, quæ est forma Metaphysica, seu actus metaphysicus. *Dices*. Materia non reponitur in vllo prædicamentorum, quandoquidem *non est quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur 7. Metaph. cap. 3.* Ergo materia non existit; aliàs vel esset Deus, vel reponeretur in prædicamentis, in quæ distribuitur ens infinitum. *Resp.* Materiam primam reponi reuerà in prędicamento substantiæ, non quidem *per se*, quia sola entia completa reponuntur in tali prædicamento; sed *reductiuè*, ratione compositi quod constituitur tanquam pars essentialis.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit Materia.

NOmina quę propriè adaptari possunt materiæ sunt sequentia. Primò, vocatur *Massa* apud Aristotelem *1. Phys. text. 65.* quia ex ea in varias portiones distributa diuersa generantur composita. 2. Dicitur *Origo* ex eodem Aristotele: quia ex materia eradicantur per generationem cuncta naturalia. 3. Vocatur *Elementum 12. Metaph. 4.* quia ex materia componuntur omnia naturalia & in eam resoluuntur. 4. Vocatur *subiectum*, quia in materia subiectantur omnes formæ, sicut accidentia recipiuntur in subiecto *1. Phys. text. 82.* 5. Vocatur *hyle 1. Phys. 56.* quia recipit formas, eas appetit, estq; propè nihil. 6. Denique vocatur *Materia*, quia ex ea fiunt omnia materialia.

CON-

CONCLVSIO.

Materia diuiditur multipliciter. Primò, in materiam in qua, ex qua, & circa quam. Materia *ex qua* ea est, & qua fit aliquid; vt imago ex marmore: Materia *in qua* est subiectum, ex quo forma educitur; vt silex respectu ignis, qui eruitur ex eo. Materia *circa quam* est obiectum, circa quod occupatur habitus, vel potentia: sic corpus naturale est materia circa quam oculi versantur.

Secundò, materia diuiditur in transeuntem & immanentem; at inquit Doctor in 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. Materia *transiens* est ea, ex qua desinente fit aliud; sic ex aere fit ignis, ex igne fit aqua, & ex aqua fit terra. Materia *immanens est ea*, ex qua remanente fit aliquid; & sic ferrum est materia immanens gladij. Quòd si res fiat immediatè ex materia, talis dicitur materia *proxima*; si verò fiat tantùm mediatè, dicitur materia *remota*: vt quando dicitur circulum fieri ex ære, quia factus est per instrumentum æreum.

Tertiò materia, vt dictum est in annotatione quæstionis antecedentis, diuiditur in *artificialem*, ex qua componitur aliquod artificiatum; & in *naturalem*, ex qua constituitur compositum naturale. Diuiditur etiam in materiam Physicam: quæ est subiectum formarum, de qua nunc agimus: & in materiam Metaphysicam, quæ est genus, cuius differentia est forma.

Quartò denique materia Physica diuiditur in materiam primam & secundam. *Materia prima* est materia secundùm se considerata, prout nullam ex se habet formam; sed indifferens est & in potentia ad omnes. *Materia secunda* dicitur, quatenus est affecta certis quibusdam accidentibus & dispositionibus præuijs, per quas peculiariter ordinatur ad vnam formam: sic corpus humanum in ventre matris organisatum est *materia secunda* respectu animæ rationalis, quia habet certas dispositiones ad hanc formam recipiendam, & non ad quamcumque aliam. In hoc capite agimus, non de *materia secunda*, quia est quid principiatum ex materia prima & quibusdam accidentibus; sed loquimur de *materia prima*, quæ est principium primum cuiuscumque corporis naturalis.

QVÆSTIO III.

Quid sit Materia Prima.

ALiquid potest definiri dupliciter, nimirum per *affirmationem*, dum illius naturam explicamus per aliquid positiuum ipsi intrinsecè conueniens, dicendo quid sit; & per *negationem*, negando scilicet quidquid illi non competit, & dicendo quid non sit. Definitio negatiua fit, vel propter summam rei perfectionem, vel propter summam rei exiguitatem; sic, cum Deus sit summè perfectus, & mentem nostram longè exuberet, ipsum definimus per negationem; dicendo potiùs, quid non sit Deus, quam quid sit, vt cum D. Dionysio loquamur. Materia prima ex opposito tantæ est exiguitatis, & entitatis tam paruæ, vt intellectum nostrum penè effugiat, cum ex Aristotele sit *prope nihil*; ideò ipsam definimus negatiuè, dicendo potiùs *quid non sit* quàm positiuè dicendo *quid sit*.

CONCLVSIO.

MAteria prima *negatiuè* definitur ab Aristotele 7. Metaph. cap. 3. *Materia non est quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid eorum quibus ens determinatur, sed horum omnium est commune subiectum*: Quod dicere est materiam primam non esse substantiam cumpletam, nec formam, nec quantitatem, nec qualitatem, nec aliam formam accidentariam, siue absolutam, siue relatiuam; sed esse horum omnium subiectum, quandoquidem illis omnibus informatur. *Positiuè* verò sic definitur ab eodem Aristotele 1. Phys. cap. 9. textu 82. *Materia est subiectum primum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit, & non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abit vltimum.*

Explicatur hæc vltima definitio per particulas. Primò, dicitur *subiectum*: per quod distinguitur à forma, quæ in subiecto recipitur, tanquam perficiens in suo perfectibili. Dicitur 2. *primum*; per quam particulam differt à materia secunda, quæ est subiectum secundum formæ substantialis, vbi materia prima est subiectum primum accidentium, seu dispositionum quæ requiruntur in materia, vt recipiat formas substantiales.

Dici-

Dicitur 3. *vniuscuiusque*; id est, vniuscuiusque formæ substantialis; quandoquidem omnes formæ possunt recipi in materia prima. Additur, *ex quo fit aliquid*, id est, compositum. Adiungitur, *cùm insit*; per quod distinguitur materia à priuatione, quæ non remanet in composito, sed recedit adueniente forma. Subditur, *& non secundum accidens*, quia ex materia, & forma fit *vnum per se*: in quo distinguitur materia physica à materia artificiali, quæ respectu artificiati facit vnum per accidens. Apponitur denique, *& si corrumpitur aliquid, in hoc abit vltimum*; quod indicat omnia composita, quando corrumpuntur, resolui in materiam primam, quæ sicut est ingenerabilis, sic etiam est incorruptibilis.

Obijcies materiam primam non posse definiri, quia ex Scoto in 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. ens definibile debet esse ens reale, positiuum, per se, compositum, & vniuersale; quæ dici non possunt de materia prima, quę nec est quid, aut quantum, aut quale, aut aliquid eorum quibus ens determinatur. *Resp.* Scotum, & Aristotelem hoc dicentes loqui de definitione rigorosè sumpta, quæ reuerà competit tantum illis entibus, quæ habent conditiones præallatas; hoc tamen non impedit, quin materia prima possit explicari *latè* per definitionem præcedentem: ita quod *subiectum* teneat locum generis, in quo conueniunt materia prima, & materia secunda, quæ ambę sunt subiectum formarum, & reliquę particulę tenent locum differentię. Quòd si *dicatur* materiam esse quid absolutum, quæ proinde non potest definiri per respectum ad formas, vti est præfata definitio: *Resp.* absolutum totale, & completum non posse quidem definiri per relationem, quia ens absolutum definiri debet absolutè; absolutum tamen partiale & incompletum definiri potest per ordinem ad aliud, vt patet de anima rationali, quæ in sua entitate absoluta est, definitur tamen per respectum ad corpus, dicendo, quòd anima sit actus corporis organici.

QVÆSTIO IV.

Quænam fuerit mens veterum Philosophorum de Materia Prima.

NOn fuerunt inter veteres qui negarent existentiam materiæ primę, vt vidimus post conclusionem pri-

mæ quæstionis; natura tamen & quidditas illius eorum multos sane latuit: cum Hesiodus existimauerit terram esse rerum omnium materiam, ex qua cuncta entia naturalia formantur: Sed talis opinio non est verisimilis, quia cum terra sit valde densa & sicca non videtur apta ad facilem receptionem formarum & figurarum, qualis debet esse materia prima. Adde quòd terra ipsa constet ex materia & forma; & sic non potest esse materia aliorum. Quòd si *dicatur* omnia in terram resolui, tum hominem, tum cætera animantia, potest colligi ex Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuerteris in terram, de qua sumptus es.* Responderi debet, talem resolutionem non esse vltimam, cùm terra ipsa resolui debeat in materiam primam.

Thales Milesius pro materia prima & primo principio rerum naturalium constituebat aquam, vt ait Aug. 8. *de Ciuit. cap.* 2. Sed ista pariter opinio refutatur per hoc, quòd aqua præsupponat materiam tanquam eius partem, cum sit vnum ex quatuor elementis, quæ sunt corpora sensibilia, ex materia & forma composita. Quòd si D. Aug. *lib.* 1. *de Gen. ad lit. cap.* 1. videatur dicere aquam esse omnium rerum principium, fundatus super textum Genesis cap. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: Hoc ideo dicit, quia humiditas quæ reperitur in aqua est principium omnium ferme rerum quæ sunt in rerum natura.

Anaximander Thaletis successor pro rerum naturalium principio materiali elementum indefinitè astruebat, quod Anaximenes eius auditor expressè affirmabat de aere in particulari, vt referunt Aristoteles 1. *Phys. cap.* 6. *& Aug.* 8. *de Ciuit. cap.* 2. Hanc opinionem reijcit Aristoteles loco præcitato, tum ex ratione communi quòd aer sit elementum ex materia & forma compositum; tum ex hac ratione particulari, quòd aer emineat aquæ & terræ: sed quod est superius est actiuius inferiore, vt patet de igne, qui cum sit eminentior cœteris elementis, maiorem habet actiuitatem super illa; materia autem prima est ens passiuum & infimum: ergo non potest dici de aere quòd sit materia prima. Quòd si aer sit calidus & humidus, quæ sunt duo principia entis viuentis; ex hoc tantùm colligi debet, quòd sine aere vita non possit conseruari. Si etiam aer vocetur spiritus Psal. 118. *Os meum aperui & attraxi spiritum*, & spiritus existant in semine, seu in materia; ideò

ideò vocatur *ſpiritus*, qui eſt tenuis & ſubtilis; non verò quia eſt *materia* omnium aliorum.

Hippaſus & Heraclitus quidam, quorum meminit confusè Ariſtoteles 1. *Phyſ. cap.* 2. & explicitè 1. *Metaph. cap.* 3. tenebant ignem eſſe primum principium, ſeu materiam primam omnium. Sed quantùm hæc opinio à verò deficiat, ex his patet, quòd ignis ſit ſuperior cæteris ſublunaribus, & materia prima ſit inferior. *Deinde*, ignis eſt maximè actiuus: materia verò prima eſt tantùm paſſiua. *Tandem* ignis eſt ſiccus & calidus, ſed ſiccitas & caliditas in cauſa ſunt, cur animata pereant: ergo ignis non poteſt eſſe principium generatiuum, cum eſt deſtructiuum. Quòd ſi *dicatur* in contrarium ignem eſſe fontem caloris, & calorem eſſe principium vitæ, hoc verum eſt de calore moderato, qui admiſcetur humido; non verò de calore intenſo & summè ſicco, qualem ignis videtur habere.

Sicut præcedentium ſinguli ſtatuebant aliquod elementum in particulari pro materia prima ſic alij materiam primam faciebant medium quid inter ignem & aerem, vt ait Ariſtoteles 1. *Phyſ. cap.* 4. Alij verò aliquid medium inter ignem & aquam, ex eodem Philoſopho 1. *Metaph. cap.* 3. Hoc autem non poſſe ſubſiſtere patet ex hoc, quòd materia prima, ſit in ſe indeterminata ad omnes formas, quas indifferenter poteſt recipere; & ſic non debet limitari ad illud medium inter ignem aut aerem, aut inter ignem & aquam interpoſitam. *Deinde* illud intermedium, vel eſt compoſitum, vel ſimplex, ſi eſt compoſitum; non eſt materia, quæ nequaquam componitur, ſed componit, ſi eſt ſimplex, non magis mediat inter illa elementa: quam inter alia; cum non habeat qualitates, quæ magis ſymboliſent cum illis elementis, quàm cum alijs: ergo tale intermedium non poteſt inſtitui pro materia prima. *Tandem* præfati Philoſophi, quibus Ariſtoteles talem opinionem attribuit, non poſſunt explicare, quale ſit illud intermedium, nec vllam de eo rationem afferunt, & ſic ſuſtineri non debet.

Empedocles voluit materiam omnium rerum non eſſe illud aut iſtud elementum, benè autem omnia quatuor elementa ſimul ſumpta; ſed contrarium patet ex eo, quòd *materia ſit ingenerabilis & incorruptibilis*; cum ipſa incorrupta manens ſit ſubiectum omnis generationis & corruptionis; ſed elementa ſunt transmuta-

ta-

tabilia ad inuicem, quoniam ex aqua fit aer, ex aere ignis, &c. ergo illa quatuor elementa non possunt esse materia prima omnium. *Deinde*, prima principia sunt contraria ex Aristotele 1. *Phys. cap.5.* sed contraria debent habere subiectum commune, in quo exerceant suam contrarietatem: ergo quatuor elementa præsupponunt materiam primam tanquam commune subiectum in quo sunt; proindeque ipsa quatuor elementa non sunt materia prima. *Tandem* si elementa essent materia prima, actu, & formaliter remanerent in mixto: cum materia sit pars componens, quæ in composito remanet: sed quatuor elementa non remanent formaliter in mixto, aliàs quodlibet mixtum esset diuersæ speciei, sicut, & quatuor elementa non sunt materia prima.

Quantùm ad Pythagoricos, qui mathematicis disciplinis assueti vnitatem siue numerum putabant esse materiam primam; ipsi refutantur ab Aristotele 1. *Met. cap.5.* Quia nimirum substantia corporea non componitur ex accidente, aliàs omne compositum esset ens per accidens: sed vnitas, & numerus sunt accidentia de genere quantitatis, vbi materia prima est de prædicamento substantiæ; quoniam est pars compositi substantialis: ergo numerus non potest esse materia prima entium naturalium. *Deinde* substantia est prior accidente ex Aristotele 7. *Metaph. cap.1.* numerus verò supponit res numerandas: ergo non potest esse principium illarum, cum principium debeat principiatum præcedere. *Tandem* si numerus esset materia prima seu principium rerum physicarum, mathematica quæ agit de numero non differret à Physica, quod est contra Aristotelem, & omnes Phylosophos, qui scientiam speculatiuam diuidunt in Metaphysicam, Mathematicam, & Physicam.

QVÆSTIO V.

A quo sit Materia Prima.

MAteria prima non potuit habere *esse* per generationem, quandoquidem ipsam diximus esse principium generationis omnium entium naturalium. Non est etiam *ingenita, & creata*, vt sibi finxerunt aliqui, dicentes materiam primam esse quoddam chaos impro-

du-

factum, ex quo omnia essent facta; si enim hoc esset verum, sequeretur materiam primam esse Deum, quando quidem solus Deus est increatus. Remanet ergo, vt materia prima sit aliquid creatum, seu natura quædam substantialis creata, ex qua fit quælibet substantia naturalis, virtute agentium naturalium.

CONCLVSIO,

M*ateria prima fuit à Deo creata initio temporum*; vt deduci potest ex Gen. 1. *In principio Deus creauit cœlum & terram*; vbi per *cœlum* intelligitur res omnes spiritnales fuisse à Deo productas; & per *terram* indicatur res omnes corporeas à Deo *suum esse* accepisse; si non omnes quantùm ad formam, omnes tamen quantùm ad materiam; ita quòd successiuè postea virtute agentium naturalium, formæ eductæ fuerint de sinu & potentia materiæ. Materia ergo prima rerum omnium pro illo tempore creata fuit, tanquam theatrum aliquid, in quo mirabilis ille generationum & corruptionum substantialium successio perageretur; quod maximè cedit in pulchritudinem vniuersi tanta rerum varietate diuersificati, & in laudem supremi artificis, quod in eius officina apparerent tot entium genera, quæ lapsu temporum generarentur & interirent.

Quod materia prima à Deo creata fuerit, deduci potest ex Aug. lib. 12. Confess. cap. 7. vbi Deum alloquens ait, *tu eras & aliud nihil, vnde fecisti cœlum & terram, duo quædam, vnum prope te, & aliud prope nihil*; Sed illud quod Augustinus vocat *prope nihil* est materia prima, inquit Scotus *in 4. dist. 12. quæst. 6.* ergo materia prima à Deo facta est. Hoc confirmare videtur idem Aug. eodem lib. Confess. cap. 8. *tu enim Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re*; quod vlteriùs repetit lib. de vera religione cap. 18. *si de aliqua informi materia factus est mundus, hæc ipsa facta est omnino ex nihilo*. Ratio conclusionis est, quia illud quod fit, vel fit per creationem, vel per generationem, cum non sit alius producendi modus, quàm ex præexistenti subiecto, vel absque subiecto præexistenti; sed materia prima effici nequit per generationem, quandoquidem ipsa est principium & subiectum generationis: ergo materia prima habet *esse* per creationem. Hoc adhuc insinuat Aug. lib. 1. de Gen.

ad

ad litt. cap. 15. *non est dubitandum, ita esse istam informem materiam propè nihil, vt non sit facta nisi à Deo.*

Obijcies. Ex communi proloquio Physicorum *ex nihilo nihil fit*; sed quod est creatum fit ex nihilo, quandoquidem creatio est productio rei ex nihilo, vbi generatio est productio rei ex præiacente subiecto: ergo materia prima non est creata. *Resp.* ex nihilo nihil fieri, virtute agentis naturalis, concedo: virtute Dei, nego; cùm enim Deus sit omnipotens, *vocat ea quæ non sunt, sicut ea quæ sunt*, inquit Propheta. Præcedens ergo axioma *ex nihilo nihil fit*, potest intelligi tripliciter; nempè materialiter, causaliter, & terminatiuè. Ex nihilo nihil fit *materialiter*, quia nihil non potest esse materia factionis alicuius rei; quoniam materia ex qua fit aliquid est ens reale, & nihil est pura negatio. *Causaliter* etiam *ex nihilo nihil fit*, quia nihil non potest esse causa alicuius rei efficiendæ, quandoquidem omnis causa per se influens in effectum debet esse ens verum, reale, & positiuum, quod opponitur nihilo. *Terminatiuè* tamen aliquid ex nihilo fieri potest, quando scilicet Deus ex nullo subiecto preexistente produxit omnia initio temporum; tunc enim *nihil*, seu *priuatio* erat terminus *à quo* talium entium productorum.

QVÆSTIO VI.

An Materia Prima omnium sit vna, vel diuersa.

DVplex est vnitas, *transcendentalis* scilicet, quę competit omni enti, quandoquidem omne ens est vnum, & vnitas est passio entis ex Aristotele 4. *met. tex.* 3. & *Prædicamentalis*, quæ competit illis entibus quæ collocantur in aliquo decem prædicamentorum; & ista vnitas est triplex, nempè generica, specifica, & numerica, vt dictum est in logica. Vnitas diuidi potest adhuc in vnitatem *positiuam*, quæ consequitur entitatem positiuam rei: quà vnitate homo est vnus, quia per animam rationalem censetur entitatem positiuam habere: & *negatiuam*, per quam illud quod est ens tantùm in potentia dicitur esse vnum negatiuè; quod dicunt Thomistæ de materia prima, quam fatentur quidem esse vnam, sed tantùm negatiuè, non verò positiuè. Nostra quæstio intelligitur tum de materia corporum sublunarium, tum de materia corporum cæle-

cælestium, & quæritur, vtrùm tales materiæ sint quid vnum, & qua vnitate.

CONCLVSIO PRIMA.

OMnia corpora sublunaria habent materiam numero distinctam, & eadem specie. Primum euidenter colligitur ex hoc, quòd *illæ materiæ sint numero distinctæ, quarum vna destrui potest, alia remanente*; sed Deus potest annihilare vnum hominem, seu illum reducere in purum nihil, altero homine remanente: ergo materia prima illius hominis annihilati differt *numero* à materia prima hominis remanentis, aliàs eadem *numero* materia simul annihilaretur, & non annihilaretur. Sic Scotus *in* 2. *dist*. 14. *quæst*. 1. & multis alijs in locis, & hoc conformiter Aristoteli 12. *met. tex*. 26. contra Gandauensem, & aliquos existimantes materiam primam omnium corporum sublunarium esse eandem *numero*.

Secundum sumitur pariter ex ijsdem locis præcitatis, manifestèque patet ex hoc, quòd materia prima Petri, & materia prima Ioannis, quæ sunt *numero* distinctæ, conueniant in ratione eadem specifica, & participent eandem *specie* naturam, sicut habent eandem *specie* humanitatem. *Deinde*, materia prima definitur apud Aristotelem, & cæteros philosophos, sed definitio non est singularium, benè autem vniuersalium, & præsertim specierum, ex 7. *met. tex*. 13. ergo materia prima sublunarium est vna specie, *Tandem* idem *numero* non potest simul esse in diuersis, & distantibus locis, quia idem nequit esse diuisum à seipso; sed si materia sublunarium foret vna numero, reperiretur eadem in locis distantibus; cùm materia prima Petri posset esse Parisijs, & materia prima Pauli posset esse Lugduni: ergo materia prima sublunarium non est eadem *numero* sed eadem *specie*.

Obiicies contra primam partem, vna, & eadem materia *numero* potest esse sub forma hominis, dum homo viuit; sub forma cadaueris, postquam mortuus est, & sub forma vermis, postquam vermes prògeniti sunt ex cadauere: ergo licèt in corporibus sublunaribus percipiantur diuersæ formæ, hoc non impedit, quin vna, & eadem materia *numero* sit in omnibus compositis sublunaribus. Quod conforme videtur Aristoteli 1. *Phys.*

tex.

text. 60. vbi ait materiam esse vnum *numero* subiectum transmutationum rerum naturalium, quod manet sub vtroque extremo. *Resp.* vnam & eandem *numero* materiam posse quidem successiuè remanere sub diuersis formis, vt patet per exemplum præcedens; non potest tamen actu permanentes esse sub pluribus formis: imò pro eo instanti quo est sub vna forma vltima, non est ampliùs sub alia; & sic pro diuersitate formarum vltimarum, materiæ etiam sunt diuersæ *numero*. Sic intelligi debet Aristoteles præcitatus, quòd scilicet eadem materia successiuè sit subiectum plurium formarum; licèt hoc non fiat permanenter & actu.

CONCLVSIO SECVNDA.

M*ateriam corporum cœlestium & sublunarium est eadem species*. Sic Scotus *in 2. dist. 44. quæst. 1.* sanctus Bon. *dist. 1. quæst. 1.* Ochamus & plures alij contra Alensem *2. p. quæst. 44.* D. Thomam *1. p. quæst. 66. art. 2.* & alios. Ratio nostra est, quòd materia cœlestium & sublunarium habeat apud Aristotelem & alios philosophos eandem definitionem, cùm vtraque sit subiectum formarum, siue corruptibilium, siue incorruptibilium; sed quæ habent eãdem definitionem, eandem participant naturam: ergo tales materiæ non differunt specis. Materia enim est fundamentum naturę, & in fundamento naturæ nihil est distinctum. *Deinde* accidentia communia & eadem *species* arguunt commune subiectum seu communem materiam ex Aristotele *1. de anima cap. 11.* sed corpora cœlestia & sublunaria habent eadem accidentia, nimirum quantitatem, perspicuitatem, densitatem, raritatem, lumen, & similia: ergo materia, quæ est subiectum commune talium accidentium, est vna specie. *Tandem* certum est Deum vnam duntaxat materiam creasse, ex qua omnia constant, vt colligitur ex Sap. 11. *qui creauit orbem terrarum ex materia inuisa:* ergo corpora cœlestia & sublunaria ex eadem *specie* materiæ compacta sunt, conformiter ad Aug. 2. Gen. cap. 21. dicentem *ex corporali materia iam factum cœlum narratur*.

Confirmatur conclusio nostra. Si esset fundamentum aliquod diuersitatis inter materiam cœlorum & materiam sublunarium, vel esset formæ nobilitas, vel incorruptibilitas illius; sed formæ cęlestis nobilitas

non

non impedit, quin eadem sit *specie* materia sub forma cœlorum & inferiorum corporum: quandoquidem anima rationalis longè præstat omnibus alijs formis sublunaribus, etiam ipsà cœlorum formà; attamen materia est eadem specie sub homine & sub equo: ergo nobilitas formę cælestis non ponit distinctionem specificam materiæ inter cælestia & sublunaria. Ex incorruptibilitate etiam cælorum non debet argui distinctio essentialis materiæ, quia cælorum incorruptibilitas non petitur ex eorum materia, sed ex illorum forma, quæ tam perfecta est, vt non possit corrumpi ab agente creato. Et hoc est quod philosophi dicunt communiter *cœlos esse corruptibiles ab intrinseco*; nempè à materia, quæ est principium corruptionis: sed *esse incorruptibiles ab extrinseco naturali*, quatenus non est agens naturale, quod possit illorum destruere formam.

Obijcies ex Aristotele 8. *met. cap.* 4. non esse eandem materiam in perpetuis, veluti sunt cæli & in caducis, quod idem videtur repetere pluribus in locis. *Resp.* Aristotelem intelligendum esse de distinctione accidentali materiæ, non verò de distinctione specifica & essentiali; licèt enim materiæ cœlestium & sublunarium sint eiusdem speciei, differunt tamen plusquam *numero* accidentaliter: quia in cœlorum materia non reperiuntur eædem dispositiones proximæ naturales ad alias formas recipiendas, quæ reperiuntur in materia sublunarium; & ob hoc dicit Aristoteles diuersam esse materiam in æternis & temporaneis, in caducis & perpetuis. *Dices* corruptibile & incorruptibile differunt plusquam *numero*; sed materia cœli est incorruptibilis, & materia sublunarium est corruptibilis. ergo *specie* differunt. *Resp.* negando minorem, tales enim materiæ non differunt penes corruptibilitatem & incorruptibilitatem; quandoquidem omnis materia prima est incorruptibilis, vt dicetur postea. Incorruptibilitas ergo cœlorum procedit ex præstantia formæ, quæ tanta est, & tam indissolubili nexu coniungitur cum materia vt non possit ab ea separari per virtutem cuiuscunque agentis naturalis.

CONCLVSIO TERTIA.

Vnitas specifica materiæ sublunarium & cœlestium est vnitas positiua, sicut & distinctio numerica, quæ est

est inter talium materias, *est etiam positiua*, *non verò tantùm negatiua*: vt volunt Thomistæ. Ratio illorum est, quòd materia prima non sit ens *in actu*, sed tantùm *in potentia*; cum ergo vnitas, & distinctio, quæ sunt proprietates entis, sequantur naturam entis, ideò colligunt vnitatem, & distinctionem vnius materiç ab alia non esse positiuam, sed tantùm negatiuam. Nos verò, qui iuxta mentem Scoti probandam in sequenti quæstione, tenemus materiam ex se esse ens actuale, positiuè distinctum ab entitate formæ, habemus dicere, quòd vnitas, & distinctio materiæ sit vnitas, & distinctio positiua, non verò tantùm negatiua. Talis enim est vnitas, & distinctio rei, qualis est ipsiusmet rei entitas; sed materia est ens in actu positiuo, seu entitas positiua, etiam prout à forma distinguitur, vt mox probaturi sumus: ergo vnitas specifica quæ est inter corpora sublunaria, & cœlestia est positiua, sicut, & distinctio numerica quæ intercedit inter illa corpora. Quia probatio huius veritatis pendet à quæstione sequenti, non longius protendetur.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Materia Prima sit pura potentia, vel habeat actum entitatiuum.

DVpliciter aliquid intelligitur *esse in potentia*, & dupliciter dicitur *habere actum*. Aliquid inquam est in potentia, vel obiectiua, vel subiectiua. Illud est in potentia *obiectiua*, quod non existit quidem, sed potest existere: vt Antichristus, qui quia non existit nunc, dicitur esse in potentia obiectiua ad existendum cum possit existere. Illud autem est in potentia *subiectiua*, quod existit reuerà, sed vlterius potest aliquam formam recipere, siue substantialem, siue accidentalem. Materia prima erat in potentia obiectiua antequam crearetur à Deo, & postquam creata est dicitur esse in potentia subiectiua vt formas qualescumque recipiat.

Dupliciter etiam aliquid dicitur habere actum, nempè physicum, vel metaphysicum. Actus *metaphisicus* est id quo res existit, vel est, vel subsistit, & sic actus metaphysicus est triplex, nempè essentia, existentia, & subsistentia: Actus verò *physicus* est forma quædam quæ recipitur in subiecto. Sic paries existens dicitur habere

bere actum metaphysicum, paries verò albus dicitur actum physicum habere, nempè albedinem, quæ est forma accidentalis.

Quantùm ad statum quæstionis præsentis constat quidem, materiam primam non habere actum *physicum* seu *formalem*, quia ex se priuatur omni forma, sed quærimus, an habeat actum *metaphysicum*, seu existentiam essentiam, & subsistentiam, quæ vocantur actus entitatiuus à forma independens. In hac difficultate grauiter controuertuntur duæ scholę; quoniam D. Thomas 1. *p. quæst. 66. art.* 1. cum suis existimat materiam ita esse puram potentiam, vt nullum includat actum entitatiuum. Scotus verò 7. *met. quæst.* 5. *& in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. *& in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 3. cum sectatoribus suis docet materiam non esse puram potentiam sed actum entitatiuum habere.

CONCLVSIO.

M*ateria est quidem pura potentia physica, quia nullum habet actum physicum seu formam physicam; sed habet actum metaphysicum seu actum entitatiuum, quandoquidem habet ex se essentiam, & subsistentiam realem, positiuam, distinctam ab entitate formæ.* Hæc conclusio quoad secundam partem, quæ sola nunc in quæstionem descendit, est conformis Aristoteli, qui 1. *Phys. tex.* 56. asserit materiam esse per se principium rerum naturalium 2. *phys. text.* 7. dicit materiam esse naturam 5. *met. tex.* 2. de materia ait quòd sit per se causa. Et 7. *met. tex.* 28. quòd sit pars substantiæ compositi; sed hæc omnia non posset esse, nec exercere materia prima, nisi esset entitas realis, actualis, independenter existens à forma: ergo materia prima ex Arist. debet censeri habere actum entitatiuum.

Probatur conclusio nostra sequentibus rationibus. Primò quòd nullam habet existentiam actualem, seu actum entitatiuum, non est ens actuale; sed materia prima est ens actuale, quandoquidem concurrit actualiter ad constituendum compositum, cuius est, pars essentialis: ergo materia prima habet ex se actum *entitatiuum*. 2. Quæ diuersis actionibus producuntur habent diuersas existentias: sed materia producitur à Deo per creationem, & forma per generationem agentium naturalium: ergo materia prima habet existentiam di-

ſtinctam ab exiſtentia formæ. 3. Quando producitur compoſitum, quod conſtat ex materia & forma vnitis, generatur forma & non materia; quando etiam corrumpitur compoſitum, ſola forma corrumpitur & non materia: ergo exiſtentia formę & materiæ differunt: & ſic forma habet ſuum actum *entitatiuum*, & materia *ſuum*. 4. Quod ex ſe eſt ens in actu, habet actum entitatiuum: ſed materia eſt ens in actu, quandoquidem eſt principium conſtitutiuum actuale omnium rerum, quæ ſunt in mundo: ergo materia prima habet actum *entitatiuum*.

Confirmatur concluſio. Materia prima in ſe conſiderata, vel eſt nihil & intra ſuas cauſas, vel eſt aliquid extra illas exiſtens, quandoquidem *eſſe nihil & aliquid opponuntur*, & non datur medium inter eſſe intra & extra cauſas; ſed materia prima non eſt nihil, quandoquidem ex materia fit partialiter compoſitum, & ex nihilo nihil fit; non eſt etiam intra ſuas cauſas, quia non cauſaret compſitum actuale, niſi ipſamet extra ſuas cauſas exiſteret: ergò materia prima eſt aliquid actu exiſtens, quoniam componit actu; & ſic dici debet habere actum entitatiuum. *Reſpondent* Thomiſtæ ſecundùm rem non dari medium inter eſſe intra & extra ſuas cauſas; ſed dari medium ſecundùm præciſionem, vt adducit Goudinus. Sed planè eluſoria eſt hæc reſponſio. Illud enim quod pręſcindit & eſt medium intra nihil & aliquid, vel eſt à parte rei, vel per opus intellectus, ſed materia prima, quam dicunt pręſcindere inter aliquid & nihil, eſt quid à parte rei exiſtens: ergo illud habet actum *entitatiuum*, ſeu exiſtentiam.

Addi poteſt vlteriùs hæc ratio. Quod inexiſtit actu compoſito, debet actu exiſtere, quia *priùs eſt exiſtere, quàm inexiſtere* ſicut *prius eſt eſſe quam ineſſe*; ſed materia prima compoſito inexiſtit, quia eſt pars eſſentialis illius, ex qua ſimul cum forma conſtituitur: ergo materia prima actu exiſtit & habet exiſtentiam actualem ab exiſtentia formæ actualiter diſtinctam. Veritati noſtræ concluſionis ſubſcribit Auguſt. *lib.* 12. *Confeſſ. cap.* 7. Imò & D. Thomas *quaſt.* 5. *de verit. art.* 5. *ad* 1, fatetur *eſſe materia* habere imitationem primi entis; ſed aliam conuenientiam habere non poteſt materia cum Deo, niſi in hoc, quòd ipſa ſit actu, ſicut Deus eſt actualiſſimus, quomodo enim materia prima Deum aliquaiiter imitaretur, ſi materia prima eſſet in ſtatu purè potentiali, & Deus

Deus in ſtatu actualiſſimo omnem potentialitatem excludendi? Nec eſt quod ad hoc *reſpondeant* Complutenſes materiam habere *eſse debile & in ſimum*; hoc enim cum illis fatemur: ſed illa debilitas & infirmitas entis non tollit abſolutè actualitatem materiæ primæ, in qua Deo aſſimilatur.

Obijcies. *Materia non eſt quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid eorum quibus ens determinatur*, vt inquit Ariſtoteles definiendo materiam primam: ergo materia non habet actum entitatiuum. *Reſp.* Materia non eſt quid diſtinguo; non eſt quid determinatum & completum, concedo; non eſt quid indeterminatum incompletum, nego: determinatio enim & complementum rei venit à forma, quæ in materia non reperitur. *Dices.* Actus diſtinguit; ſed materia non diſtinguit, quandoquidem omnia entia corporalia in materia conueniunt: ergo materia non eſt actus, nec habet actum. *Reſp.* diſtinguendo maiorem; actus formalis diſtinguit, concedo: actus entitatiuus, nego: omnia enim in actu entitatiuo conueniunt. *Si dicat* Ariſtoteles materiam eſſe in pura potentia: in pura potentia *ſubiectiua*, concedo, quia nullam habet formam phyſicam: in pura potentia *obiectiua*, nego; quia habet exiſtentiam, quæ eſt actus metaphyſicus. *Si dicatur*, quòd forma det *eſſe* rei, & ſic materia non habeat *eſſe*, cum formam non habeat. *Reſp.* forma dat *eſſe* rei, completum & phyſicum, concedo: incompletum & metaphyſicum, nego. *Dices*; materia eſt ens phyſicum: ergo ſi haberet *eſſe*, haberet formam phyſicam. *Reſp.* diſtinguendo antecedens; eſt ens phyſicum, quatenus concurrit cùm forma ad conſtituendum corpus phyſicum, concedo: eſt ens phyſicum, prout ens phyſicum ſumitur pro ente conſtante ex forma phyſica; nego.

Obijcies 2. Si materia haberet actum *entitatiuum*, eſſet ens in actu; ſed ſi eſſet ens in actu, ex ea cum forma adueniente fieret ens per accidens, *quidquid* enim *aduenit enti in actu facit ens per accidens*: & ſic omnia compoſita eſſent entia per accidens, *Reſp.* quidquid adueniat enti in actu facit ens per accidens, diſt. ſi adueniat enti in actu completo & ſpecifico, concedo: ſi adueniat enti in actu incompleto & entitatiuo, nego: quando autem forma aduenit materiæ, aduenit tantùm enti in actu incompleto & entitatiuo, ex quo fit ens completum & per ſe, per interuentionem formæ. *Si*

dicat Boetius omne *esse* deriuari à forma : & proinde materiam nullum habere esse, cum nullam habeat formam. Distinguitur Boetius, *omne esse* desumitur à forma; omne esse completum, concedo : incompletum nego: licèt enim materia ex se habeat *esse* metaphysicũ, illud tamen *esse* incompletum est physicè, cum nullam habeat formam physicam. *Nec dicant* Thomistæ, sicut in mundo datur actus purus, qui nullam habet potentiam, sic debet etiam reperiri pura potentia, quæ nullum habeat actum, & est materia prima. *Negatur* consequentia; aliàs sicut in mundo datur summum bonum, sic etiam in mundo deberet dari summum malum, quod Manichæismum redolet. *Deinde* talis pura potentia non esset materia prima; sed potentia obiectiua, quę nullum prorsus habet actum, sicut Deus nullam habet potentiam.

Obijcies 3. Si materia haberet propriam existentiam, duplicem existentiam haberet, vnam à se, & aliam à forma. *Resp.* reuerà posse admitti duplicem existentiam in materia coniuncta formæ : sed vna est illi intrinseca quam à se ipsa habet; & alia est extrinseca, quam habet à forma. *Si dicatur* quod Aristoteles nunquam asseruerit actum entitatiuum reperiri in materia. *Resp.* ipsum pluribus in locis hoc dixisse multoties, saltem implicitè, asserendo 1. *phys. tex.* 82. materiam esse subiectum formarum; quod non posset dici, si ipsa non existeret. Idem habetur in locis allegatis statim post conclusionem. Tot & tantis philosophi authoritatibus pressi fuerunt Thomistæ, vt inter eos Ruuius *tract. de materia quæst.* 3. confessus fuerit materiam habere propriam existentiam independentem ab existentia formæ & compositi; quod dicit deduci ex principijs Aristotelis, qui tria docet de materia *quod scilicet sit entitas realis & actualis extra suas causas distincta à quacumque forma & composito, quod sit primum subiectum cuiuslibet generationis, & quod destructis omnibus formis & compositis eadem perseueret*; sed hæc tria non possunt dici pura potentia, cum competant re actuali & existenti : ergo manifestum est, quòd materia prima habeat actum *entitatiuum*, seu existentiam distinctam ab existentia formę.

Cum asseritur autem, *quod materia habeat ex se existentiam*, sic dicendum est quòd habeat essentiam distinctam ab essentia formæ, cum essentia actualis idem

sit cum existentia: vndè materia prima habet suam definitionem distinctam à definitione formæ. Dici etiam debet, quòd materia habeat ex se subsistentiam, cùm materia sit substantia, saltem incompleta, vt postea dicemus. Quia tamen possunt reperiri aliqui etiam ex Scotistis, qui dicunt materiam primam ex se non habere subsistentiam; ideo notandum est, quòd tripliciter nomen subsistentiæ vsurpetur. *Primò* pro perseitate seu pro existentia alicuius, absque coexistentia alterius; & sic albedo & alia accidentia, quæ in sacramento Eucharistiæ non inhærent subiecto, dicuntur non habere subsistentiam. *Secundò* sumitur pro perseitate & existentia alicuius sine inhærentia actuali vel aptitudinali in subiecto; & hoc modo subsistentia conuenit tantùm substantiæ. *Tertiò* subsistentia sumitur pro existentia rei quæ alteri est incommunicabilis, nec ad alterum potest ordinari, & subsistentia hoc tertio modo sumpta competit tantùm personæ, supposito, vel hypostasi. Si ergo Scotistarum aliquid dixerint *materiam primam non habere ex se subsistentiam*; hoc verum est de subsistentia tertio modo sumpta, quam materia prima non habet, cum sit ordinabilis ad formam recipiendam & compositum constituendum: duobus autem primis modis materia prima dicitur per se subsistens, quia non inhæret subiecto, & potest existere, saltem diuinitus, sine ea existentia formæ, vt mox sumus dicturi.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Materia possit existere sine forma.

HÆc quæstio intelligi potest, vel de potentia naturali, *vtrum* scilicet *agens naturale possit spoliare materiam omni prorsus forma*; vel de potentia supernaturali, *vtrùm Deus possit denudare materiam omni forma.* Quantùm ad *agens naturale*, potest quidem denudare materiam hac vel illa forma, vt patet de igne, qui lignum spoliat sua forma substantiali; introducendo scilicet formam cinerum; sed *vtrum possit spoliare materiam omni forma, hoc est quod quærimus.*

CONCLVSIO PRIMA.

Materia non potest naturaliter separari ab omni forma. Sic Scotus *in 2. dist. 12. quæst. 2.* quod est iuxta mentem Aristotelis 4. *phys. text.* 17. vbi ait *generatio vnius est corruptio alterius*, & vice versa. Cùm ergo secundùm legem communem naturæ, corruptio vnius sit generatio alterius, proindè agens naturale destruens vnam formam, aliam introducit, & sic naturaliter non potest reperiri materia, quin aliquam formam habeat. Ratio nostra est, quòd *agens naturales non possit intendere malum naturæ*; spoliare materiam omni forma est malum naturę, quia *forma est naturale bonum*: ergo materia non potest naturaliter spoliari omni formà, imò, cum agens naturale tantummodò in naturæ bonum operetur, ideò si corrumpit vnam formam, loco illius aliam substituit: & ex hoc sequitur veritas axiomatis philosophici, *corruptio vnius est generatio alterius*.

Deinde debilitas & imperfectio materiæ & formæ naturaliter petunt esse simul, quia sunt duæ entitates partiales, ex sua natura tendentes ad tertiam faciendam materia scilicet vt perfectibilis essentialiter, & forma vt essentialiter perfectiua; sed nihil potest existere naturaliter sine sua perfectione essentiali: ergo naturaliter materia non potest esse sine sua forma. *Tandem* materia non minus dependet à forma, quàm subiectum ab accidente, cùm vtrumque sit subiectum, illud formæ substantialis, & istud formæ accidentalis, sed subiectum non potest esse sine accidente aliquo, v. g. sine quantitate, qualitate, & similibus: ergo materia non potest esse sine aliqua forma substantiali, qualiscumque sit.

Obijcies. Quando quis interficit hominem, separat animam rationalem à corpore, & nullam aliam introducit formam: ergo falsum est, quòd diximus anteà, agens naturale destruendo vnam formam introducere aliam; & sic materia remanet sine forma. *Resp.* quòd licèt anima rationalis deficiat, non propterea materia prima remanet sine omni forma; quia superest forma corporeitatis, & forma cadaueris substituitur. *Dices* quando in vltimo iudicio formæ substantiales mixtorum destruentur virtute ignis, materia mixtorum manebit, & non sequetur generatio alterius formæ; & sic ma-

materia mixtorum manebit naturaliter sine forma. *Resp* quòd ex forma mixtorum generabitur forma ignis & aliorum elementorum. *Dices.* Ex antecedenti quæstione materia habet existentiam distinctam ab existentia formæ: ergo materia poterit naturaliter existere sine forma. *Resp.* negando consequentiam, quia naturaliter materia ordinatur ad formam sustentandam, sicut substantia ordinatur ad accidens recipiendum: sicut ergo substantia non potest naturaliter esse sine accidentibus, sic materia non potest esse sine forma. *Si dicatur* quòd Deus initio mundi potuerit creare materiam sine forma, *Resp* ex hoc tantùm concludi, quòd materia virtute diuina possit denudari omni forma, non verò naturaliter ob legem ordinatam à Deo, quòd materia & forma simul coniungerentur ob perfectionem vniuersi.

CONCLVSIO SECVNDA.

D*iuina virtute materia potest spoliari omni forma:* Sic Scotus *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 4. Non magis enim repugnat quòd materia existat sine forma, quàm accidens sine subiecto, sed accidens per potentiam D. existit sine subiecto in Eucharistia: ergo eadem virtute materia prima potest esse sine forma. *Deinde* quando aliqua duo sic se habent, vt vnum creetur à Deo, & aliud producatur à natura, id quod creatur à Deo potest existere sine eo quod à natura producitur, quia Deus potest denegare suum concursum causæ secundæ, ne generet; sed materia prima à Deo creatur, forma verò producitur à generante, cui Deus potest denegare concursum, ne generet: ergo materia prima potest esse sine forma. *Tandem* omne priùs absolutum, realiter distinctum ab alio, & essentialiter ab illo non dependens potest diuinitus existere separatum ab eo: sed materia prima est entitas absoluta, realiter distincta à forma, & ab illa non dependens essentialiter: ergo materia prima potest D. virtute existere sine forma.

Obijcies. Effectus formalis non potest esse sine causa formali, cùm non possit esse album sine albedine; sed forma est causa formalis materiæ: ergo materia absolutè non potest esse sine forma. *Resp.* maiorem esse veram, quia Deus non potest supplere causam materialem & formalem, quæ sunt intrinsecæ; vnde negari debet minor; quòd forma sit causa formalis materiæ: *illud*

enim *non est causa formalis alterius, sine quo habet suam essentiam & existentiam*, sed materia prima sine forma habet suam essentiam & existentiam, vt probatum manet ex antecedenti quæstione: ergo forma non est causa formalis materiæ, sed tantùm compositi.

Obijcies. Non potest dari aliquod indiuiduum, quod sit sub genere aliquo, nisi etiam ad aliquam speciem pertineat, non potest enim aliquid esse animal, quin sit brutum vel homo; sed si materia vnius indiuidui conseruaretur sine forma, tale indiuiduum pertineret ad genus, nempè ad substantiam, & non pertineret ad speciem, quia distinctio specifica habetur per formam: ergo non potest absolutè materia denudari omni forma. *Resp.* maiorem esse veram, & minorem esse falsam: in tali enim suppositione, *quod indiuiduum aliquod spoliaretur omni forma*, tunc ipsum pertineret ad genus, nempè ad substantiam; quia materia prima est substantialis: pertineret etiam ad aliquam speciem substantię, nempe ad speciem substantiæ informis; quatenus substantia illa materiæ primæ non haberet vllam formam perticularem.

Obijcies. Materia & forma sunt magis vnum quàm natura & proprietas, cùm ex materia & forma fiat vnum per se, ex natura verò & proprietate fiat vnum tantùm per accidens: sed virtute D. non potest natura spoliari sua proprietate: ergo nec materia denudari omni forma. *Resp.* distinguendo maiorem; materia & forma sunt magis vnum, vnitate vnionis seu compositionis, concedo: vnitate identitatis realis, nego: natura enim & passio realiter identificantur, materia verò & forma distinguuntur realiter; & sic natura & proprietas sunt magis identificatæ, materia verò & forma sunt magis vnitæ, quia faciunt vnum per se. *Dices* si plures materię essent sine forma, non essent sine numero, qui est forma: ergo non essent absolutè sine forma. *Resp.* plures illas materias fore protunc sine *numero, quantitatiuo & prædicamentali*, qui petitur à distinctione formæ; esent verò cum *numero transcendentali*, qui sequitur ens: cùm enim plures illæ materiæ essent entia, esset in illis transcendentalis numerus.

Quæres *an materia per virtutem D. separata ab omni forma haberet vnum esse, & indigeret speciali influxu Dei ad existendum*. Ad hanc quæstionem affirmatiuè *respondent* Henricus & Conimbricenses; Scotus verò

in

in vtroque opere Oxoniensi & Parisiensi *in 2. dist. 12. quaest. 2. Respondet* negatiuè : ita quòd , si materia ab omni forma separaretur nouum esse non acquireret , nec peculiari influxu indigeret . Ratio primi est , quia materia prima habet suam essentiam , suam existentiam , & suam subsistentiam partialem , distinctam ab essentia , existentia , & subsistentia formæ : ergo , si materia separaretur à forma , retineret *suum esse*, *existere*, *& subsistere* , non enim mutaretur nisi de statu coniunctionis ad statum separationis , qui nihil tollit nec inuehit nouum: ergo materia separata à forma non haberet *nouum esse* , sicut nec anima rationalis , cum separatur à corpore , nouum esse acquirit ; nec etiam accidentia separata à subiecto in Eucharistia . Hoc vltimum est contra D. Thomam , qui *in 4. dist. 12. quaest. 1. art. 3.* vult accidens in Eucharistia existens sine subiecto exposcere *nouum esse* sibi à Deo elargitum .

Secundum etiam probatur, *quòd* scilicet *materia sine forma non indigeret nouo concursu Dei , vt conseruaretur* ; eadem enim est actio , quà Deus conseruat materiam iunctam in forma , cùm ea per quam illam conseruaret sine forma . Si enim fieret noua actio & nouus concursus , seu influxus particularis , deberet esse nouus terminus ; sed, cum materia conseruatur per se existens sine forma, non est nouus terminus talis actionis, quia est eadem numero materia ; ergo siue materia sit cum forma , siue omni forma denudetur, erit semper idem concursus Dei, qui conseruabit materiam vtroque modo se habentem . *Dices* naturaliter materia non potest existere sine forma , propter exigentiam vtriusque , ad faciendum compositum ex naturæ præscripto : ergo vt materia subsistat sine forma, indiget concursu particulari. *Resp.* negando consequentiam , quia eodem concursu quo Deus conseruaret materiam vnitam formæ, conseruaret adhuc materiam denudatam omni forma : vnde, quia remaneret idem terminus actionis conseruantis, nempè eadem materia ; sic etiam remaneret idem concursus . Quia verò in tali suppositione modus existendi materiæ esset diuersus , quandoquidem vnus esset naturalis , & alter supernaturalis ; sic etiam modus concursus esset diuersus , naturalis scilicet respectu materiæ cum forma conseruatæ , & supernaturalis respectu materiæ denudatæ forma;sed talis diuersitas se

teneret tantùm ex parte modi, non ex parte concursus qui idem remaneret entitatiuè.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Potentia Materiæ sit illi essentialis.

Loquimur de potentia materiæ ad formam physicam, non autem ad formam metaphysicam; diximus enim in penultima quæstione, quòd materia prima respectu actus entitatiui nō sit in potentia, quandoquidem talem actum entitatiuum habet ex se: est verò in potentia ad formam physicam, quandoquidem materia prima ex se nullam formam physicam habet; & ideò hic quærimus *an potentia materia sit ipsi materia essentialis*. Illa autem potentia, seu apetitudo ad formas, est duplex, nempè *generalis*, per quam omnes formas respicit; & *particularis*, qua ad hanc formam in particulari potiùs inclinatur quàm ad illam.

CONCLVSIO.

Potentia generalis materiæ ad omnes formas non est illi essentialis, sed est tantùm ipsius proprietas: potentia verò particularis ad hanc formam potius quàm ad illam est tantùm accidentalis. Hæc conclusio, quantum ad primas partes, intelligitur de potentia materiæ *formaliter* sumpta, non verò de potentia eius *fundamentaliter* spectata. Per potentiam *formalem* materiæ intelligitur ex Scoto *dist.* 43. *quæst.* 3. relatio potentialitatis realiter inhærens materiæ, per quam ipsa materia dicitur *formaliter* potens recipere formam. *Fundamentalis* autem potentia est radix seu principium potentialitatis à qua emanat *formalis* potentia, sicut risibilitas resultat ex rationalitate. Quantùm ad hanc potentiam fundamentalem materię, affirmat Scotus loco præcitato eam esse de eius essentia; & hoc conformiter Aristoteli 2. *de anima cap.* 2. dicenti materiam esse potentiam, & formam esse actum; quod dicere est, sicut forma essentialiter est actus, ita materia fundamentaliter sumpta est potentia.

Probatur prima pars conclusionis, *quòd potentia generalis materia ad omnes formas non sit illi essentialis*. Nullum enim relatiuum est de essentia absoluti, cùm abso-

absolutum & respectiuum opponantur', tanquam modi qui diuidunt ens; sed entitas materiæ est ens absolutum', & potentia est relatio transcendentalis receptiui ad receptibile, vt ait doctor præcitatus: ergo potentia formalis materiæ ad formas, non est illi essentialis.

Probatur secunda pars, *quòd potentia generalis materia sit proprietas illius*. Omne perfectibile habet ordinem intrinsecum ad sui perfectiuum; sed materia, quæ de se est imperfecta, perficitur per formas: ergo materia habet ordinem intrinsecum ad formas. Ordo autē ille intrinsecus seu potentia, vel est essentialis, vel proprietas materiæ: non est autem essentialis, vt mox probatum est: ergo superest, vt sit materiæ proprietas'.

Probatur tertia pars, *quòd potentia particularis materia ad hanc formam potiùs quàm ad aliam, sit tantùm accidentalis*. Inclinatio seu potentia quam habet materia ad formam particularem procedit ex certis accidentibus & dispositionibus præuijs, quæ præparant materiam ad talem formam in particulari recipiendam; sed illæ dispositiones, cùm sint accidentales, quandoquidem materia est indifferens ad illas vel ad alias, possunt separari à materia: ergo inclinatio particularis materię ad vnam formam potius quàm ad aliam est purè accidentalis.

Objicies in primam partem, illud sine quo non potest concipi materia est illi essentiale; sed sine potentia generali ad formas non potest concipi materia prima, quandoquidem talis aptitudo definitionem ipsius ingreditur: ergo potentia est essentialis materię. *Resp.* distinguendo minorem: materia non potest concipi sine potentia: non potest concipi conceptu *extensiuo*, qui terminetur ad omnia quę pertinent ad materiam, siue sint essentia illius, vel tantùm proprietas', concedo: conceptu *intensiuo*, qui terminetur pręcisè ad entitatem materię, nego: licèt enim conceptu extensiuo non possit concipi homo sine rationalitate, conceptu tamen intensiuo potest concipi cum sola rationalitate; sic etiam de materia, quę cùm habeat entitatem absolutam distinctam ab entitate formę, proinde potest intelligi sine forma & sine potentia ad illam.

QVÆSTIO X.

Quomodo Materia appetat formas, & quales.

APpetitus triplex est, naturalis videlicet, sensitiuus, & rationalis seu intellectiuus. *Appetitus naturalis* est inclinatio quædam naturalis ab authore naturæ indita singulis rebus ad suos finès acquirendos; qui tamen non præsupponit cognitionem in re: sic grauia dicuntur habere appetitum naturalem ad tendendum deorsum, & leuia sursum; quia centrum appetunt. *Sensitiuus appetitus* est inclinatio in id quod per sensus bonum esse videtur; sic equus appetit fœnum appetitu sensitiuo. *Appetitus intellectualis* est inclinatio rationalis creaturæ in id quod ab intellectu iudicatur esse bonum; sic omnes homines appetitu rationali desiderant beatitudinem. *Appetitus* autem *in se* est inclinatio rei in bonum conueniens appetenti. Porrò appetitus potest adhuc dici triplex, primus est *appetitus amoris*, qui nihil aliud est quàm inclinatio in id quod nobis conuenit, siue sit præsens, siue absens. Secundus vocatur *appetitus desiderij*, qui est propensio in bonum absens. Tertius est *appetitus complacentiæ, seu delectationis* quo aliquis delectatur in bono quod possidet.

CONCLVSIO.

M*Ateria appetit formam appetitu naturali, & non tantum vnam in particulari, sed omnes indifferenter; cum hoc tamen discrimine, quod præsentes, præteritas, & futuras, appetat appetitu amoris; præsentes appetitu complacentiæ; absentes verò, appetitu desiderij; siue sint præteritæ, siue sint futuræ.* Hæc conclusio quinque habet partes quarum

Probatur prima, quæ est Scoti *in 4. dist. 49. quæst.* 10. & Aristotelis 1. *phys. cap. 9. tex. 61.* materia appetit formam, sicut turpe pulchrum, & fœmina marem. Ratio communis est, quòd omne perfectibile appetat naturaliter suum perfectiuum, cùm *vnumquodque propendeat in id quod est sibi conueniens*; sed materia prima est perfectibilis, cum sit substantia infima, omni ornatu carens, significata *Gen.* 1. per *terram inanem & vacuam*: ergo materia appetit naturaliter formas, quæ potentia-

lita-

litatem suam determinent, acuent, & quasi ornent suo splendore.

Probatur secunda pars, *quòd omnes formas indifferenter appetat materia*; hoc enim tradit Doctor noster *in 1. dist.1.quæst.1.* Quod confirmat Philosophus 1. *phys. tex.* 82. dicens materiam esse subiectum primum vniuscuiusque, id est, vniuscuiusque formæ. Cùm enim quælibet forma in particulari perficiat potentialitatem materiæ, & omnes indifferenter hoc faciant, consequenter materia appetit omnes formas in communi tanquam perfectiuas suæ potentialitatis.

Probatur tertia pars, *quòd appetitu amoris materia appetat formas præteritas, præsentes, & futuras*. Amamus enim communiter quæ afferunt nobis perfectionem; sed omnes formæ, præsentes, præteritæ, & futuræ materiam perficiunt, ipsam exornando, eam ad operandum disponendo, & illam deducendo ad suum finem, nempè ad compositionem corporis naturalis ex materia & forma coalescentis: ergo materia prædictas formas appetit indifferenter appetitu amoris.

Probatur quarta pars, *quòd materia appetat formas præsentes appetitu complacentiæ*. Quia materia, naturaliter inclinata ad sui perfectionem, habet aliquem appetitum circa formam quam actu possidet; sed ille appetitus non est appetitus desiderij, qui tantùm fertur circa bonum absens: ergo appetitus ille materiæ ad formam præsentem erit appetitus complacentiæ, sibi enim complacere videtur materia, quòd formam habeat, per quam tollatur sua potentialitas, quæ imperfectionem redolet.

Probatur quinta pars, *quòd materia appetitu desiderij appetat formas absentes*, vt tradit Doctor noster, *in 4. dist.49. quæst.4.* Desiderium enim est appetitus rei non habitæ, vt colligitur ex Aug. *in psal.118.* dicente *desiderium esse rerum absentium concipiscentiam, gaudium verò & complacentiam esse de re præsenti & possessa, qua quis fruitur & potitur.* Quando ergo materia non habet formam, illam appetit appetitu desiderij, siue illam habuerit antea siue non: & sic desiderium materiæ fertur circa formas præteritas & futuras.

Obijcies 1. Quod caret cognitione nihil appetere potest; sed materia prima caret cognitione sensitiua & rationali: ergo nihil appetit. *Resp.* distinguendo maiorem, nihil appetit appetitu *sensitiuo* aut *intellectiuo*, con-

concedo: appetitu *naturali*, nego. Vel, nihil appetit appetitu *elicito*, concedo: appetitu *innato*, nego. *Dices* si materia appeteret indifferenter omnes formas, appeteret eas quas habet, & eas quas non habet: sed non appetit eas quas habet, quia *non optat quod possidet*? nec etiam eas quas non habet, quia esset in statu violento sub forma quam possidet actu, quod dici nequit, cùm omnes appetat, & proinde illam non habet de praesenti: ergo materia non appetit indifferenter omnes formas. *Resp.* materiam vt diximus appetere formas, tum praesentes, tum absentes, sed differenter: praesentes nimirum *appetitu complacentiæ*, & absentes *appetitu desiderij*. Licèt autem materia appetat formas absentes, non tamen est violenter sub forma praesenti; quia non habet appetitum determinatum & particularem ad formam absentem, quod tamen requiritur, vt aliquid dicatur esse in statu violento; vt patet de lapide, qui motus sursum violentatur, quia habet inclinationem determinatam ad tendendum deorsum.

Obijcies 2. Materia non potest appetere formam absentem, nisi appetat destructionem formæ praesentis; quandoquidem sunt incompossibiles: ergo vel non complacet in forma praesenti, quod est contra superiùs dictum, vel absentem non appetit. *Resp.* ad antecedens, materiam non appetere corruptionem formę praesentis, nisi tantùm per accidens; considerat enim suo modo formam absentem tanquam sui perfectionem, non attendendo, vtrùm alia debeat destrui, vel non. Nec in hoc dici debet, quòd materia appetens formam absentem intendat *malum naturæ*, nempè destructionem formæ praesentis, talem enim destructionem non intendit nisi per accidens. Nam materia per se fertur in formam, quod est sibi bonum connaturale & perfectiuum; quia tamen forma absens non potest introduci, nisi praesens destruatur, quia scilicet agens non potest introducere nouam formam in materia, nisi destruatur pristina; ideò tantùm accidentaliter materia tendit in destructionem praesentis formæ, & quasi præter intentionem suam. Nec hoc purè est malum, quandoquidem cedit in bonum vniuersi, cuius pulchritudo consistit in ea varietate rerum quæ modò nascuntur, & modò intereunt.

Obijcies 3. Materia non appetit id quod non potest obtinere; sed potest obtinere formas præteritas, quæ

quę corruptæ sunt, cum *à priuatione ad habitum non detur regressus*: ergo non rectè dictum est in quinta parte conclusionis, quòd materia appetat formas absentes, præteritas, & futuras. *Resp.* materiam non appetere formas præteritas, vt sunt impossibiles, sed vt sunt formæ sui ipsius perfectiuæ. Quòd autem potentia materiæ extendatur ad formas habitas & iam amissas, hoc defendit Scotus *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 3. Anima enim rationalis, quæ est forma corporis humani, separata à corpore, naturaliter inclinat ad idem corpus informandum: ergo materia appetit formas præteritas & corruptas.

Dices inclinatio illa animæ ad corpus, aut corporis ad animam, non est naturalis; quia talis reunio non est possibilis per virtutem naturalem & creatam, & nihil potest appeti naturaliter, nisi naturaliter obtineri possit. *Resp.* talem inclinationem animæ esse naturalem ex Aug. 12. *ad Gen. de litt. cap.* 35. Quod confirmat Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 3. vbi apertè tradit animam rationalem à corpore seiunctam suapte naturà propendere ad vnionem corporis priùs informati. Vt saluetur autem naturalitas talis inclinationis, sufficit, quòd illa reunio sit possibilis, siue ab agente creato, siue ab agente increato; materia enim semper respicit illam formam & perfectiuam sui, siue possit illam obtinere ab agente creato, vel increato; ergo qualitercumque restitui possit, semper inclinationem habet ad illam; quandoquidem ad talem restitutionem nulla est impossibilitas aut contradictio.

Quæres *quotuplex sit appetitus materiæ.* Non desunt qui existiment, tot esse appetitus particulares in materia, quot sunt formæ particulares, quibus potest informari; verisimilius tamen est, quòd vnico appetitu materia tendat in omnes formas in communi, & singulas formas in particulari, nedum penes gradum genericum & specificum; sed etiam penes gradum singularem, vt docet Scotus 5. *met. quæst.* 7. & postea *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. ac denique *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 3. Ratio huius responsionis sumitur ex Arist. 1. *Phys. text.* 81. dicente, quòd *materia appetat formam, sicut turpe appetit pulchrum*: sed turpe nedum appetit pulchrum in communi, v. g. bonum in se, sed etiam pulchrum in particulari, nempè bonum hoc, pulchrum scilicet: ergo appetitus formarum quam ha-

habet materia est vniuersalis tendens ad formas genericas, specificas, & numericas.

An autem materia æquali appetitu appetat omnes formas; Ruuius & Ariaga existimant materiam appetere æquali appetitu omnes formas, tam nobiles, quàm ignobiles: Scotus verò *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 10. docet materiam magis appetere nobiliores. Quia, sicut *perfectibile appetit perfectiuum*, sic magis perfectibile magis perfectiuum, & maximum perfectibile, maximum perfectiuum. Hoc non impedit tamen, quin materia habens formam nobiliorem appetat subesse formæ ignobiliori, vt docet doctor; quia materia tendit in quodcumque perfectiuum sui, & proinde in quamlibet formam etiam ignobiliorem, quia ab illa perficitur; & per accidens est, quòd non possit obtinere ignobiliorem sine nobilioris destructione: vndè dici nequit, quòd appetendo imperfectiorem tendat in malum, nempè in destructionem perfectioris formę; quia hoc fit tantùm per accidens, vt prædiximus. Quòd si materia gauderet formâ perfectissimâ virtualiter comprehendente reliquas omnes formas, tunc appetitus materiæ terminaretur, vt innuit expresse Doctor *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. Nec contra istud dici debet, quòd appetitus non possit satiari, nisi per adeptionem boni infiniti omne bonum continentis, nec proindè appetitum materiæ posse compleri per formam perfectissimam naturalem, quæ semper remanet finita: antecedens enim non est verum de appetitu *naturale*, vel *animali*, qui infinitum appetere non potest; sed tantùm de appetitu *rationali*, qui est capacitati, infinitæ.

QVÆSTIO XI.

An Materia Prima sit per se cognoscibilis.

ALiquid potest tripliciter cognosci, *per se*, *per accidens*, *& per argumentationem*, Id quod ingerit sensibus speciem sui est *cognoscibile per se*, vt albedo parietis. Illud quod est cognoscibile per accidentia, seu per formas, dicitur *cognoscibile per accidens*, vt substantia & materia prima. Illud denique quod est cognoscibile tantùm per illationem, & quatenus infertur ex alio, dicitur *per argumentationem cognoscibile*, vt Angeli, qui cognoscuntur per effectus; & Deus, per-

per creaturas. Hoc tamen intelligi debet pro hoc ſtatu, quo vtimur ſenſibus ad cognitionem ſpiritualium; non verò pro ſtatu animæ ſeparatæ, quæ Deum, Angelos, & ſubſtantias cognoſcet *per ſe, & intuitiuè*.

CONCLVSIO.

SI Materia conſideretur vt eſt entitas abſoluta, cognoſcibilis eſt per ſe; à nobis tamen non cognoſcitur niſi per formas. Prima pars eſt Scoti *in 2. diſt. 12. quæſt. 1.* & 2. *Metaph. quæſt.* 2. contra Thomam, qui volens materiam non habere exiſtentiam à forma diſtinctam, tenet illam non eſſe *per ſe cognoſcibilem*. Ratio noſtra eſt, quia omnis entitas abſoluta eſt de ſe cognoſcibilis, quandoquidem cognoſcibilitas eſt paſſio entis, ex Ariſt. 2. *Metaph. text.* 4. ſed materia eſt ens reale poſitiuum, & abſolutum; cùm ex eodem Phyloſopho 12. *Metaph. cap.* 2. ſit ſubſtantia: ergo materia prima eſt cognoſcibilis per ſe. *Deinde*, omne ens eſt obiectum intellectus, cùm ſit *verum*; ſed materia eſt ens, quamuis exile, & imperfectum; ergo. *Tandem* ſi materia non eſſet *per ſe cognoſcibilis*, non eſſet etiam definibilis, cum definitio ſit inſtrumentum cognitionis ſcientificæ; ſed materia prima definitur ab Ariſtotele: ergo materia prima eſt per ſe cognoſcibilis.

Secunda pars eſt eiuſdem Doctoris noſtri præcitati. Quia pro hoc ſtatu non poſſumus cognoſcere res, niſi ſint ſenſibiles in ſe, vel in ſuis effectibus; ſed materia non eſt ſenſibilis in ſe, quia nec eſt quid, nec quantum, nec quale, &c. Ergo non poteſt cognoſci, niſi per effectus quos habet circa formam; quatenus illam ſuſtentat, eſt ſubiectum ex quo educitur, & eſt principium corruptionis formæ: ergo non eſt à nobis cognoſcibilis pro hoc ſtatu, niſi per effectus, & formas. Hoc confirmat Ariſtoteles 2. *de Generat. text.* 53. dicens, quod *ſicut ſe habet ſtatua ad as, ſic ſe habet forma ad materiam*; ſed non cognoſcimus materiam æris ex qua fit ſtatua, niſi per formam ſtatuæ: Ergo nec poſſumus cognoſcere materiam rerum naturalium, niſi earum per formas.

Obijcies illud non eſt *per ſe cognoſcibile*, quod nec eſt actus, nec actum habens; ſed materia talis eſt: ergo. *Reſp.* diſt. min. materia non eſt actus, nec habens actum; formalem, & phyſicum, concedo; entitatiuum, & me-

& metaphysicum, nego. *Dices*, omnis potentia est occulta: sed materia est potentia: ergo. *Resp.* materia est potentia, *subiectiua*, concedo: *obiectiua*, nego. Materia enim est actus entitatiuus, qui per se est cognoscibilis, quoniam omne ens reale, cùm sit *verum*, est per se cognoscibile; siue sit substantia, siue sit accidens; siue sit ens completum, siue sit ens incompletum; cùm hoc tamen discrimine quòd illud ens, quod habet maiorem actualitatem, sit magis cognoscibile; quia cognoscibilitas sequitur veritatem, & veritas entitatem. *Si dicat* Aristoteles 7. *Metaph. text.* 35. materiam esse per se ignotam; hoc ideo dicit, quia materia non est prima ratio cognoscendi, sed forma; quę in causa est, cur materiam pro hoc statu cognoscamus.

Quæres *vtrum materia prima sit pura potentia Physica*. Hoc negant aliqui cum Auicenna *lib.* 1. *Sufficientiæ* vbi in materia prima dicit esse formam quamdam substantialem, ipsi congenitam, per quam materia habet, quod sit corpus indeterminatum, & determinabile ad alias formas; quæ forma corporeitatis indeterminata facit, vt materia alias formas appetat, per quas determinatur ad tale vel tale corpus determinatum, ver. gr. equi, lapidis, arboris, &c. Vnde in illorum mente quodlibet compositum habebat duas formas substantiales, vnam generalem, incorruptibilem, & ingenerabilem, semper in materia manentem, per quam materia habet vt sit corpus indeterminatum, & aliam particularem, de potentia materiæ educibilem, per quam habebat, vt sit tale vel tale corpus. Aristoteles tamen 1. *Phys. cap.* 5. longè verisimiliùs respondet materiam esse puram potentiam Physicam, nec habere formam corporeitatis sibi coęuam; ibi enim dicit materiam esse informem, seque habere ad omnes formas substantiales, sicut materia artis ad formas artificiales: sed materia artis nullam includit formam artificialem sibi congenitam: ergo nec materia prima vllam formam substantialem. Si hoc enim foret, vt voluit Auicenna, corpus illud materiæ primæ esset simplicius quatuor elementis, contra Aristotelem, qui 2. *Metaph. cap.* 3. reprehendit illos Philosophos, qui admittebant corpus aliquod quatuor elementis prius, & simplicius.

Si dicatur in fauorem Auicennæ, quòd sicut ex non substantia non potest fieri substantia, sic ex non corpore non possit fieri corpus: ergo quando educitur corpus

de

de materia, vel materia erat corpus, vel non: si erat corpus, habetur intentum Auicennæ, si verò materia non erat corpus, ex non corpore corpus fit, quod dici non potest. *Resp.* Materiam dici corpus, & corpoream in potentia, quæ potest recipere formam corporeitatis ex seipsa educendam; non verò erat corpus actu, propter rationes prę allegatas. Nec mirum videri debet, quòd ex non corpore actualiter fiat corpus actuale, quia omnes formæ includuntur virtualiter in potentia materiæ, quę est fons, & radix omnium formarum substantialium. Nec *dicatur* etiam quòd talis forma corporeitatis crearetur, si non pręextiterit in materia; licèt enim fiat ex *nihilo sui*, fiat tamen ex præexistenti subiecto, nempè ex materia prima, quæ est subiectum omnium formarum.

Quæres, *utrùm materia sit tantùm passiua*. Quia multipliciter potest intelligi hęc quæstio, multipliciter etiam debet responderi ad illam. *Dico ergo primò*, Materiam esse suarum passionum causam, vt innuit Scotus *in 4. dist.* 12. *q.* 3. A natura enim specifica profluunt proprietates; sed materia est natura specifica, licèt imperfecta, incompleta, & partialis, diximus enim quæst. 6. quòd materia sit vna *specie*: ergo ipsa est causa suarum proprietatum, quæ sunt pręsertim. *Ingenerabilitas*, *Incorruptibilitas*, *perpetuitas*, *Possibilitas*, *Appetibilitas formarum*, & *Cognoscibilitas illius* per easdem formas. *Dico secundò*, Materiam in suo genere materiali concurrere ad educendam formam, ex eodem Doctore præcitato, & 4. *Metaph. ad titulum* 10. Materia enim ex Arist. 2. *Phys. text.* 28. est id, ex quo aliquid fit cum insit; si ergo ad generationem compositi cooperatur materia; ergo, & ad eductionem formæ concurrit materialiter, cùm forma dependeat à materia *in esse*, & *in fieri*; ob hoc enim forma dicitur materialis. Nec dicatur ex hoc sequi vnum principium fieri ex alio, nempè formam ex materia; quia, vt diximus, agendo de principijs, forma non propriè fit, sed educitur 3. compositum verò id est, quod propriè dicitur fieri. *Dico* 3. Materiam exercere actiuitatem partialem in generatione totius compositi, ex Doctore *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 2. Compositum enim ab Arist. 7. *Metaph. text.* 7. dicitur causatum ex forma, & materia, tanquam ex duabus causis partialibus, vnam totalem integrantibus: vnde materia dicitur vna ex causis.

Dico

Dico quarto materiam non concurrere ad operationes, quas elicit compositum; sic Doctor noster, qui distinguens totum à suis partibus simul sumptis, dicit actiones eius procedere à toto, & nequaquam à partibus eius, præsertim à materia, quę est passiua, Quod confirmat Arist. 1. *de Anima text.* 64. vbi negat actiones quæ toti conueniunt, vt *ædificare*, *texere*, & alia quæ homini tribuuntur, competere animæ ipsius: ergo materia non concurrit ad illas actiones. *Deinde* si materia concurreret actiuè ad effectus compositi, non foret distinctio inter agentia naturalia quandoquidem eandem participant materiam, quæ esset commune instrumentum agendi. *Tandem* per solam analogiam ad formas materia est à nobis cognoscibilis, vt probatum est antea; sed si materia esset principium actionum compositi, per tales actiones cognosceretur: ergo materia non concurrit ad actiones totius. Sic ergo intelligendi sunt philosophi, qui dicunt materiam esse tantùm passiuam; quòd scilicet materia non cooperetur ad actiones compositi; licèt in pręcedentibus possit dici actiua; quatenus est causa suarum passionum, quatenus concurrit materialiter ad eductionem formæ, & quatenus in suo genere causæ materialis concurrit partialiter ad generationem totius.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Materia sit Ingenerabilis, & Incorruptibilis.

HÆc est differentia inter Generare, & creare, quòd *creare* sit producere aliquid ex nihilo; vt quando Deus produxit mundum, & Angelos: *generare* autem sit producere aliquid ex præexistenti subiecto, & sic forma dicitur generari; quia educitur de potentia materiæ, tanquam de subiecto. In hoc etiam differunt annihilare, & corrumpere, quòd *annihilare* sit aliquid reducere in nihilum, ita vt nihil remaneat de materia aut de forma rei annihilatæ; *corrumpere* verò est resoluere compositum, non in nihilum, sed in aliud subiectum; ita vt materia prima rei corruptæ remaneat sub alia forma: sic quando de ligno fiunt cineres, lignum dicitur corrumpi virtute ignis, & non annihilari; quia materia prima, quæ erat sub forma ligni,

rema-

remanet post combustionem ipsius, & induit formam cinerum.

CONCLVSIO.

MAteria prima est Ingenerabilis, & Incorruptibilis formaliter, seu terminatiuè, licèt possit dici Generabilis, & Corruptibilis *subiectiuè*, vt tenet Scotus 7. *Metaph. quæst.* 10. & innuit Aristoteles 8. *Metaph. text.* 4. vbi materiam sublunarium vocat generabilem & corruptibilem. Ideò autem materia dicitur generabilis, & corruptibilis *subiectiuè*, quia est commune subiectum generationis, & corruptionis ex Aristot. 1. *Phys. text.* 82. sed forma inexistens subiecto denominat subiectum in quo existit, vt patet de albedine, quæ parietem in quo est denominat album: ergo materia *subiectiuè* potest dici generabilis, & corruptibilis. *Adde* quòd, quidquid mutatur à non subiecto ad subiectum, est generabile, cùm ex Arist. 5. *Phys. text.* 7. generatio sit *mutatio à non subiecto in subiectum*; sed materia prima mutatur de non subiecto in subiectum, vt à non aqua ad aquam; transit etiam de subiecto ad non subiectum, & de aqua ad nòn aquam; ergo materia prima est generabilis, & corruptibilis *subiectiuè*.

Quòd materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis terminatiuè, & formaliter. Docetur similiter à Scoto 7. *Metaph. quæst.* 8. & ab Aristotele 1. *Phys. tex.* 82. Primò est *Ingenerabilis*, quia id quod non fit ex *præexistente* subiecto est ingenerabile; sed materia prima non fit ex præexistente subiecto, aliàs non esset primum principium, sed esset principiatum: ergo materia prima est ingenerabilis. Secundò est *Incorruptibilis*, quia illud est incorruptibile, quod non potest resolui in subiectum post corruptionem remanens; sed materia prima non potest resolui in subiectum, quod post corruptionem remaneat, aliàs reuerteretur in seipsam, cùm ipsa sit subiectum ex quo omnia fiunt, & in quod omnia resoluuntur: ergo materia prima est incorruptibilis, sicut ingenerabilis. Ob hoc diximus antea materiam primam non habuisse *suum esse*, nisi per creationem; nec proinde potest destrui, nisi per annihilationem. Quòd si aliquando *dicatur generabilis, & corruptibilis*, ibi generatio, & corruptio sumuntur *late*, vide-

videlicet pro creatione, iuxta id quod habetur Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, & proinde materia, quæ facta dicitur, vel potiùs creata.

Obijcies 1. compositum substantiale est corruptibile: ergo, & omnes eius partes, & proinde materia. *Resp.* negando consequentiam: vt enim compositum sit corruptibile, sufficit quòd vna pars possit corrumpi, nempè forma; imò satis est quòd partes separentur, vt patet de homine, cuius anima, & corpus remanent, sed dissoluta. *Dices*, Propter materiam compositum est corruptibile: ergo ipsa est magis corruptibilis, iuxta effatum commune, *propter quod vnum est tale, & illud magis*. Resp. negando consequentiam. Axioma verò allegatum intelligitur; vt diximus, quando id in quo sit comparatio conuenit vtrique; ita quòd, si corruptibilitas conueniret materiæ, sicuti conuenit composito materia esset magis corruptibilis quam compositum, si propter illam compositum esset corruptibile; sed quia corruptibilitas non potest conuenire materiæ, ideò licèt propter materiam compositum sit corruptibile, ipsa tamen non est corruptibilis, vt probatum est.

Obijcies 2. agens naturale potest agere in compositum, ipsum generando, & corrumpendo: ergo partes eius potest generare, & corrumpere; *quidquid enim potest maius, potest & minus*. Resp. negando consequentiam; axioma autem verificatur tantùm in illis quæ sunt eiusdem rationis, non verò in illis quæ diuersam habent rationem: vnde non bene sequitur, quòd homo possit generare canem, quia potest generare hominem qui est perfectior. Quandoquidem ergo compositum est alterius rationis à materia, licet agens naturale possit agere in compositum quod generat, & corrumpit, quia de se est generabile, & corruptibile; non propterea sic agere potest in materiam, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, & proinde extra sphæram actiuitatis agentium naturalium. *Dices* forma potest corrumpi: ergo, & materia, quæ forma indiget vt existat. *Resp.* Ex ordine quem præfixit Deus rebus creatis materia non possit quidem esse absque forma naturaliter; attamen cum propriam existentiam habeat, Deus potest concursu suo generali conseruare materiam sine forma; & sic licèt forma corrumpatur, materia tamen incorruptibilis est.

Si quæratur autem *ex quotuplici capite res possit dici incor-*

incorruptibilis: Respondebitur res tripliciter dici incorruptibiles. *Primò* quando non habent principium corruptionis, nempè materiam primam, & propter hanc rationem Angeli sunt incorruptibiles. *Secundò* quando aliquid non habet contrarium corrumpens, quod possit formam vincere; sic cœli sunt incorruptibiles, quia nullum est agens naturale tantæ virtutis, vt possit destruere formam cœlorum: vnde diximus illos esse incorruptibiles ab *extrinseco*, & corruptibiles ab *intrinseco*, nempè materia prima. *Tertiò* aliquid dicitur ingenerabile, quando non potest educi de potentia alterius, & propter hanc adhuc rationem materia prima, quæ non potest educi ex potentia alterius, cum ipsa sit primum principium, est ingenerabilis. *Quod materia prima priuatione induta sit radix corruptionis rerum materialium*, innuitur ab Aristotele 1. *Phys. text.* 80. dicente *materiam formà priuatam machinari maleficium*; id est, destructionem compositi: & hoc, quia habet semper appetitum ad formas, quarum vna non potest introduci, nisi per definitionem alterius.

Quæres *an materia sit substantia*. *Resp.* affirmatiuè, quia ipsa non est accidens; deinde materia per se subsistit, quoniam est ens quod ex se habet essentiam, existentiam, & subsistentiam independenter à forma. *Tandem* ideò composita plurima dicuntur substantialia, quia eorum materia est substantialis. *Dices* materia non reponitur in prædicamento substantiæ: ergo non est substantia. *Resp.* non reponi per se, & directè, benè autem indirectè, & per compositum, cuius est pars essentialis. Solæ autem substantiæ completæ sunt directè in prędicamento substantiæ, vt genera, species & indiuidua, quę componuntur ex materia, & forma. *Quod materia sit substantia*, deducitur ex Scoto in 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. & probatur ex Arist. qui 1. Metaph. cap. 3. diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum. Materia, inquam, est substantia partialis & incompleta, vt patet ex eodem Philosopho ibidem dicente materiam esse partem compositi substantialis: vnde compositum ex materia, & forma est vnum per se constans ex perfectibili, & perficiente, seu ex determinabili, & determinante. Quod si ex Aug. materia dicatur esse *propè nihil*, 12. Confess. cap. 32. non ideò dicitur propè nihil, quasi non sit ens verum, reale, posi-

tiuum,

tiuum, & ſubſtantiale; ſed quia inter ſubſtantias tenet locum infimum, cùm careat omni formà, & omni perfectione.

Quęres. *vtrum materia ſit corpus*. Aliqui Reſpondent affirmatiuè, dicentes quòd ſi materia ſit ſubſtantia, debeat proiode eſſe corpus; cùm ſubſtantia adęquatè diuidatur in ſpiritualem, & corporalem; & ſic cum materia non ſit ſubſtantia ſpiritualis, volunt illam eſſe corpus. *Reſp.* tamen negatiuè, quòd materia non ſit corpus actu, aliàs materia prima haberet formam corporeitatis, & daretur aliquod corpus quod eſſet ſimplicius elementis, nempè ipſa materia prima: quod eſt contra Ariſtotelem, vt probauimus quæſt. 11. Licèt tamen materia prima non debeat dici corpus *actu*, dici tamen poteſt corpus *in potentia*, quatenus materia prima nata eſt apta recipere formam corporeitatis. Ad id quod dicunt *ſubſtantiam adæquatè diuidi in ſpiritum, & corpus*, hoc verum eſt de ſubſtantia completa quòd diſtribuitur in ſpiritualem, & corpoream; vnde cum materia non ſit ſubſtantia completa, ideo non eſt de ſe corporea aut ſpiritualis *actu*, quia nullam ex ſe habet formam; ſed eſt corporea potentialiter quatenus forma corporeitatis educi poteſt de eius potentia.

Quæres, *vtrum materia ex ſe habeat quantitatem*, ſeu vt alij dicunt, *vtrum quantitas ſit coæua materiæ*. Reſp. negatiuè, quia materia in ſua definitione nec eſt quid, nec quantum, nec quale. *Deinde* accidentia habent pro ſubiecto ſubſtantiam completam, & ſic quantitas non recipitur in materia; niſi poſt formam ſubſtantialem, quæ ipſam complet, & reddit capacem accidentium. *Tandem* ſubſtantia præcedit accidens natura, & tempore: Ergo priùs debet eſſe completa, quàm recipiat quantitatem: vnde dicendum eſt; quòd ex potentia materiæ educatur immediatè forma ſubſtantialis, & poſtea illi adueniat quantitas, quę eſt ſubiectum aliorum accidentium. *Si dicatur* compoſitum eſſe diuiſibile, & proinde quantitatem, qua redditur diuiſibile, præcedere formam ſubſtantialem eius. *Reſp.* compoſitum, vt reſultat præcisè ex materia, & forma ſubſtantiali, nondum eſſe diuiſibile; licèt habeat partes ſubſtantiales: ſed dum immediatè, poſt vnionem formæ cum materia, quantitas educitur ex toto compoſito; protunc redditur diuiſibile, & habet partes quantitatiuas. *Si dicatur* quòd compoſitum non

poſſit

possit denudari quantitate, hoc ideo est, quia non potest denudari omni forma. Addo quòd per potentiam D. possit spoliari quantitate.

Ad hoc quod dicitur Henricus & quidam alij, *in materia praexistere formam ipsi coæuam, coagentem agenti extrinseco ad compositum generandum*; hoc communiter negatur ab alijs, conformiter ad Aristotelem 1. *Phys. text.* 82. dicentem solam materiam esse ingenitam, quod non esset verum, si materia haberet aliquam formam. Idem confirmat Philosophus 7. *Metaph. text.* 29. dicens, *sicut domus solum à principio extrinseco fit, puta ab agente intellectuali, sic ignis generatur, non à principio intrinseco, sed ab extrinseco duntaxat*: & sic in materia nihil reperitur ingenitum, quod concurrat ad productionem nouę formę, nec ad generationem compositi; nec proinde inter formam & priuationem eius existit alia inchoatio formæ, nisi potentia ipsius materię, ex qua omnes formæ educuntur: *Quando ergo* Aristoteles 7. *Metaph. text.* 29. ait in materia pręcedere partem rei generandæ, per *talem partem* intelligi debet potentia quam habet materia, vt ex seipso educatur forma per generationem. *Si dicatur* formam ergo creari, si nihil illius pręcedat in materia, quod sit ipsi coæuum, negatur consequentia, quia forma illa non producitur ex nihilo, sed ex *praexistente* materia educitur.

CAPVT II.

De Priuatione.

QVi *ordinem dignitatis* sequeretur, loquendo de principijs rerum naturalium, prius agere deberet de forma, quàm de Priuatione, quoniam forma, quæ est ens positiuum, & nobilior pars compositi, longè excedit priuationem, quę ab Arist. vocatur *maleficium naturæ*, non quòd procedat à malo principio, sed quia dicit carentiam formę, quę est *bonum naturæ*, & perfectio vniuersi: nos autem qui ordinem naturę sequi meditamur, priùs habemus agere de priuatione, quàm de forma. Cum enim debeamus loqui de generatione rerum naturalium, quę ad Physicam pertinent; & generatio sit transitus à non esse tale ad esse tale, & terminus *à quo*, qui est non esse formę, pręce-

cedat terminum *ad quem*, qui est forma ipsa; ideò nobis primò loquendum de priuatione, sed breuiter; & quærendum tantùm *quid sit priuatio, an sit ens reale, & vtrum debeat dici principium rerum naturalium*.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Priuatio.

ADmitti Priuationem à parte rei negant Soncinas & alij Thomistæ. Affirmat verò Scotus astruens priuationem in rerum natura independenter ab opere intellectus *in* 1. *dist.* 23. *quæst. vn.* & 5. *Metaph.* cum Arist. *cap.* 22. Habetur enim Gen. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi*: & per *tenebræ* intelliguntur priuationes lucis, vt insinuat Aug. lib. de Gen. ad litt. cap. 5. *Aliud est lux, aliud sunt priuationes lucis, quas in tenebris ordinauit Deus*. Ratio huiusce veritatis est, quòd *opposita sint à parte rei*, priuatio autem & forma opponuntur. *Deinde* à parte rei homo cæcus dicitur priuari visu, & surdus auditu; & sic priuatio est quid à parte rei existens, & nullo cogitante intellectu. Quid sit autem illa priuatio, dicet

CONCLVSIO.

PRiuatio est carentia formæ naturalis in subiecto apto ad illam recipiendam. Sic Scotus *in* 1. *dist.* 5. *quæst.* 2. cum Arist. 5. *Metaph. cap.* 22. vbi sic definit priuationem propriè dictam. Dicitur primò *carentia formæ*: & est veluti genus definitionis, in quo conuenit priuatio cum negatione pura. Dicitur secundò *naturalis*, cùm enim loquimur hic de priuatione, vt est principium rerum naturalium, loquimur etiam tantummodò de priuatione naturali; non verò de priuatione formæ artificialis, qualis est statua: nec de priuatione formæ supernaturalis, qualis est gratia. Dicitur tertiò *in subiecto apto ad formam*; quia si subiectum non possit illam formam recipere, non est propria priuatio, sed pura negatio; vt carentia visus in lapide. Priuatio enim dupliciter sumitur, *latè* scilicet, & *strictè*. Prima dicit carentiam formæ, siue subiectum si capax illius, siue non; & tunc est negatio, priusquam priuatio. Secunda dicit carentiam formæ in subiecto apto ad illam

lam, & sic homo surdus dicitur habere priuationem auditus, quia auditionem recipere potest.

Obijcies. Si priuatio definiretur, esset aliqua res positiua, quia definitio est explicatio rei; sed priuatio non est res positiua: ergo definiri non potest. *Resp.* distinguendo maiorem: si definiretur definitione *positiua*, esset res positiua, concedo: si definiretur definitione *negatiua*, esset res positiua, nego: talis enim debet esse definitio, quale est definitum; vnde quia priuatio quam definiuimus est quid negatiuum, definitionem tantùm negatiuam potest habere. *Dices*. Priuatio non potest definiri per *genus*, quia genus est quid positiuum. *Resp.* priuationem non definiri reuerà per *genus proprium*, quia nullum tale habere potest cum non sit quid prædicamentale; sed aliquid ponitur in præcedenti definitione, quod tenet locum generis, nempè carentia formæ; in quo conueniunt priuatio, & negatio, vt diximus. Vbi

Notandum est priuationem propriè sumptam duo dicere, *vnum* pro formali, quod est carentia formæ; & *aliud* pro materiali, quod est subiectum ad formam accipiendam idoneam. Quantùm ad *primum*, inter se conueniunt priuatio & negatio; quia vtrumque dicit carentiam formæ. Quantùm verò ad *secundum*, distinguuntur, quia priuatio poscit subiectum idoneum ad formam, quod negatio non requirit: ob hoc D. Aug. 3. *de Libero Arbitrio cap.* 24. ait: *Cæcitas in catulis nascentibus propriè cæcitas dici non potest, nec infans dicitur imprudens, quia nondum est capax prudentiæ.*

QVÆSTIO II.

An Priuatio sit Ens Reale.

EX hoc quod diximus in annotatione præcedentis quæstionis, *priuationem existere à parte rei in rerum natura, nec esse purè ens rationis à solo intellectu dependens*, non debet intelligi quòd admittamus priuationem esse ens reale positiuum propriè sumptum: licèt enim ens latissimè acceptum, prout abstrahit à passiuo & negatiuo sit æquiuocum, vt insinuat Doctor in report. *in* 1. *dist.* 42. *quæst.* 2. & possit diuidi ens reale sic sumptum in positiuum, priuatiuum, & negatiuum

quo sensu omnis priuatio potest dici realis, & ens reale impropriè, quia est de facto & independenter ab intellectu: attamen, si ens sumatur *propriè*, vt illud accipere intendimus, non debet dici quòd priuatio sit ens reale.

CONCLVSIO.

PRiuatio *non est, nec debet dici, ens reale;* quia ex Arist. 1. *Phys. text.* 75. priuatio est non ens: vnde in definitione sua dicitur carentia formæ. *Deinde* negatio & priuatio sunt eiusdem generis; sed negatio non est quid reale, aliàs non daretur oppositio contradictoria, quæ est inter ens & negationem entis, seu inter ens & non ens: ergo negatio non debet dici ens reale, nec proinde ens positiuum, benè autem ens priuatiuum, vt innuit Doctor noster 4. *Metaph.* cum Philosopho ibidem *text.* 2. vbi priuationes & negationes affirmantur esse entia, & proinde entia priuatiua cùm entia positiua non sint.

Obijcies 1. si priuatio sit ens independens ab intellectu, vt prædictum est in quæst. antecedenti, erit vtique ens reale; si autem priuatio est ens reale, erit ens reale positiuum, quandoquidem res, à qua ens dicitur reale, perinde est ac positiuum: & sic ruit tota conclusio, in qua dicitur, quòd *priuatio non sit ens reale, nec ens positiuum*. Resp. quòd priuatio sit ens, non quidem *propriè & strictè* sumptum, quia ens sic acceptum sumitur pro solo ente realis positiuo, qualis non est priuatio, quæ est tantùm ens latissimè acceptum: quo sensu diximus, ens reale independens ab intellectu diuidi æquiuocè in ens positiuum, priuatiuum, & negatiuum. Quando autem infertur *quod priuatio foret ens positiuum, si esset ens reale*, hoc debet negari: quia *positiuum* non dicitur nisi de ente reali *propriè* sumpto, quod non conuenit priuationi, quæ est tantùm ens reale sumptum *impropriè*; vnde diximus meritò, quòd priuatio sit realis; quia cæcus à parte rei cæcus, & quod etiam sit ens reale largè sumptum, non quidem positiuum, sed priuatiuum.

Obijcies 2. quod sensu percipitur est aliquid reale ex Arist. 2. *de Anima cap.* 2. sed silentium auditur, & tenebræ percipiuntur visu: ergo priuationes sunt quid reale & positiuum. *Resp.* distinguendo minorem, si-

lentium & tenebræ percipiuntur à sensibus *priuatiuè*, in quantùm sensus cognoscunt se nihil percipere; concedo: percipiuntur *positiuè*, quasi sensus exerceant actus vitales circa silentium aut tenebras: nego. Si priuationes dicantur ens positiuum, quia creatæ sunt, Isaiæ 45. *Ego Deus qui feci lucem, & creaui tenebras*. *Resp.* priuationes non esse creatas: vnde Aug. *quæst.* 106. *noui & veteris Testam.* per *lucem* intelligit cœlum, & per *tenebras* terram: & hoc iuxta dictum Moysis Gen. 1. *In principio Deus creauit cœlum & terram*. Deinde intelligi potest Propheta de creatione impropria; ita quod Deus creauerit tenebras non faciendo lucem, quà illuminarentur.

Obijcies 3. terminus *ad quem* motus est realis positiuus; sed priuatio est terminus ad quem corruptionis, quando enim forma corrumpitur, accedit priuatio illius formæ: ergo priuatio est quid reale positiuum. *Resp.* terminus ad quem est realis, in motu quo aliquid acquiritur, vt generatio: concedo: in motu quo aliquid deperditur, nego. *Dices*, in hymno trium puerorum *priuationes* inuitant ad laudandum & benedicendum Domino, *benedicite lux & tenebræ Domino*, ergo sunt quid positiuum. Resp. *tenebras* Deum benedicere metaphoricè & occasionaliter, quatenus inuitant ad laudandum Deum, qui tam mirabiliter omnia disposuit, noctem scilicet post diem ad quietem animalium. Si etiam Gen. 1. *Tenebræ dicantur esse super faciem abyssi*, quasi essent quid positiuum. *Resp.* per hæc verba; *tenebræ erant super faciem abyssi*: denotari nondum creatam fuisse lucem ad chaos illuminandum.

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit priuatio.

PRiuatio duplex est, nempe remota & proxima. Quia materia potest recipere omnes formas præter eam quam actu possidet, ideo respectu omnium formarum absentium dicitur habere priuationem *remotam*. Quia autem non potest illas formas recipere, nisi mediantibus quibusdam dispositionibus præuijs, quæ materiam præparant ac receptionem vnius formæ, potius quàm alterius, talis priuatio dicitur

proxima, quando dispositiones illæ in materia existunt. Qui *priuationi* negant omnem entitatem; habent etiam illi negare omnem vnitatem aut distinctionem; quandoquidem vnitas & distinctio sunt proprietates entis: nos autem, qui in præcedenti quæstione diximus priuationem esse ens reale impropriè & latè sumptum, quandoquidem à parte rei cæcus est cæcus; proindè non immeritò quærimus, *quotuplex sit Priuatio*.

CONCLVSIO.

PRiuatio *non est vna, sed multiplex pro multiplicatione formarum, quibus opponitur*. Ita Scotus *in* 2. *dist.* 12 *quæst.* 2. Huius veritatis probatio desumi potest ex Arist. 1. *Peri herm. cap.* 5. vbi repetit numerum negationum à numero affirmationum quod desumere est multiplicationem priuationum ex multiplicatione formarum, quibus opponuntur priuationes; sed formæ quibus priuatur materia sunt in multiplici numero, vt patet: ergo priuatio in materia existens non est vna; sed multiplex pro multiplicitate formarum. Oppositorum enim eadem est ratio 1. *Top. cap.* 14. priuatio autem & forma sunt priuatiuè opposita; proindèque quot sunt formæ recipiendæ in materia, tot sunt etiam priuationes in ipsa materia respectu talium formarum.

Si quæratur autem *per quid distinguantur priuationes*; responderi debet, quòd distinguantur eodem modo quo distinguuntur formæ oppositæ; vt tradit Scotus, *in* 2. *dist.* 37. ita quòd si formæ distinguantur *specie*, vt cæcitas & surditas; priuationes etiam *specie* distinguantur: si formæ verò seu habitus distinguantur tantùm *numero*, vt duę visiones: duæ illæ cæcitates distinguantur *solo numero*. Quòd si dicatur priuationem esse quid vnum numero cum materia, ex Arist. 1. *Phys. text.* 79. & sic priuationes non multiplicari penes multiplicationem formarum: Philosophus loquitur de vnitate subiectiua; quo sensu, quia materia est subiectum priuationis, materia & priuatio sunt quid vnum subiectiuè; hoc non impedit tamen, quin priuatio formaliter sumpta multiplicetur ad multiplicationem formarum: alia enim est priuatio specifica humanitatis, & alia priuatio equinitatis.

Obij-

Obijcies, vna est tantùm potentia numero in materia ad omnes formas: ergo est tantùm vna priuatio omnium formarum. *Resp.* esse vnam potentiam vniuersalem in materia ad omnes formas vniuersaliter consideratas; hoc non impedit tamen, quin illa potentia vniuersalis possit subdiuidi in tot particulares potentias, quot sunt formæ particulares: nedum enim materia inclinatur naturaliter ad formam in genere, sed etiam ad quamlibet formam in specie, & in numero; & sic materia debet censeri habere in particulari priuationes huius & illius formæ qua caret: Cùm hoc tamen discrimine, quòd si habeat materia dispositiones præuias ad hanc formam potiùs quàm ad illam, tunc priuatio illius formæ debeat vocari priuatio *proxima*; si verò materia denudetur, talibus dispositionibus, & maneat in statu indifferenti; tunc priuatio debet dici *remota*. His addi potest quòd ad multiplicationem formarum possibilium, debeant multiplicari priuationes materiæ, quia *ad multiplicationem terminorum, relationes debent multiplicari*, vt habetur in Logica.

QVÆSTIO IV.

An Priuatio sit Principium rerum naturalium.

QVæstio hæc solutionem videtur habere per hoc quod diximus agendo de principijs rerum naturalium; vbi probauimus illa esse in triplici numero,quę sunt Materia, Priuatio, & Forma. Quia tamen Plato videtur facere materiam, & priuationem vnum tantùm principium generationis, ideò ob hanc occasionem examinari debet hæc difficultas denuò, in qua recurrendum est ad ea quę iam dicta sunt loco præallegato.

CONCLVSIO.

PRiuatio est verum principium per se generationis naturalis, *non quidem in facto esse, sed in fieri*; vt aliàs diximus; Sic Arist. 1. *Phys. text.* 67. & 12. *Metaph. text.* 12. Sic etiam Scotus super illa loca. Illud enim est principium per se alicuius, ex quo illud oritur; sed res naturales oriuntur à priuatione, tanquam à termino *à quo*, & per modum originis; ergo priuatio est princi-

pium per ſe generationis naturalis. *Deinde* generatio definitur tranſitus à non eſſe ad eſſe; ſed ille tranſitus exigit duos terminos, qui per ſe concurrunt ad generationem, nempè terminum *à quo*, qui eſt priuatio, & terminum *ad quem*, qui eſt forma; ſicuti, & ſubiectum traſiens à non eſſe tale ad eſſe tale, quod eſt materia: ergo priuatio eſt principium per ſe generationis *in fieri*, quia concurrit ad illam vt terminus à quo. *Tandem* quando aer à tenebris tranſit ad lucem, principium, & terminus *à quo* illuminationis, eſt priuatio lucis: ergo principium generationis eſt formæ ſubſtantialis priuatio. *Quod ſi* Ariſtoteles 1. *Phyſ. text.* 81. dicat priuationem eſſe principium *per accidens*. Reſpondet Doctor *in commentario* 12. *cap.* 4. *Metaph. text.* 12. Philoſophũ loqui de principio rei genitæ, vt aliàs diximus loco præcitato; ad quem recurrendum eſt, vt habeatur ſolutio obiectionum, quę in hanc veritatem fieri ſolent.

Obijcies 1. principia per ſe generationis ſunt ea, ex quibus fiunt omnia compoſita naturalia; ſed ex priuatione nihil fit, quia eſt non ens, & ex nihilo nihil fieri docet axioma philoſophicum: ergo priuatio non eſt principium generationis. *Reſp.* ad minorem, ex priuatione nihil fit, tanquam ex parte *componente*, concedo; tanquam ex *termino à quo* generationis, nego. *Dices*, Principium eſt nobilius principiato; ſed priuatio non eſt nobilior compoſito: ergo. *Reſp.* maiorem eſſe veram de principio *completo, & adæquato*, falſam verò de principio *partiali*; forma enim non eſt nobilior compoſito, nec à fortiori priuatio, quæ tamen concurrit ad compoſitum faciendum, non tanquam pars componens, & influens, ſed tanquam terminus *à quo* proficiſcitur generatio, licèt ad eam non influat poſitiuè, ſicut nec punctum, quod eſt principium lineæ, in lineam influit.

Obijcies 2. Priuatio ex antiquis Philoſophis eſt vnum cum materia: ergo priuatio non eſt principium generationis à materia diſtinctum. *Reſp.* hoc tenuiſſe Platonem, vt inquit Ariſt. *Phyſ. text.* 79. Ipſe tamen philoſophus ibidem priuationem à materia ſecernit: vnde dici debet cum Scoto *in* 2. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. priuationem à materia diſtingui realiter priuatiuè. Ea enim quorum vnum manet, & alterum recedit, realiter diſtinguuntur; ſed materia ſemper manet, quia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis; priuatio verò recedit,

accedente forma :ergo distinguuntur realiter;non quidem positiuè, quia priuatio non est ens positiuum, & distinctio positiua est tantùm inter entia,quæ sunt positiua; sed negatiuè, quatenus materia est quid positiuum, & priuatio quid negatiuum.

Si quæratur, *quisnam sit ordo inter principia generationis:* Respondebitur,quòd materia præcedat alia principia;postea sequitur priuatio,cùm materia ante accessum formæ sit priuata illa forma,quam postea recipit: tandem sequitur forma,quę est vltima pars constituens corpus naturale. *An autem in materia priuatio præcedat duratione formam, quæ per generationem educitur & inducitur:* Hoc affirmat Doctor noster *in 3. dist. 7. quæst.* & *in 4. dist. 43. quæst. 5.* post Aristotelem 1. *Phys. text. 43 & 44.* Ratio enim est, quòd agens naturale finitæ virtutis existens non agat nisi successiuè, disponendo scilicet primò subiectum, nempè materiam, per dispositiones præuias ad inductionem formæ. *Deinde* expellit pristinam formam, vt accedat noua,quæ cum præcedente est incompossibilis, ac postea introducit nouam formam: ergo priuatio in materia pręcedit tempore & duratione formam, & non tantùm natura. *Quòd si generatio dicatur instantanea,* hoc verum est,quantùm ad præcisam introductionem formæ in materia; falsum verò quantũ ad totã progressionem,quæ ad generationẽ requiritur.

Si quæratur vlteriùs *quandonam priuatio concurrat ad generationem*. Respondeo tunc actu esse principium, quando desinit *esse*; & immediatè post succedit forma. Sic Scotus 12. *Metaph.* Priuatio enim tunc principiat, cùm forma educitur de potentia materiæ, quoniam tunc generatio incipit; sed cùm forma educitur de potentia materiæ, tunc priuatio non est, quia cedit formę aduenienti, sicut tenebrę fugiunt accedente luce: ergo priuatio tunc principiat, quando esse desinit: & hoc est quod dicit Doctor noster, *priuationem principiare per suum non esse*.

Si dicatur contra hanc responsionem, principiationem non posse esse absque principiante, & sic priuationem non posse principiare, quando non est: hoc verum est de principio intrinseco & influente realiter in principiatum: falsum verò de principio, quod causat per modum termini *à quo*, qualiter priuatio principiat, per desitionem sui scilicet,ad quam sequitur positio formę.

QVÆSTIO VLTIMA.

Quænam sint Proprietates Priuationis.

EX præcedentibus constat priuationem esse principium generationis *in fieri*, quod intelligi debet de priuatione antecedente formam; non verò de priuatione quæ formam consequitur: hæc enim vltima est tantummodò corruptionis principium. Priuatio, inquam, antecedens formam est principium *generationis*; quia ex tali priuatione formæ materia illam appetit naturaliter, & ex tali appetitu oritur, quòd sit principium generationis. Priuatio autem consequens formam, dicitur principium corruptionis; quia materia induta tali forma ob suam insatiabilitatem appetit incessanter nouas formas, vt illis perficiatur; & sic priuatio consequens formam, est principium corruptionis. Quando etiam diximus, *quòd priuatio in materia existens sit generationis principium*; hoc debet intelligi tum de priuatione *remota*, quæ nullam habet dispositionem ad vnam formam plusquam ad aliam: tum de priuatione *proxima*, quę aliquas in se admittit dispositiones ad vnam formam in particulari. Ratio huius est, quia ex vtraque priuatione remotà & proximà oritur in materia appetibilitas formarum, quę appetibilitas materiæ est causa, cur priuatio dicatur principium generationis. His explicatis, videndum est quasnam proprietates habeat priuatio.

CONCLVSIO.

P*Rima priuationis proprietas est, quòd sit mala & turpis*. Vnde ab Arist. *cap. vlt.* 1. *Phys.* dicitur *malefica*, Non quòd sit effectrix alicuius mali, sed quia est absentia formę, quę est excellens bonum: & vt loquitur Aristoteles *quid diuinum*: Sicut enim Deus est actus purus expers omnis potentię, sic forma est actus, licèt incompletus, perficiens materiam, cuius potentialitatem tollit. *Secunda* proprietas est *quòd priuatio suscipiat magis & minus*; non quidem positiuè, quia priuatio non est ens positiuum; sed negatiuè ratione scilicet qualitatis quà priuat & cui est opposita; ita quòd priuatio maioris caloris vel minoris sit maior

pri-

priuatio vel minor. *Tertia* denique proprietas priuationis est, *quòd à priuatione ad habitum non detur regressus*, vt docet Arist. *in post prædic. cap. de Oppositis*. Quia tamen hoc non est vniuersaliter verum, cùm aliquando à priuatione ad habitum detur regressus, v. g. à tenebris ad lucem; & aliquando non detur, vt à morte ad vitam: ideo

Dicendum est cum Scoto ad locum præcitatum, & *quæst.* 41. *Prædicam.* quòd si forma, quæ opponitur priuationi, proueniat à principio intrinseco, sitque innata subiecto, cuius est forma, vt *visus in homine, cuius priuatio est cæcitas*; tunc à priuatione ad habitum non detur regressus, saltem *naturaliter*, vt aliàs diximus: Si verò forma, quæ opponitur priuationi, oriatur à principio extrinseco, vt *lux à sole, cuius tenebræ sunt priuatio*; tunc à priuatione ad habitum datur regressus, & aer de tenebroso potest fieri lucidus per solem illuminantem denuo aerem ipsum. Quia sicut agens extrinsecum non operans in subiecto priuat illud eà formà quà est capax; sic idem agens iterum accedens ad subiectum & in eo operans restituit illi eandem formam quam abstulerat ab eo per suam absentiam, vel per desitionem suæ operationis.

Alij ad explicationem effati præcedentis dicunt priuationes aliquando negare solum actum, vt patet in dormiente, qui priuatur visu durante somno, aliquando verò negare actum & potentiam simul, vt euenit in cæco, qui amisit videndi potentiam. Quantùm ad priores priuationes, concedunt quidem à priuatione ad habitum dari regressum, non verò in posterioribus, quæ potentiam negant cum actu; sicut enim potentia ablata non potest restitui naturaliter, sic nec actus recuperari potest: vnde in talibus priuationibus *à priuatione ad habitum non datur regressus naturaliter*.

Quia tamen aliquando ex pluuia in terram cadendente surgunt vapores, ex vaporibus gignuntur nubes, & ex nubibus redit pluuia, cuius antea forma fuerat amissa; ideo dicendum est quòd duplex sit regressus: nempè *immediatus*, si per vnicam mutationem vnum verteretur in aliud quod antea erat, v. g. aer in aquam, & eadem aqua in aerem; & *mediatus*, quando ex pluuia fiunt vapores; ex vaporibus nubes, & ex nubibus iterum pluuia. Si sermo fiat de *regressu immediato*, talis regressus non datur naturaliter à priuatione ad habitũ;

regreſſus tamen *mediatus* naturaliter fieri poteſt, vt patet per exemplum allatum, in quo per multas rerum mutationes idem regreditur quod priùs extiterat: ſed Scotus notat talem regreſſum non fieri ad idem *numero*. Quòd ſi *dicatur* aquam calefactam immediatè reduci ad priſtinam frigiditatem naturaliter; & ſic à priuatione ad habitum dari regreſſum *immediatum*: Reſponderi debet tale axioma debere intelligi, vt ſupra, de *priuatione negante ſimul actum & potentiam*, qualis non eſt priuatio antecedens; quandoquidem aqua calefacta priuatur quidem *actu* frigiditate, non autem potentia; & ſic aqua in ſe relicta redit ad priſtinam frigiditatem calore expulſo.

CAPVT III.

De Forma.

QVandoquidem forma perficit materiam à qua tollit priuationem, quæ eſt imperfectio, & ab Ariſtotele vocatur maleficium naturæ; ideo poſtquam in primo capite huius ſectionis egimus de materia, & in ſecundo de priuatione, nunc agere debemus de forma, vt ordinem ſequamur naturæ, quæ ab imperfectioribus ad perfectiora tendit.

QVÆSTIO PRIMA.

An detur Forma Subſtantialis.

NOn ſumus loquuturi in hoc capite de forma ita generaliter ſumpta, vt ipſius nomen conueniat formæ ſubſtantiali & accidentali; quæ vltima ſubdiuidi poteſt in artificialem ex induſtria artificis procedentem, & in naturalem, quę ortum ducit à natura: Cùm enim phyſicus reſpiciat tantùm compoſitum ſubſtantiale, proinde agere tantùm debet ex profeſſo de forma ſubſtantiali. Sic quando dicitur, *homo eſt corpus vel animal*, hæ formæ ſunt *ſubſtantiales*, vbi verò enunciatur *quod homo ſit albus vel doctus*, iſtæ formæ dicuntur *accidentales*, vel potiùs ſunt accidentia hominis, quàm formæ illius propriè dictæ. Ante Ariſtotelem vix inveniuntur inter veteres Philoſophos qui formam ſubſtantialem agnoſcant, poſt Ariſtotelem verò pauci re-

pe-

periuntur, qui negent formæ substantialis existentiam: vnde ad istorum mentem erit nostra.

CONCLVSIO.

Dari formam substantialem ita certum est, vt oppositum eius videatur absurdum, inquit Scotus, *in Comm. super 7. Metaph. cap. 7.* Primò enim omnes ab Aristotele admittunt materiam & formam, tanquam principia substantialia compositi substantialis; sicut ergo datur *materia substantialis*, quæ est prima pars talis compositi; sic etiam *forma substantialis* admitti debet, quæ vltimate compositum constituit. *Secundò* si non daretur *forma substantialis*, res substantiales, v. g. *homo & brutum*, non differrent substantialiter; quia non differunt per materiam, quæ est eadem *specie* in omnibus corporibus; nec differunt substantialiter per accidentia, quæ sunt extrinseca substantiæ: ergo debet admitti *forma substantialis*: quà res diuersæ differant substantialiter, quales sunt forma equi, forma leonis, & hominis. *Tertiò* quando aliquid generatur non acquirit formam accidentalem duntaxat, aliàs aqua, quæ de frigida fit calida, generaretur; sed acquirit formam substantialem, vt patet de materia ligni, quæ per combustionem acquirit formam ignis: ergo datur forma substantialis. *Quartò* accidentia contraria in mixtis corporibus cum pace conseruantur, saltem in gradu inæquali, v. g. *in homine*; sed hoc non posset fieri, nisi admitteretur aliqua forma superior & substantialis, quæ ipsa accidentia conseruet; ergo. *Quintò* ex materia & forma fit compositum, quod est vnum *per se*; quia sunt entia incompleta eiusdem generis substantialis, quorum vnum est potentia, & aliud est actus; sed si forma compositi esset tantùm accidentalis, ex ipsa cum materia fieret vnum *per accidens*, quia ex subiecto & accidente *vnum per accidens* resultat: ergo datur forma substantialis.

Confirmatur vlteriùs nostra conclusio. Per diuersas operationes à diuersis agentibus prodeuntes debent colligi diuersæ formæ substantiales, quandoquidem ex Scoto 7. *Metaph. quæst. 6.* formæ cognoscuntur per operationes sensibiles, sicut materia per transmutationem; sed nemo dubitat, quin ignis & aqua habeant diuersas operationes, quandoquidem ignis prodis-

ducit ignem & aqua aquam : ergo in igne, aqua, & similibus sunt diuersę formæ substantiales. *Si dicatur* quòd differentia formarum accidentalium sufficiat ad saluandas diuersas operationes in agentibus; quandoquidem ignis calefacit per calorem, & aqua frigefacit per frigiditatem, quæ sunt formæ accidentales. *Responderi* debet quòd ignis non producat ignem per calorem, cùm per eum tantummodo calefaciat, quæ est actio accidentalis; sed per principium ignitiuum, quod est forma substantialis ignis: sic dicendum est de aqua, & proinde salua manebit nostra ratio, in qua *concludimus diuersas formas substantiales ex diuersis actionibus substantialibus*; proindeque sufficienter stabilita est existentia *formæ substantialis:* Conformiter ad determinationem fidei in Concilio Laternensi sub Leone decimo *sess.* & in Vienn sub Clem. V. *de summ. Trin. paragrapho* 2. in quibus determinatum est *animam rationalem esse per se & essentialiter formam hominis*. Quod idem dicendum est de reliquis animantibus, & alijs corporibus mixtis, iuxta id quod habetur Gen. 1. *Producat terra animam viuentem*.

Obijcies 1. ex Galeno formam rerum naturalium esse temperiem quatuor qualitatum, quæ ingrediuntur mixtorum compositionem; sed illud temperamentum est quid accidentale, quod modò adest, & modò abest: ergo non est admittenda forma substantialis. Quod confirmare videtur Aristoteles 2. *de Gen. cap. 7. & 8.* vbi scribit formas elementorum esse primas qualitates. Quod idem debet dici de formis mixtorum. *Resp.* negari debere Galenum, ob rationes quas attulimus. Quando autem dicit, in probationem suæ opinionis, illam esse formam rerum naturalium, quâ positâ res ponitur, & quâ ablatâ tollitur res, quod verificatur de qualitatum temperie: negánda est talis allegatio, quia positâ ligni approximatione ad ignem fit combustio; & ea ablata tollitur, nemo tamen dixerit, combustionem esse formam comburentem lignum. *Adde* quòd sæpissime muteretur temperies, attamen res naturales non pereunt; vt patet de aqua, quæ perseuerat etiam cum calore intenso. Quantùm ad Aristotelem, vsurpat primas qualitates, quæ sunt proprietates elementorum, pro formis substantialibus, quæ nos latent; sicut frequenter quantitatem definit per diuisibilitatem, quæ est illius proprietas.

Obij-

Obijcies 2. forma quæ est in subiecto & à subiecto dependet *in fieri & in conseruari*, debet dici accidentalis; sed omnes formę mixtorum sunt in materia, & ab illa dependent in fieri & conseruari: ergo non debemus illas vocare *substantiales*, quandoquidem *substantia non est in subiecto*, vt docet Arist. *in antepræd.* *Resp.* quod est in subiecto *inhæsionis* non esse substantiam; quod autem est in subiecto *informationis* potest esse substantia; sed forma, quam vocamus substantialem, est quidem in subiecto *informationis*, quia materiam informat: non est verò in subiecto *inhæsionis*, quia, vt aliquid sit subiectum *inhæsionis*, debet esse completum in se, quod dici non potest de materia, quæ cùm sit ens incompletum exigit formam per quam, perficiatur: vnde ex materia & forma sic vnitis resurgit vnum *per se*, quia pertinent ad idem prædicamentum, nempè ad categoriam substantiæ. Quòd si Aristoteles 1.*phys. tex.* 69. comparet formas naturales artificialibus quæ sunt accidentales; paritas in hoc stat, quòd sicut artifex educit formas artificiales de subiecto præexistenti, nempe de ligno, sic agens naturale educit formam *substantialem* naturalem de materia.

Obijcies 3. Si datur forma substantialis in composito, quæ per generationem producatur; aut præexistit in materia, aut non; si præexistit, non fit generatio; existens enim non generatur denuò; si non præexistit, ergo creatur; quia producitur de nihilo; cùm ergo neutrum dici possit de forma substantiali, proinde non datur forma substantialis. *Resp.* quòd formæ substantiales non præexistunt actu in materia, aliàs non dicerentur generari; sed præexistunt in potentia, nec dicendum est quòd creentur tales formæ; quia licèt producantur ex *nihilo sui*, non tamen producuntur ex *nihilo materiæ*, ex cuius sinu educuntur virtute agentium naturalium: vt alibi iam ante dictum est. *Adde* quòd forma propriè non generetur, sed compositum.

QVÆSTIO II.

Quid sit Forma Substantialis.

FOrma in communi describitur *id quo res determinatur ad certum essendi modum*, quæ descriptio adaptari potest formis artificiali, accidentali & substātiali;

si

si enim ex industria artificis ex marmore producatur effigies Cæsaris,talis forma,quę marmor determinat ad certum modum repræsentandi, vocatur *forma artificialis*. Si paries aliquis dealbetur, dicitur recipere *formam accidentalem*, qua paries determinatur ad *esse album*. Si denique materia prima, quæ dicitur primum principium rerum naturalium, recipiat formam hominis aut equi, tunc equinitas, vel humanitas, dicuntur *formæ substantiales*; quia determinant materiā primam ad *esse substantiale* equi vel hominis: & sic forma in genere benè describitur *id quo res determinatur ad certum essendi modum*. Quia autem nobis loquendum est de *forma substantiali rerum naturalium*, accuratiorem de illa debemus afferre definitionem.

CONCLVSIO.

FOrma *substantialis est actus primus, simplex, formalis, substantialis, vnum per se cum materia constituens*, ex Scoto *in 4. dist. 11. quæst. 3.* dicitur primò *actus*; id est, *physicus*, ad distinctionem materiæ, quæ est quidem actus metaphysicus,sed potentia physica. Per eandem particulam distinguitur forma à composito,quòd non est actus,sed quid ex actu & potentia constitutum. Dicitur 2. *actus primus*; ad differentiam existentiæ,quæ est actus vltimus entis:& ad differētiam formarum accidentalium, quæ sunt actus secundarij præsupponentes formam substantialem, quæ cum materia facit compositum, quod accidentia recipit. Dicitur 3. *simplex*; quæ particula formam distinguit à composito, quod ex partibus vnitis componitur. Dicitur 4. *formalis*; per quòd forma secernitur à materia, quę licèt sit pars substantialis compositi,illi tamen non dat esse formale & specificum, vti facit forma. Additur *substantialis*, quod vlterius distinguit formam ab accidentibus, quæ subiectum afficiunt tantùm extrinsecè. Adiungitur denique *vnum per se cum materia constituens*; in quo forma distinguitur à Deo & Angelis, qui sunt actus simplices & substantiales, sed non ingrediuntur compositionem corporis naturalis. Per hoc etiam distinguitur forma substātialis ab artificiali,quę non facit vnum *per se* cum materia, sed vnum *per accidens*; quoniam ipsa est accidentalis & extrinseca. Distinguitur insuper per eandem particulam forma

sub-

substantialis à forma *assistente*, qualis est Angelus; qui aliquando possidet corpus mortuum, & illud facit operari: protunc enim talis forma *assistens* non facit vnum per se cum corpore cui assistit, & quod mouet, sed vnum per accidens.

Alij aliter definiunt formam substantialem, sed omnes illæ definitiones conueniunt substantialiter cum præcedenti. Notari tamen debet præ cæteris ea, quam affert Aristoteles 2. *phys. tex.* 28. vbi docet *quòd forma sit ratio quidditatis, & essentiæ:* nam quælibet res est talis per suam formam substantialem, quæ est fons & radix totius quidditatis, seu omnium proprietatum, & actionum rei. Id enim *quod est primum in aliquo est causa omnium proprietatum, & actionum accidentalium, quæ sunt quid secundatium, & minus principale in illo*. Cùm autem *operari sequatur esse*, & in tantùm aliquid agat in quantùm est actu; ideo sicut forma est actus primus essendi, ita est primum, & radicale principium operandi. Huius ratio ex sublimiori principio repeti potest, nempè ex eo quòd per formam substantialem, quæ est actus simplex, quælibet res participet naturam diuinam, ipsaque forma sit deriuatio, & imitatio *purissimi actus, qui Deus est*; cum autem Deus non solum sit in se perfectus per suam entitatem, sed etiam per suas operationes: sic forma substantialis debet habere hanc conuenientiam cum illo, quòd det rei quam componit, tum modum essendi, tum modum operandi.

Cùm autem sunt duo operationum genera in Deo, vnum principalius *ad intra*, quo se cognoscit, & amat, & alia omnia in se, & aliud minus principale *ad extra*, quo producit suas creaturas, quibus suas diffundit perfectiones, vt eas sibi assimilet, quantùm patitur earum conditio: hanc duplicem operandi rationem ita distribuit formis substantialibus, vt primam operationem, quæ est nobilior, & immanens, conferat formis nobilioribus, & spiritualibus, quales sunt Angeli; qui licèt non possint se diffundere *ad extra*, producendo alios Angelos, possunt tamen se, & alia, imò, & Deum ipsum cognoscere, quod est nobilissimum operandi genus; quod etiam communicatur à Deo animæ rationali. Quantùm ad aliam operandi rationem, quæ est minùs principalis, & imperfectior, illam tribuit Deus formis ignobilioribus, & corporeis, quę licèt cognitione careant, vtrumque tamen hoc participant à

Deo,

Deo, quòd in ſe ſeu in ſua entitate perfectę ſint, & quòd hanc perfectionem poſſint diffundere *ad extra*, producendo ſibi ſimile; vnde Athanaſius ſerm. 3. geſtorum concilij Nicæni dicit *Deum dediſſe omnibus naturam ſimilium propagatiuam*. Virtute huius conceſſionis D. quā Deus fecit formis ſubſtantialibus; agentia corporea ſuam formam ſubſtantialem diffunduntur; dum ignis v. g. ſibi ſimile, producit per combuſtionem, planta ſe ipſa propagat per ſemen, animal multiplicat ſuam ſpeciem per generationem, & quòdlibet agentium corporeorum naturalium generat ſibi ſimile: quod ſufficienter probat formam ſubſtantialem nedum dare rei quam conſtituit peculiarem eſſendi modum, ſed etiam illi tribuere operandi virtutem, & vim ſibi aſſimilandi effectus, quantùm poſſibile eſt; proindèque *iure diximus formam ſubſtantialem eſſe radicem eſſendi, & operandi*.

Quòd ſi videamus ſolem non producere ſolem, neque lunam generare lunam, nec aſtra cauſare aſtra, licèt habeant ſuas formas ſubſtantiales, quas diximus eſſe aſſimilatiuas effectuum; *Reſpondendum* eſt nos conſulto dixiſſe hoc fieri *quantùm poſsibile eſt*, quia enim cauſæ ſecundę non poſſunt agere niſi in materiam, quæ diſpoſitionem habeat ad recipiendam talem vel talem formam ſimilem ſuæ cauſæ; ideò corpora ſublunaria producunt effectus ſibi ſimiles, quoniam materia ſupra quam agunt poteſt recipere ſimilem formam, & ideò quercus poteſt generare quercum, planta plantam, & homo hominem; quia materia horum effectuum, vt potè ſublunaris, eſt capax talis alterationis & generationis, & fieri poteſt arbor, planta, homo, & aliud ſimile; Materia autem circa quam agunt ſol, luna, & alia ſidera, non eſt capax talium formarum cœleſtium, & ideò, licèt talia agentia poſſint operari, & ſibi aſſimilare effectus productos, iuxta vim ſibi inditam à forma ſubſtantiali; non tamen illos ſibi aſſimilant *formaliter*, defectu materię aptæ ad tales formas, ſed tantùm *analogicè*, producendo aliquid ſimile ſibi, non in ſubſtantia, ſed in qualitatibus; vnde ſol producit aurum, vt aliquid imperfectè accedens ad ſuam ſimilitudinem ratione lucis, luna argentum ſimilis candoris, & ſtellæ lapides pretioſos qui accedunt ad illarum fulgorem: & ſic redeundo ad formam ſubſtantialem, apparet *quòd ſit radix omnium proprietatum, & operationum rei, cuius eſt forma*.

Obijcies *esse actus materiæ*, est quid relatiuum; sed forma, quę est ens absolutum, non legitimè definitur per relationem: ergo non benè definitur forma, dicendo quòd sit actus materiæ. *Resp.* relationem non debere ingredi definitionem entis absoluti, si ens absolutum sit quid completum; si verò sit quid incompletum, vt in proposito, vbi materia, & forma sunt entia incompleta, nil vetat, si respectus materiæ includatur in definitione formæ, & viciſsim: quia licèt materię, & formæ entitates sint quid absolutum in se, connotant tamen relationem ad se se inuicem, & ad compositum. *Si dicatur* formam substantialem esse quid simplex, & ens simplex non posse definiri. *Resp.* formam esse quid simplex, simplicitate *physica*, quia non componitur physicè; non est tamen simplex simplicitate *metaphysica*, quandoquidem constat genere, & differentia saltem impropriè, quæ sunt partes metaphysicę: pro genere enim habet substantiam, cuius est species incompleta, & pro differentia habet alias particulas definitionis, quæ formam faciunt differre à materia, à composito, à forma accidentali, ab artificiali, & ab Angelis.

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit Forma.

NOn sumus hic loquuturi de diuisione formæ substantialis specialiter sumptę, quia cùm in definitione illius dixerimus eam esse quid simplex, proinde non potest diuidi in species; cùm simplicitas distributionem impediat: sed intendimus distribuere formam vniuersaliter sumptam in inferiores scilicet formas, quæ illi subsunt.

CONCLVSIO.

F*Orma multipliciter diuiditur. Primò* in extrinsecam & intrinsecam. *Extrinseca* est ea ad cuius imitationem res extrinseca efficitur; talis est idea in mente architecti existens, ad cuius imitationem construitur domus. Forma *intrinseca* ea est, quæ tribuit effectui *suum esse* per communicationem propriæ entitatis, & non per nudam imitationem; sic homo generans com-

muni-

municat homini genito suam formam intrinsecam eandem specie.

Secundò forma intrinseca diuiditur in subsistentem, & informantem. Forma *subsistens* est ea, quæ de se potest sustinere suam entitatem, & existere sine subiecto; sic Angeli sunt formæ subsistentes, quæ per se, & sine commercio subiecti existunt. Forma *informans* est ea, quæ requirit subiectum in quo inhæret; vt virtus, quæ inhæret animæ tanquam subiecto, & reddit seu constituit hominem virtuosum.

Tertiò forma informans subdiuiditur in naturalem & artificialem. Forma *artificialis* ea est, quæ producitur ab agente artificiali, vt forma statuæ à statuario. Forma *naturalis* est illa, quæ ab agente naturali producitur; vt forma vermis à sole, ignis ab igne, & hominis ab homine.

Quartò forma naturalis diuiditur in substantialem, & accidentalem. *Substantialis* est ea, quæ dat *esse substantiale* rei cui inest, & constituit vnum *per se* cum materia; tales sunt formæ corporeitatis, & humanitatis, quæ dant *esse* corpori, & homini, & quæ faciunt quid *per se vnum*. Forma *accidentalis* ea est, quæ dat *esse accidentale* rei, quam afficit, & facit *vnum per accidens* cum ea; vt albedo; quæ parieti dat *esse album*, quod est ens per accidens.

Quintò forma substantialis diuiditur in informantem & assistentem. Forma *informans* est ea, quæ dat *esse* rei, & mouet ab intrinseco subiectum in quo est, vt anima rationalis, quæ dat *esse* homini, & mouet corpus quod informat. *Assistens* est ea, quæ non dat *esse* rei, sed tantùm illi assistit, & operatur aliquid circa illam; vt quando Angeli mouent cœlos, vel possident corpus, vocantur *formæ assistentes*; sicut nauta, & auriga, qui dirigunt nauim & currum, dicuntur esse assistentes illorum formę.

Sextò formarum substantialium alia est *separabilis à materia*, vt anima rationalis, quę cùm à materia non dependeat *in fieri*, non pendet etiam ab illa *in conseruari*; vnde à corpore separata existere potest: aliæ sunt *inseparabiles à materia*, quæ ab illa dependent *in fieri*, *& in conseruari*; vt omnes formæ materiales brutorum, arborum, metallorum, elementorum, & similium.

Porro formarum aliæ dant *esse tantùm*, vt lapidum me-

metallorum, & elementorum formæ. Aliæ dant *esse*, *& vitam vegetatiuam*, vt formæ arborum, & plantarum. Aliæ dant *esse*, *vitam vegetatiuam*, *& vitam sensitiuam*; vt animantium formæ, denique dant *esse*, *vitam vegetatiuam*, *vitam sensitiuam*, & *insuper intellectiuam*; vt anima rationalis, quæ est hominis forma.

Has celebriores diuisiones formæ vna voce admittunt omnes philosophi, excepto vno Carthesio, qui Epicuri phantasticas delirationes restaurare tentans hoc sæculo, *gratis*, imò *ineptè*, reiicit formæ substantialis existentiam, sibi fingendo omnia entium genera distingui tantùm, & constitui per diuersam atomorum congeriem, nòn verò per vllas formas essentialiter. Quasi verò contra communem, & ordinariam sensatorum mentem liceat phantastico cuidam homini è medio tollere distinctionem essentialem rerum, generationem substantialem corporum, & eorum corruptionem, sicut, & operationes internas omnium animantium, quas contendit non esse à motu proprio illorum, sed à motu externo, quem Deus aut Intelligentiæ illis impresserunt: quæ tamen omnia sequuntur ex opinione Carthesij, cuius *somnia* ex se ipsis ita de facili euanescunt, vt inutile, & frustraneum foret terere tempus in allegatione rationum, quæ *falsi*, *& erronei*, conuincerent talem atomorum restauratorem; cuius sanè opinio omnibus videbitur, ni fallor, parum conformis veritatibus nostræ fidei, vt ostendimus in capite de principijs rerum naturalium.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Formæ Substantiales corporum educantur de Potentia Materiæ.

DE formarum origine tres reperiuntur opiniones apud philosophos. Anaxagoras enim primò cum sectatoribus suis voluit omnes formas esse *ab extrinseco*, & præextitisse in materia, occultas tamen, & confusas, & virtute agentium naturalium ex delitescentibus fieri apparentes, & distinctas. Platonici, iuxta magistri mentem in Phędone, existimarunt formas particulares quorumlibet entium promanare *ab extrinseco*, nempè ab ideis, tanquàm à causis vniuersalibus, ad quarum imitationem producuntur, Peripatetici autem eas volunt

sunt orlri *partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco*. Ab intrinseco quidem dicunt eas procedere, quia supponuntur contineri potentialiter in materia ante generationem; ortum verò ducere ab extrinseco, quatenus vi agentium naturalium de materiæ sinu educuntur. Hoc vt clariùs pateat

Notandum est, quòd *eductio* sit actio opposita creationi; sicut enim creatio consistit in productione rei ex nihilo,& independenter à subiecto, ita eductio est actio qua res producitur ex subiecto à quo dependet *in fieri, & in conseruari*. In eductione ergo tria considerantur, nempè *id quod educitur*, & est *forma*; *id ex quo educitur*, & est *materia*. & *illud à quo forma educitur*, & est *agens naturale*, quod formam ex materia educit. Ad eductionem duæ conditiones requiruntur, *primò* vt forma quæ educitur dependeat in fieri, & in conseruari à materia, & *secundò* vt potentia quam habet materia ad illam formam sit naturalis, & non obedientialis tantùm.

Potentia naturalis ea est, qua respicit virtutem naturalem agentis, & eiusdem ordinis; sic lignum dicitur habere potentiam naturalem ad recipiendam formam ignis: quia illam recipit ab agente naturali, quod est eiusdem ordinis, nempè ab igne. *Potentia obedientialis est, qua respicit agens supernaturale, vel superioris ordinis, à quo recipit formam*; sic potentia quam habet anima ad recipiendam gratiam à Deo, est obedientialis; quia Deus est agens supernaturale: sic etiam potentia quam habet lignum ad recipiendam formam statuæ est obedientialis,quia statuarius non est agens naturale,sed artificiale, & superioris ordinis ad statuam. Hæc præsens quæstio procedit de formis *substantialibus* omnium corporum, tum sublunarium, tum cœlestium, sicut etiam de forma hominis, & de formis accidentalibus: quæ omnia resoluentur per conclusiones diuersas.

CONCLVSIO PRIMA.

F*Ormæ substantiales mixtorum corporum educuntur de potentia materiæ*. Sic Scotus *in 2. dist. 12. quæst.* 1. & in 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. Notanter dixi *formæ substantiales corporum mixtorum* quia, maioris distinctionis causa, loquimur tantùm in quæstione de formis materialibus sublunarium corporum, quæ mixta vocantur,

tur, vtpotè composita ex quatuor elementis. Ad sequentem verò quæstionem remittimus examen faciendum de corporibus simplicibus, quæ sunt cœli & elementa, quæ componuntur quidem ex materia & forma, sed non constituuntur per commixtionem elementorum.

Probatur conclusio nostra. Illæ formæ educuntur de potentia materiæ, quæ pendent à materia *in fieri & in conseruari*; sed formæ materiales mixtorum dependent à materia in fieri & in conseruari: ergo educuntur de potentia materiæ. Dependent, inquam, primò à materia *in fieri*, quia materia concurrit ad earum productionem, vt causa materialis subiectiua; & dependent à materia *in conseruari*, quia *ablata materia auferuntur omnes formæ substantiales materiales*; & sic dependent à materia *in fieri & in conseruari*. Deinde ita ratiocinari debemus de forma naturali, sicuti de forma artificiali, vt docet Aristoteles 1. *phys. text. 69.* forma artificialis educitur de præiacente materia, vt forma regis ex auro vel argento: ergo forma naturalis producitur etiam ex subiecto, seu educitur ex materia. *Tandem* res quælibet non potest produci, nisi per creationem, quæ fit ex nihilo: vel per eductionem, quæ supponit subiectum; sed forma non fit per creationem, quod competit soli materiæ: ergo fit per eductionem de potentia materię.

Obijcies. Quod continet aliud est actu in illo, vt patet de crumena continente pecuniam: ergo, si materia contineat formam, quæ ex illa educitur, erit actu in materia. ergo formæ substantiales corporeæ sunt *ab intrinseco*, contra id quod diximus in annotatione quæstionis, & aduersus conclusionem. *Resp.* quòd continetur in aliquo est *actu* in illo, si contineatur *actualiter*, vt vinum in dolio, vel argentum in crumena; non verò est *actu*, si contineatur tantùm *potentialiter & virtualiter*, vt forma in subiecto, vel ignis in silice. *Dices* præstantius non educitur ex ignobiliori, sed forma est præstantior materià: ergo ex materia non educitur forma. *Resp.* neg. mai. cum aurum ex terra, corallium ex aqua, & frumentum viuum ex grano frumenti mortuo producantur. *Dices* formæ substantiales non dependent à materia, sed solæ accidentales, vt innuit Scotus quodlib. 9. *Resp.* formæ substantiales non dependent à materia, tanquam à subiecto *inhæsionis*; concedo; tanquam à subiecto *informationis*, nego:

for-

formæ enim ſubſtantiales corporeæ ita dependent à materia, vt ſine illa nec fieri nec conſeruari valeant.

CONCLVSIO SECVNDA.

Forma cœlorum & elementorum educta fuerunt de potentia materia, in prima rerum productione. Hæc concluſio eſt contra D. Thomam 1. *p. quæſt.* 65. *art.* 4. vbi inquit quòd in prima productione creaturæ corporalis non conſideretur aliqua tranſmutatio de potentia in actum: ita, quòd, licèt rerum genitarum formę educantur de potentia materiæ, attamen illa compoſita quæ à Deo immediatè creata ſunt, vt cœli & elementa, habeant ſuam materiam & ſuam formam ab ipſo Deo creatas, iuxta id quod habetur Gen. 1. *in principio Deus creauit cœlum & terram*; vbi per *cœlum* intelliguntur corpora cœleſtia, & per *terram* intelligitur maſſa elementaris.

Quod forma cœlorum in mundi principio educta fuerint de potentia materia docet Scotus *in* 2. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. Illud enim quod dependet à materia in *fieri & in conſeruari*, educitur de potentia materiæ, cum in hoc conſiſtit talis eductio; ſed formæ cœlorum dependent à materia *in fieri & in conſeruari*, ſi enim forent à materia independentes, eſſent incorruptibiles, veluti anima rationalis, quod *erroneum* eſt dicere: ergo formę cœlorum eductę fuerunt de potentia materiæ, ita quod materia cœlorum priùs natura fuerit creata, quàm ornaretur ſua forma, vt tradunt Aug. 12. *Confeſſ. cap.* 7. & 8. & Scotus *in* 2. *diſt.* 12. *quæſt.* 1.

Quod forma etiam elementorum in prima ſui productione educta fuerint etiam de potentia materia, colligitur ex eodem Scoto præallegato; quandoquidem pari ratione formæ elementorum cenſeri debent eductę ad potentia materiæ, quòd dependeant à materia, tum *in fieri*, tum *in conſeruari*. Quando ergo de cœlis & de elementis dicitur Gen. 1. *in principio Deus creauit cœlum & terram*; ibi *creare* ſumitur non *ſtrictè*, pro productione rei ex nihilo; ſed *latè*, pro formatione rei, quo ſenſu poſtquam dictum eſt de homine, *creauit Deus hominem*, poſt modum *cap.* 2. ſubiungitur *formauit Deus hominem de limo terra*. Quia ergo Deus eodem inſtanti temporis *ſimul* produxit cœlos & elementa, quæ creata ſunt ſecundùm materiam, ideò de cœlo &

ele-

elementis dicitur simpliciter, *quòd creauit cælum & terram*. Est tamen hæc distinctio inter materiam & formam cœlorum & elementorum, quòd materia ipsorum producta fuerit *ex nihilo*; forma verò fuerit educta *de potentia materiæ*.

Obijcies. Corpora cœlestia & elementaria vnica actione producta fuerunt secundùm materiam & secundùm formam, simpliciter enim vocantur *cœli & terra*; quod denotat eorum materiam & formam *simul*: ergo, si actio Dei fuerit creatiua respectu materiæ cœlorum & elementorum, fuit etiam talis respectu illorum formæ; & sic tales formę *creatæ* fuerunt, non verò *eductæ*. *Resp.* negando antecedens, fuerunt enim duæ actiones Dei in prima productione rerum, quarum vna fuit *creatiua* materiæ, & alia fuit *eductiua* formæ. Licèt inquam hæ actiones fuerint in eodem *instanti temporis*, non fuerunt tamen in eodem *instanti naturæ*, quia priùs natura materia producta fuit, deinde forma educta est de potentia materiæ, ac denique totum compositum ex illis partibus resultauit; de quo dicitur quidem, quòd fuerit *creatum*: sed hoc intelligi debet præcisè quantùm ad materiam, non verò quantùm ad formam. *Si quæratur autem an eductio formæ sit idem cum vnione ipsius ad materiam*; respondendum est negatiuè, quia eductio præcedit vnionem, & extrema vnibilia supponuntur esse antequam vniantur.

CONCLVSIO TERTIA.

Anima rationalis, quæ est hominis forma substantialis, non educitur de potentia maetria, sed suum esse habet per creationem à Deo, qui eam in mente Augustini *infundendo creat, & creando infundit*. Ratio Ecclesiæ est anima non dependet à corpore, cùm è corpore separata subsistere possit, vt docet fides catholica. Deinde quælibet res maximè cognoscitur ex suis operationibus, quandoquidem *ad esse sequitur operari*; sed anima rationalis habet operationes, quę excedunt potentiam materialem corporis, nempè *intelligere & velle*, quæ sunt actiones substantiarum immaterialium: ergo anima rationalis non dependet à materia, nec proinde de eius potentia educitur.

Obijcies. Producens vltimam dispositionem ad aliquam formam introducendam dicitur illam formam pro-

producere ; ſed homo producit vltimam diſpoſitionem ad introducendam animam rationalem , nempè organiſationem corporis : ergo animam producit , quæ proinde non habet à Deo *eſſe* per creationem . *Reſp.* diſtinguendo maiorem, ſi vltima diſpoſitio illa ſit neceſſitans ad introducendam formam : concedo : ſi non ſit neceſſitans, nego . Nulla autem eſt diſpoſitio, quæ Deum neceſſitet ad infundendam animam rationalem ; quoniam poſitâ quacumque organiſatione corporis, Deus poteſt animam non infundere & ſic homo illam organiſationem pnoducens non debet dici producere animam . *Dices.* Si homo non producat formam hominis, non debet dici generare hominem , qui conſtat ex anima & corpore . *Reſp.* dici generare hominem, quia producit corpus, & in corpore perfectam organiſationem, qua poſita Deus de lege communi ſuæ voluntatis infundit animam. Nec propterea dici debet hominem eſſe peioris conditionis quàm agentia naturalia, quæ producunt formam : hoc enim non procedit ex imperfectione hominis agentis, ſed ex perfectione animę rationalis, quæ tanta eſt, vt à ſolo à Deo poſſit produci.

Obijcies 2. animam rationalem vniri materię, quod denotat illam dependere à materia ; & ſic ab illa educi . *Reſp.* animam rationalem vniri reuerà materię, ſed hoc non procedit ex dependentia illius à materia, quandoquidem Deus potuit illam creare & non infundere corpori;ſicut ſeparata exiſtit poſtquam informauit corpus : ſi ergo corpori vniatur, hoc prouenit tantùm ex voluntate Dei, qui decreuit animam rationalem eſſe corpori communicabilem, vt Deus coniungeret extrema per media quędam proportionem habentia, inquit D. Dionyſ. ita quòd ſicut reperiuntur formę purè ſpirituales ; quæ nec à materia dependent, nec ipſi poſſunt vniri, quales ſunt Angeli ; & formę purè materiales, quę materię vniuntur, & ab illa dependent in *ſuo eſſe*, vt formę corporum : ſic etiam reperirentur formę quędam medię , animæ ſcilicet rationales , quę poſſent eſſe ſine materia , & ab ea non dependerent vt Angeli, quæ tamen poſſent informare materiam, ſicut & alię f.rmę corporales.

Obijcies *educi de potentia materiæ* , eſt fieri *actu* in materia, vbi antea non erat ; ſed anima rationalis fit *actu* in corpore organiſato ; ergo educitur de potentia il-

illius. Resp. *educi de materia*, non esse fieri in materia, sed ex materia: licèt ergo anima rationalis fiat in corpore, non tamen fit ex corpore: cùm nullam causalitatem habeat corpus circa animam rationalem. *Dices* materia corporis humani habet potentiam passiuam ad animam rationalem, quæ ipsi naturalis est: ergo potest illam recipere ab agente naturali, & consequenter non est à Deo per creationem. *Respondeo*, materiam corporis humani non habere potentiam naturalem ad receptionem animæ rationalis, sed obedientialem tantùm; quia non potest talem animam recipere ab agente naturali, sed *à solo Deo, qui est supernaturalis ordinis*.

CONCLVSIO QVARTA.

F*Ormæ accidentales educuntur de potentia materiæ, vel potiùs de potentia subiecti, quod est totum compositum, in quo subiectantur formæ accidentales*. Sic Scotus *in 4. dist. 1. quæst. 2.* Omnis enim forma accidentalis pendet *in fieri & in conseruari* à subiecto cuius est accidens, in quo consistit ratio eductionis. Aliter tamen ratocinandum est de accidente naturali, vt de albedine, quantitate; & aliter de accidente supernaturali, vt de fide, spe, & charitate, gratia, & similibus, priora enim illa accidentia educuntur de potentia subiecti, à quo naturaliter prodeunt, aut ab alio extrinseco producuntur dependenter à subiecto, vt patet de quantitate, quæ resultat ex corpore; & de calore quem ignis producit in aqua, qui calor educitur de potentia ignis, & transmittitur in aquam, quæ est in potentia, vt transmutetur à frigiditate ad caliditatem. Posteriora verò accidentia, quę supernaturalia sunt, non educuntur de potentia animæ, sed immediatè producuntur à Deo per creationem; cùm ab illo fiunt independenter à materia & subiecto, iuxta id quod habetur Psal. 83. *gratiam & gloriam dabit* Dominus, quòd si *dicatur* in assertum præcedens, habitus supernaturales, cùm sint accidentia, quorum *totum esse est ad aliud se habere*, non creari à Deo, sed à subiecto dependere, & proinde educi de potentia animæ: *Respondendum* est talia accidentia supernaturalia pendere quidem à subiecto, quatenus extra subiectum non possunt esse aut conseruari; non verò sic subiecto dependere, quòd ex eius potentia educantur, imò, non alia ratione di-

cuntur supernaturalia, nisi quia à Deo solo sunt per creationem.

Quantùm ad formas artificiales, educuntur similiter de potentia subiectorum, ex quibus extrahuntur, & in quibus subiectantur. Aristoteles enim *1. phys. tex. 69.* comparat formas artificiales naturalibus; sed formę naturales educuntur de potentia subiecti: ergo & artificiales. Ars enim nihil potest moliri, nisi ex præiacente subiecto; vt experientià communi probatur. *Quantùm denique ad formas accidentales intensionales*, eodem modo respondendum est ac de formis accidentalibus realibus; quòd scilicèt forma intentionalis educatur de potentia subiecti, v.g. lumen de potentia solis, quo illuminantur corpora illi exposita. In hoc autem distinguuntur accidentia realia ab intentionalibus, quòd realia sensibus percipiantur, vt albedo parietis, aut calor ignis; accidentia verò intentionalia non percipiuntur, sed sunt media quibus percipiuntur obiecta: licèt enim per se non videatur lumen, est tamen ratio videndi corpus illuminatum. Lumen ergo in sole, est quidem accidens reale in ipso, eductum de potentia solis, est autem accidens intentionale in corporibus quæ illuminat.

QVÆSTIO V.

Vtrum forma possit existere sine materia.

SIcut diximus antea quòd materia sit actus metaphysicus habens essentiam, existentiam & subsistentiam; forma proinde, quæ longè nobilior est materià, hæc omnia habere debet: vnde dicẽdum est quòd forma habeat suam essentiam; quandoquidem ipsa definitur: quòd habeat suam existentiam, quoniam est entitas positiua à materia independens: & quòd habeat subsistentiam, cùm sit substantia saltem incompleta, & omnis substantia dicatur per se subsistere. Quæritur autem hìc vtrùm forma possit à materia separari, & separata existere, per potentiam naturalem, aut supernaturalem.

CONCLVSIO.

NOn potest forma materialis naturaliter existere sine forma, benè autem supernaturaliter. Dixi, forma ma-

materialis; quia forma spiritualis, nempè rationalis anima naturaliter separatur à corpore. *Prima* pars huius conclusionis colligitur ex Arist. 8. *met. tex.* 3. vbi asserit formam esse tantùm ratione à materia separabilem: ergo naturaliter non potest actu separari à materia. *Deinde*, quod pendet ab alio *in fieri & in conseruari*, non potest existere sine illo; sed iuxta mentem omnium, forma materialis *in fieri & in conseruari* dependet à materia: ergo non potest sine illa existere naturaliter. *Tandem generatio vnius est corruptio alterius*: ergo, quando vna forma accedit per generationem compositi, alia perit naturaliter; & sic forma non remanet naturaliter, nec existit sine materia. Dixi, *quòd forma recedat per generationem compositi*: quia non est ipsa forma quæ generatur, sed totum compositum, quod transit de non esse tali ad esse tale, de hac scilicet forma ad illam.

Probatur *secunda* pars, quia per potentiam D. materia potest esse sine forma, vt probauimus: ergo diuinitus etiam forma poterit esse sine materia, habent enim entitates distinctas, licèt incompletas & imperfectas. *Deinde* non minus dependet accidens à subiecto, quàm forma à materia, sicut enim recipitur accidens in subiecto, sic forma in materia; sed accidens separatur à subiecto in Eucharistia: ergo per potentiam D. poterit similiter forma esse sine materia. *Tandem* si forma non posset esse sine materia, hoc repugnaret, vel ex parte formæ, vt forma est; vel ex parte formæ, vt est materialis & corporea; vel ex parte formæ, vt est substantialis; sed ex illis capitibus non repugnat formam esse sine materia: ergo talis separatio est possibilis *supernaturaliter*. Probatur *primò* nullam esse repugnantiam ex parte formæ, vt forma est, quia accidentia Eucharistiæ sunt formæ, attamen existunt sine subiecto. *Secundò* non est repugnantia ex parte formæ, vt est corporea & materialis; quia eadem accidentia Eucharistiæ quæ separata existunt, sunt corporea, nec denique repugnat ex parte formæ, vt est forma substantialis, quoniam anima rationalis, quæ forma substantialis est, separatur à corpore, & separata conseruatur.

Obijcies contra primam partem. Forma habet essentiam, existentiam, & subsistentiam ex se independenter à materia; sed entitates diuersæ & independentes possunt separatim existere naturaliter: ergo naturaliter

liter potest esse forma sine materia. Resp. distinguendo minorem, entitates diuersæ possunt separatim existere, si sint vltimo completæ & perfectę, concedo, si sint incompletæ & imperfectæ, nego: materia autem & forma habent quidem entitates diuersas, quia entitas materiæ non est entitas formę, sed entitates illæ sunt incompletæ & imperfectę, quę vniri debent ad generationem compositi, & sic ex dispositione D. & ex prę-scripto naturæ vnum non potest esse sine alio. Adde quòd forma educatur de potentia materiæ, & proinde naturaliter pendet à materia *in fieri & in conseruari*, & consequenter forma non potest existere naturaliter sine materia.

Obijcies contra secundam partem. Ratio formarum materialium est *inexistere*, sed formæ non possunt inexistere nisi habeant subiectum in quo sint: ergo formę materiales non possunt diuinitus existere sine materia. Resp. esse formarum materialium est *inexistere*, de lege communi & ordinaria, concedo, quia naturaliter existunt in subiecto: de lege extraordinaria & supernaturali, nego, quia Deus potest loco materiæ sustinere formam. Si enim in sacramento Eucharistiæ possit sustentare formas accidentales, quæ sunt minoris entitatis, à fortiori poterit sustentare formas substantiales materiales, quæ fortiorem & firmiorem habent entitatem. *Dices*, forma illa sic separata diuinitus deberet esse vel materialis, vel spiritualis, inter vtramque enim non datur medium, sed neutrum esset: ergo nec posset separata existere. Primò non esset materialis, quia esset separata ab omni materia, nec spiritualis, alàs non esset eadem forma ac antea erat, quando existebat in corpore. *Resp.* in tali suppositione formam sic separatam debere adhuc dici materialem, quia educta est de potentia materiæ, & naturaliter ordinatur ad componendum totum corporeum & materiale.

QVÆSTIO VI.

Vtrum plures Formæ Substantiales dentur in vna & eadem materia.

FOrmæ substantiales vel sunt *subordinatæ*, quarum vna supponitur & ordinatur ad aliam, vt forma cor-

corporis in homine, forma viuentis, forma sensibilis, forma animalis, ac denique ipsa hominis forma, quæ omnes præcedentes supponuntur ad hanc vltimam, qua vltimò completur & perficitur homo. Vel sunt *disparatæ* seu *vltimæ*, quarum vna nullo modo ad aliam ordinatur; vt forma ligni, ignis, hominis, equi, & similes; quæ ideò *disparatæ* dicuntur, quatenus sunt incompossibiles inter se; & ideo vocantur *vltimæ*, quia vltimò complent & perficiunt hæc composita: quandoquidem homo completè non perficitur, nisi habeat formam corporis, sensitiui, animalis, & hominis: Quæstio proposita triplicem sensum habere potest, nempè de actu, de potentia naturali & de supernaturali potentia. Quærendo scilicet primò *vtrum in vna & eadem materia sint plures formæ substantiales subordinatæ*. Secundò *an plures formæ substantiales vltimæ eandem numero materiam informare possint materialiter*. Tertiò denique *an saltem supernaturaliter tales formæ substantiales disparatæ possint informare eadem numero materiam, seu idem compositum*. Ad tres illas quæstiones totidem conclusiones respondebunt.

CONCLVSIO PRIMA.

D*Væ formæ substantiales subordinatæ existere possunt in eadem materia numero, ita quod homo v.g. habeat simul formam corporis, viuentis, sensitiui, & animalis, cum ipsa hominis forma*. Hæc conclusio ex hoc patet, quòd anima rationali desinente informare hominem per interitum ipsius, materia eius maneat sub aliqua forma substantiali, nempè sub forma corporis: sed illa forma præfuit in materia: ergo eadam numero materia habet plures formas substantiales subordinatas. *Deinde* quando homo sumit alimentum, illud alimentum induit aliquam formam substantialem quando digeritur, quandoquidem *nutritio est conuersio alimenti in substantiam aliti*; sed non induit immediatè formam substantialem animæ rationalis, licèt illam induat mediatè, quando scilicèt vnitum est corpori: ergo induit formam corporis, & sic sunt in homine plures formæ substantiales, quæ existunt in eadem illius materia. *Tandem* homo est homo per formam hominis, & non per formam animalis, & est animal per animalitatem, non verò per formam corporis: ergo in homine sunt plures formæ substantiales.

Obijcies contra primam rationem. Desinente anima rationali ab homine per mortem, producitur forma substantialis cadaueris: ergo materia hominis non manet sub aliqua forma, quæ præexstiterit in homine cum anima rationali, contra id quod diximus. *Resp.* Quòd si hoc esset verum, corpus Christi in sepulchro non fuisset idem numero corpus ac erat viuens, nec eadem caro; quia, sicut formas dat esse, & vna forma vnum esse, ita diuersæ formę dant diuersa esse, & sic, si corpus Christi ante mortem habebat vnum esse ab anima rationali, & post mortem haberet aliud esse à forma cadaueris illi aduenientis, non esset idem corpus Christi mortuum ac viuens; proindéque non fuisset ampliùs vnitum cùm Verbo in triduo mortis, quod est contra fidem catholicam, quæ docet Verbum vnitum fuisse animæ in limbo & corpori in sepulchro.

Obijcies 2. *forma dat esse rei*; sed vna res habet tantùm vnum *esse*: ergo & vnicam formam. Distinguo minorem. Vna res habet tantùm vnum *esse completum*, *& vnam formam completam & vltimam*, habet tamen *plura esse incompleta*, *& plures formas incompletas & subordinatas*: in homine enim aliud est *esse* corporis, animalis, & hominis; sicque sunt in illo totidem formæ. *Si dicatur*, quòd quælibet forma substantialis det *esse completum*: hoc verum est in suo genere, non verò in genere vltimi compositi. Licèt enim corporeitas det *esse completum* homini vt corpus est, non tamen dat illi *perfectum esse*, vt homo. *Dices* si adueniret secunda forma alicui materię præexistentem habenti formam, resultaret vnum per accidens; *quidquid enim aduenit enti in actu, facit vnum per accidens*. *Resp.* hoc verum fore, si forma adueniret enti in actu *completo*; non verò cùm aduenit actui *incompleto*: vnde quia homo non est completus per formam corporis, aut animalis; forma hominis illi aduenniens non facit illum esse ens *per accidens*; quia hæc vltima forma eum vltimatè complet & perficit. Dices *generatio vnius est corruptio alterius*: ergo adueniente secunda forma desinit prima. *Resp.* axioma esse verum de generatione compositi, cui soli propriè competit generatio, non verò de eductione formæ: licèt enim generato vno composito, corrumpatur aliud, vt patet; educta tamen vna forma, non corrumpitur præcedens, vt apparet in homine, qui priùs naturà recipit formam corporis, deinde

de formam viuentis, sentientis, & hominis; quæ omnes formæ simul perseuerant.

CONCLVSIO SECVNDA.

D*Væ formæ substantiales vltimæ, & non subordinatæ eandem numero materiam naturaliter informare non possunt*. Ratio huius petitur tum ex eo quòd vna forma completa & perfecta sufficienter perficiat, & compleat materiam quam informat *actu*; tum ex eo quòd adueniente nouâ formâ substantiali materiæ iam constitutæ per primam formam, efficeretur *vnum per accidens*; tum denique ex eo quòd *generatio vnius sit corruptio alterius*, vt legitur apud Arist. 1. *de gener. cap.* 3. *tex.* 17. & apud Scotum in 2. *dist.* 1. *quæst.* 5. quod nihil aliud indicat, nisi quòd ad generandum nouum compositum, pristina forma expellatur ab agente naturali, vt introducatur recens in eandem materiam; quandoquidem ipsæ formæ vltimæ sunt incompossibiles: & sic apparet quòd naturaliter plures formæ substantiales vltimæ non possint informare eandem *numero* materiam.

Obijcies. In ferro candenti est forma ignis & ferri, quę sunt duæ formæ substantiales completæ, & non subordinatæ. Est, inquam, forma ferri, quia ferrum candens est idem ac antea; est etiam forma ignis, quia in illo videntur omnia ignis accidentia, scilicet calor, splendor, & vis comburendi; quæ denotant formam substantialem ignis ibi subsistere: ergo in eadem materia sunt duæ formæ substantiales completæ, & non subordinatæ.

Respondeo in ferro candenti non tantùm reperiri formam ignis, sed totam ignis substantiam in illo consistere; ita quòd forma ignis informet materiam ignis, & forma ferri informet materiam ferri; non verò forma ignis ferrum informat: sic vna materia non habet plures formas, sed sunt duæ materiæ & duæ formæ, quæ faciunt duo composita, nempè compositum ferri, & compositum ignis. Non quòd ignis diffundatur per totam substantiam ferri, aliàs duo corpora sese inuicem penetrarent naturaliter; sed quòd substantia ignis existat in superficie ferri & in poris illius: cùm enim ignis per suam subtilitatem & tenuitatem sit valdè penetratiuus, adhæret superficiei ferri, & illius poros penetrat, sicut aqua spongiam.

CONCLVSIO TERTIA.

DVæ formæ substantiales vltimæ supernaturaliter nequeunt informare eandem numero materiam . Hæc conclusio, quæ est Scoti *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 16. & *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 7. & *Quodlib.* 9. & cui refragatur Pontius *disp.* 33. *quæst.* 3. *concl.* 2. ex hoc probatur ; quòd inuoluat repugnatiam tum ex parte materiæ , tum ex parte formæ. *Primò* , inquam , videtur esse *repugnantia ex parte materiæ* ; quia , si eadem materia *numero* haberet plures formas vltimas, tunc ea pertineret ad duas diuersas species ; v. g. ad speciem lupi & leonis , si eadem *numero* materia informaretur formâ leonis & lupi, quæ sunt formæ vltimæ ; sed repugnat eandem materiam pertinere ad species diuersas, quia idem compositum esset simul lupus & leo ; quod vlteriùs implicat: ergo ex parte materiæ repugnat eandem materiam *numero* informari per duas formas substantiales vltimas . Probatur incompossibilitas specierum in eadem materia & in eodem composito. Quia si vnum ens esset simul lupus & leo , esset lupus & non esset lupus : quæ implicant : esset, inquam , lupus , quia haberet formam substantialem lupi; non esset verò lupus, quia esset leo per leonis formam , quæ est essentialiter diuersa à forma lupi: & sic euidenter repugnat ex parte materiæ, quòd duæ formæ substantiales vltimæ informent eandem materiam.

Probatur etiam quòd hoc repugnet ex parte formæ . Quia si duæ essent formæ substantiales vltimę eodem composito, v. g. leonitas & equinitas, vna in earum non haberet suum effectum formalem , qui est informare materiam : ergo non esset forma , quoniam non potest esse forma sine effectu formali . Vna inquam harum formarum non haberet suum effectum formalem ; quia si leonitas faceret leonem , cuius est forma ; equinitas nihil faceret : & sic vna formarum non haberet suum effectum formalem , quod repugnat. Si è contra equinitas faceret equum, leonitas esset sine suo effectu formali, quia nihil informaret ; quod similiter repugnat : ergo ex parte formæ implicat dari plures formas substantiales in eadem numero materia.

Dicendum ergo est , quòd forma vltima , cùm sit adæquata materię, non possit illam excedere, nec ab illa exce-

excedi; quia in hoc consistit adęquata ratio alicuius rei: proindeque vna materia vnam formam substantialem exigit, à qua determinetur vltimatè; & vna forma substantialis vltima petit habere vnam *numero* materiam, quam determinet, & faciat esse talis speciei, & non alterius; sicque euidenter repugnat, quòd plures formę afficiant eandem *numero* materiam.

Obijcies. Virtus D. quę absoluta est potest facere quòd duo corpora existant simul in eodem loco: vt docet Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quest.* 16. Et quòd plura accidentia sint in eodem subiecto, 5. *met. quæst.* 7. ergo facere potest, vt duę formę substantiales vltimę sint in eadem materia. *Resp.* virtutem D. ideo dici absoluta quia omnia potest facere, quę in se fieri possunt; non tamen se extendit ad impossibilia: vnde, cùm duo corpora esse in eodem loco non repugnet, vt aliquando probabitur, bene autem duas formas vltimas informare eandem materiam, vt ostendimus; proinde hoc vltimum non potest fieri, bene autem priora: quia corpora locata sunt quid extrinsecum respectu loci, sicut & accidentia respectu subiecti; at forma substantialis essentialiter & intrinseeè constituit materiam, eamque determinat ad certam speciem; & sic non posunt multiplicari formę substantiales in vna & eadem materia. *Dices.* Appetitus materię non satiatur per adeptionem vnius formæ vltimę, quoniam inclinatur adhuc ad alias: ergo plures formę vltimę posunt haberi in eadem materia. *Resp.* materiam inclinari ad alias formas, & eas posse obtinere, sed non *permanenter & simul*; bene autem *succesiuè*: vnde non negamus, quin materia existens sub vna forma ad aliam aspiret, sed hoc est post destructionem pręsentis, quę est incompossibilis cum alia.

Quęres *an vna forma posit informare plures materias*, *saltem virtute* D. hęc quęstio intelligi debet de pluribus materijs totalibus & adęquatis, vtrùm v. g. eadem forma leonis possit informare duo corpora. *Resp.* negatiuè, per rationem quam antea attulimus de adæquatione materię ad formam, & formę ad materiam, dicendo scilicet quòd talis adęquatio faciat, quòd vna materia debeat habere vnam formam, & vna forma vnam materiam; & sic quandoquidem plures formę vltimę non posunt informare eandem *numero* materiam, sic vna forma non potest informa-

re plures materias, si sit forma totalis & adęquata non potest tamen dubitari, quin eadem anima rationalis informet plures corporis partes. Conclusio nostra est Scoti *in 3. dist. 1. quæst. 2.* contra Pontium *disp. 3. quæst. 4.*

SECTIO III.

De Composito Naturali.

EX materia & forma, quæ sunt principia compositionis rerum naturalium, resultat totum, quod ex illis constituitur; vnde, cùm in præcedenti Sectione, quæ erat de principijs rerum naturalium *in specie*, sufficienter dixerimus de materia & forma: nunc procedendum est ad examen compositi naturalis: & hoc fiet in pręsenti sectione subdiuidenda immediatè per quęstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

An Compositum ex Materia & Forma sit vnum per se.

ANtiquorum Philosophorum maior pars existimauit solam materiam esse de essentia compositi naturalis; quia cum illi negarent existentiam formę substantialis, omnia dicebant componi substantialiter ex sola materia; formamque esse quid aduentitium, extrinsecum, & accidentale composito: sed contra tales probauimus formas substantiales dari. Alij è contra cum Auerroe voluerunt formam solam esse essentiam rerum naturalium, materiam verò esse tantummodo receptiuam essentię, sicut vagina est receptiua gladij non verò constitutiua illius. Hos præcessit Plato qui de composito humano loquens dicit; animam solam esse totum hominem: quæ in corpore degeret tanquam captiuus in carcere, cuius fenestrę erant sensus externi: vnde Socrates, qui in eadem mente erat, cuidam sibi ignoto dixit, *loquere hospes, vt te videam*. Peripatetici verò, reiectis antiquatis illis opinionibus, pro certo tenent materiam & formam esse partes essentiales compositi, quæ sibi inuicem vnitæ, faciunt compositum ex illis duabus resultans. Cùm autem illud compo-

situm

ſitum ſit ens,& omne eos ſit vnum;ideo hic quęritur *an compoſitum ex materia & forma ſit vnum per ſe, vel vnum tantummodò per accidens.*

CONCLVSIO.

Compoſitum ex materia & forma eſt vnum per ſe. Sic Doctor noſter pluribus in locis, & præſertim *in 3. diſt. 12. quæſt. vn.* & 8. *Metaph. quæſt.* 4. conformiter ad Ariſt. 2. *de An. text.* 7. & 8. *Metaph. text.* 17. Ratio huius deſumi poteſt ex definitione totius *per ſe*: & totius *per accidens*. Totum per ſe eſt *compoſitum ex partibus eiuſdem prædicamenti, quarum vna eſt actus, & alia eſt potentia*; vbi totum per accidens, ex aduerſo, eſt *compoſitum ex partibus diuerſi prædicamenti*, vt paries albus, quorum prius pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ; & poſterius ad prædicamentum qualitatis; ſed materia & forma ſunt partes eiuſdem prædicamenti, nempè prædicamenti ſubſtantiæ, ad quod pertinent; & vna earum eſt potentia, videlicet materia, quæ eſt perfectibilis; & alia eſt actus, nempè forma, quæ eſt perfectiua: ergo *ex materia & forma reſultat vnum per ſe.*

Obijcies 1. duæ entitates non faciunt vnum, quoniam *dualitas & vnitas opponuntur*; ſed materia & forma ſunt duæ entitates actuales in mente Scoti, qui actum entitatiuum tribuit materiæ primæ: ergo non faciunt vnum, & ſic ex materia & forma non reſultat vnum per ſe. *Reſp.* duas entitates non facere *vnum per identitatem*, ſed *vnum per vnionem*; quatenus ex illis vnitis reſultat tertia entitas. *Dices*, illud tertium non poterit eſſe vnum *per ſe*, quia forma adueniens materiæ aduenit enti *in actu*, & *quod aduenit enti in actu facit ens per accidens*: ergo totũ reſultans ex materia & forma non eſt vnum per ſe. *Reſp.* quod aduenit enti in actu facit ens per accidens; ſi adueniat enti in actu *completo*; non verò ſi adueniat enti in actu *incompleto*. Quando autem forma aduenit materiæ, aduenit enti *incompleto*, quandoquidem materia prima de ſe eſt potentialis & imperfecta, & proinde eget forma, per quam compleatur & efficiat compoſitum.

Obijcies 2. *Quæ maximè diſtant nequeunt vniri ſimul, nec facere vnum per ſe*; ſed materia & forma maximè diſtant, quia ſunt diuerſæ rationis, quoniam mate-

materia est potentia, & forma est actus: ergo ex ipsis non potest effici vnum per se. *Resp.* distinguendo maiorem, quæ maximè distant non possunt facere vnum per se, *vnitate identitatis*; quasi verò vnum euadat aliud, concedo, forma enim nunquam est materia, nec materia redditur forma: *vnitate compositionis*, nego. Quia enim materia, tanquam perfectibilis, dicit ordinem intrinsecum ad formam, tanquam ad sui perfectiuum: proinde ex vtroque fit vnum per se. *Si dicatur* ex hoc sequi, quòd ex subiecto & accidente fiet pariter vnum per se, quia subiectum perficitur per accidens, quod illi aduenit, v. g. paries, per receptionem albedinis, negatur consequentia, quia accidens non perficit subiectum *intrinsecè*, sed tantùm *extrinsecè*; forma verò est perfectio intrinseca materiæ: & sic facit vnum per se cum materia.

QVÆSTIO II.

Vtrum Materia & Forma vniantur seipsis in Constitutione Totius.

THomistarum plurimi cum Ochamo & Nominalibus, affirmant materiam & formam ita immediatè & seipsis vniri in constitutione Totius, vt nihil interponatur, quod sit vinculum & nexus materiæ & formæ. Scotistæ ex aduerso cum Doctore *in 4. dist. 1. quæst. 1.* tenent materiam & formam vniri media quadam vnione ab eis distincta realiter; ita quòd agens, quod vnit materiam cum forma, producat aliquam entitatem actualem, qua materia dicitur vnita formæ, & forma vnita materiæ, vt compositum efficiant; ita vt sicuti materia & forma sunt partes essentiales compositi, sic vnio sit conditio sine qua materia & forma, etiam si ponerentur simul, non constituerent compositum.

CONCLVSIO.

MAteria & forma compositum efficiunt, mediante vnione, quæ ab illis realiter distinguitur. *Quod enim non est de se tale, debet fieri tale per aliud*; si enim paries de se non sit albus, redditur albus per albedinem; sed forma non est de se vnita materiæ, nec anima

ma rationalis corpori, aliàs nunquam esset separata: ergo debet vniri corpori per aliquid aliud, nempè per vnionem ipsam, qua illæ partes dicuntur vniri. *Deinde*, res non mutatur, nisi aliquid de nouo in se recipiat; sed materia & forma mutantur, cum vniuntur, efficiendo compositum, quandoquidem materia de non informata redditur actu informata, & forma de non informante fit actu informans: ergo aliquid in se recipiunt de nouo, quod aliud non potest esse quàm vnio, per quam dicuntur vniri. *Tandem*, homo generans hominem non tantùm producit corpus, sed etiam debet producere aliquid circa animam rationalem, qua formaliter est homo; sed non potest attingere entitatem animæ rationalis, quæ, cùm spiritualis sit, superat actionem comparabilem: ergo saltem producit vnionem, per quam fit homo; & sic materia & forma efficiunt compositum mediante vnione. Et hoc est quòd dicunt Theologi: *Verbum D. & humanitatem in Christo fuisse vnita per vnionem hypostaticam*, quæ vnio ablata fuit in triduo mortis, quo durante, Christus erat verè mortuus; licèt Verbum remanserit vnitum cum anima & corpore:

Obijcies 1. Quando forma redditur presens materiæ, efficitur compositum immediatè, absque eo quòd producatur vnio: ergo seipsis & non mediante vnione materia & forma efficiunt compositum. *Resp.* negando antecedens: aliàs Angelus posset corpus mortuum resuscitare, adducendo animam ad suum cadauer, quod nullus tamen asserere præsumpserit; cùm omnes admittant soli Deo resuscitationem esse possibilem; & sic præsentia formę ad materiam non sufficit ad effectionem compositi, sed requiritur vnio vtriusquæ, per quam materia sustentat formam, & forma materiam informat.

Obijcies 2. Compositum substantiale non aliter distinguitur à composito accidentali, nisi quia partes illius vniuntur per se, & partes istius mediante vnione accidentali, quę est accidens; sed ex materia & forma fit compositum substantiale & per se: ergo materia & forma vniuntur seipsis. *Resp.* negandum esse antecedens. Quia in vtroque composito, substantiali & accidentali, interuenit vnio accidentalis; sed in hoc distinguuntur, quòd partes illius habeant inter se ordinabilitatem essentialem, quæ in hoc consistit, quòd

vna

vna pars sit potentia, & alia sit actus: partes verò compositi accidentalis non ordinantur ad se inuicem, nisi per accidens; cùm accidens adueniens subiecto adueniat enti in actu completo, & quidquid aduenit enti in actu completo facit ens per accidens; vt patet de pariete, qui accipiendo albedinem, fit compositum accidentale.

Obijcies 3, Generatio, quæ consistit in *vnione formæ cum materia*, est quid substantiale: sed terminus vnitionis actiuæ est vnio formalis: ergo vnio materię & formæ non est accidens, & sic materia & forma vniuntur substantialiter & immediatè. *Resp.* Generationem dici substantialem, quia terminus *qui* illius est quid substantiale, nempè ens illud, quod per generationem producitur; hoc non impedit tamen, quin terminus *quo* generationis sit accidens, nimirum ipsa vnio, per quam fit compositum substantiale, & à quo generatio dicitur *actio substantialis. Dices*, si vnio requiratur ad efficiendum compositum tres partes habebit; videlicet materiam, formam, & vnionem. *Resp.* negando consequentiam. Quia *vnio* non componit, sed est conditio requisita, vt materia & forma componant, tanquam partes essentiales, quas agens coniungit per *vnionem*, quæ est illarum veluti nexus.

Obijcies 4. Aristotelem 8. *Metaph.* arguere veteres Philosophos, quòd vellent materiam & formam coniungi per medium vinculum, ergo non debet admitti vnio has partes coniungens. *Resp.* Philosophum ideo reprehendere antiquos, quòd ipsi admitterent vinculum quoddam per modum tertiæ rei coniungentis *in simul* partes compositi, sicuti calx coniungit lapides domus; nos verò non admittimus *vnionem* tanquam entitatem tertiam absolutam, quæ coniungat partes compositi; bene autem veluti accidens aliquod relatiuum, sine quo intelligi nequit, quòd materia & forma efficiant compositum, nisi priùs vnitatur sibi inuicem.

Si quæratur ergo *quid sit vnio illa, quam exigimus in materia & forma, vt totum constituant*. Respondendum est non intelligi reuerà cum antiquis Philosophis corpus aliquod subtilissimum materiam & formam coniungens. Nec etiam intelligitur modus substantialis materiam vel formam consequens, vt innuit Doctor noster *in 3. dist. 1. quæst. 1.* Bene autem relatio extrinsecus adueniens, quæ sequitur entitates absolutas materiæ

teriæ, & formæ, per quam materia formam sustentat, & forma informat, actuat & perficit materiam; ita quod ex materia, & forma vnitis resultet compositum.

Quod vnio, de qua loquimur, non sit corpus quoddam subtile vniens materiam, & formam, hoc patet per expressam refutationem talis opinionis, quam in veteribus Philosophis reprobat Aristoteles 8. *Metaph.* Adde quòd tres essent partes essentiales cuiuslibet compositi natturalis, quod longè abest à communi mente sensatorum. *Quod* etiam *prædicta vnio non sit modus substantialis intrinsecus rei vnitæ*, ex hoc colligitur, quòd talis modus vel esset corporeus, vel spiritualis, si esset corporeus, anima rationalis non posset per illum vniri corpori: si verò esset spiritualis, corpus per eum non posset vniri animæ: ergo vnio illa non est modus substantialis, nec entitas absoluta, propter eandem rationem.

Remanet ergo, quòd *vnio materiæ cum forma sit relatio*, iuxta mentem Aristotelis, qui 2. *Phys. text.* 25. materiam, & formam simul vnitas vocat entia relatiua, propter vnionem quæ illis aduenit, & quæ proinde est relatio consequens substantiam materiæ, & formæ. Cùm autem non sit relatio intrinsecè adueniens, quæ necessariò resurgit ex positione extremorum, vbi vnio materiæ ad formam non est talis, quoniam materia, & forma possunt separari, vt patet de anima rationali; proindè remanet, vt vnio sit relatio extrinsecus adueniens, quæ non nascitur ex natura extremorum, sed requirit conditionem approximationis, præsentiæ, & informationis vnius ad alterum: quandoquidem ad faciendum hominem non sufficit, quòd anima rationalis sit præsens corpori, sed requiritur quòd actu informet corpus humanum, vt antea diximus.

Si quæratur vlteriùs *vtrum vnio inter materiam, & formam sit duplex, vel vna*. Respondendum est cum Doctore *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 5. *&* 8. *Metaph. quæst.* 4. quòd duplex sit vnio inter materiam, & formam constituens compositum, quarum *vna* in materia existens illam coniungit cum forma, & *altera* residens in forma, eam vnit cum materia. Relatio enim vnionis fundatur super potentiam actiuam, & passiuam, quandoquidem forma informat, & perficit, materia verò informatur, & perficitur; sed inter agens, & patiens sunt duæ relationes, vna in agente terminata ad passum, & alia

& alia in patiente terminata ad agens: ergo in materia, & forma est duplex vnio, seu duplex relatio vnionis, quarum vna est in materia, quæ vnitur materiæ, sicut agens passo.

QVÆSTIO III.

An Totum realiter distinguatur à partibus vnitis.

PEr *compositum physicum* seu naturale intelligitur illud, quod constituitur ex materia, & forma; quod ideò vocatur *totum*, quia ex præfatis partibus componitur. Si illud totum compositum comparetur ad partes *diuisim* sumptas, fatentur omnes ipsum distingui realissimè à partibus; quandoquidem vna earum potest existere sine alia, & proinde sine *toto*. Si comparetur idem *totum* ad partes *coniunctim* acceptas, & sibi intimè præsentes, dici adhuc debet quòd *totum* distinguatur à partibus *simul* sumptis; quia si anima rationalis esset præsens corpori, absque eo quòd ipsi vniretur, illudque informaret, tunc anima, & corpus non esent homo; imò distinguerentur ab homine. Quæstio autem est de *partibus simul sumptis, & vnitis, an scilicet totum realiter distinguatur ab illis*. Quod vt clariùs pateat.

Notandum est totum esse duplex, nempè totum per se, & totum per accidens. *Totum per se* est compositum ex partibus eiusdem prædicamenti, quarum vna est potentia, & alia est actus, & sic ex materia, & forma fit *vnum per se*: quia sunt duo entia incompleta prædicamenti substantiæ, quorum vnum est *potentia*, nempè materia; aliud verò est *actus*, nempè forma. *Totum per accidens* est illud, quod componitur ex partibus diuersi prædicamenti; vt paries albus, vel homo doctus: paries enim, & homo sunt de prædicamento substantiæ, albedo autem, & doctrina ad prędicamentum qualitatis pertinent.

Totum per se triplex est, Potentiale, Essentiale, & Integrale. *Totum potentiale* est illud, quod habet partes subiectiuas; vt animal, quod diuiditur in brutum, & hominem. *Totum essentiale* illud est, quod habet partes essentiales; vt homo, qui diuiditur in corpus, & animam. *Totum integrale* illud est, quod diuiditur in partes integrantes, vt corpus humanum, quod distri-

bui-

buitur in caput, pedes, brachia, & similes. Totum integrale subdiuiditur in *homogeneum*, cuius partes sunt eiusdem rationis cum toto, ita quod nomen *totius* conueniat cuilibet parti; & sic quatuor elementa sunt corpora homogenea, cum pars qualibet aquæ, terræ, ignis, & aeris, sint aqua, terra, ignis, & aer: Et in *heterogeneum*, cuius partes sunt alterius rationis à toto, à quo denominationem non recipiunt: sic homo, equus, & similia animantia, sunt *tota heterogenea*, quoniam non dicitur de pede, aut capite equi vel hominis, quòd sint equus aut homo.

Quęstio præsens intelligitur præcisè de *toto essentiali Physico*, quod est totum per se; quærendo scilicet, *an ver. gr. homo qui est totum essentiale physicum distinguatur realiter ab anima, & corpore simul vnitis, ex quibus homo ipse non constituitur, tanquam ex partibus physicis essentialibus*. Auerroes, Toletus, Complutenses, Suares, & plerique Thomistarum cum Doctore Angelico negant, *totum* à suis partibus realiter distingui. Scotus verò *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 2. cum suis, & Conimbricensibus; sicut, & Thomistarum aliqui, etiam ex celebrioribus, contendunt *totum physicum* realiter à suis partibus *vnitis* dissidere.

CONCLVSIO.

TOtum *essentiale realiter distinguitur à partibus vnitis*. Sic cum Doctore nostro, Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, Iauellus, & præ cæteris Aristoteles, qui 2. *de anima text.* 27. diuidit substantiam corpoream in tria membra, nempè in materiam, formam, & compositionem; sed membra diuisionis legitimæ sunt opposita, & distincta realiter; ergo, sicut materia, & forma distinguuntur realiter; sic etiam totum distinguitur realiter à materia, & forma simul sumptis. Quod autem debeat intelligi Philosophus de *materia, & forma vnitis, & non separatis*; hoc intelligitur ex 8. *Metaph. text.* 15. vbi ait, *totum substantiale non esse simile aceruo lapidum, qui præter partes simul vnitas, & aggregatas, nihil aliud est; sed esse quid ab eis simul vnitis disjitum*. Ex 7. *Metaph. cap.* 14. vbi inquit, *sex non esse bis tria, sed semel sex*; quod vtique falsum esset, nisi totum ex bis tribus constitutum distingueretur à parte rei à bis tribus.

Pro-

Probatur conclusio per rationem. Omnis causa vera & realis, quæ verè & realiter influit, distinguitur verè & realiter à suo effectu; quia *idem nequit efficere seipsum*; ex Arist. 2. *de Anima text.* 47. sed materia & forma vnitæ sunt veræ & reales causæ, quæ realiter in compositum influunt, ipsum scilicet efficiendo: ergo totum realiter distinguitur à partibus vnitis. Falsum est enim id quod respondent aduersarij, *partes vniendas facere compositum, non verò partes vnitas*: intelligi enim nequit, quòd partes *totum* efficiant, nisi *actu* vniantur; & sic talis responsio est purè elusoria. Sicut & ea, quam alij afferunt, dicendo causas extrinsecas, quales sunt efficiens & finalis, distingui ab effectu; non verò causas intrinsecas, vti sunt materia & forma. Gratis, inquam, fingitur hæc responsio, quia causa intrinseca non potest seipsam causare, aliàs esset simul quid priùs & quid posteriùs, quod absolutè repugnat.

Confirmatur 2. Quando generatur vel corrumpitur homo, qui est *compositum essentiale*, non generatur materia, quia est *ingenerabilis*; non generatur etiam forma, quia anima rationalis à Deo producitur: ergo generatur *compositum* tanquam *aliquid à materia & forma distinctum*. Nec dicant aduersarij generari vnionem corporis cum anima: nam ex hoc sequeretur quòd generatio hominis non esset substantialis, quandoquidem per eam produceretur tantùm vnio, quæ est accidentalis: & sic dici debet quòd generatur compositum distinctum realiter à materia & forma vnitis. Idem dicendum est de corruptione, quòd scilicet non esset substantialis, si per eam corrumperetur tantùm vnio, quę est accidens.

Præcedentibus addi potest quòd proprietates alicuius subiecti censeantur emanare à *toto composito*, non verò à partibus illius, vt patet de risibilitate hominis, quę non oritur à materia, nec à forma quæ non possunt ridere, sed à toto compositò, quod est alia entitas ab entitate partium, quæ simul vnitæ ipsum sic efficiunt. Primò materia existit, deinde in materia intelligitur priuatio formę, postea priuatio recedit per formæ accessum, & sic vniuntur partes, ac denique resultat ex illis partibus vnitis tertia entitas, nempè *entitas compositi*, quæ distinguitur ab entitate partium vnitarum, tanquam effectus à causa. Ex quibus patet

ve-

veritas conclusionis nostræ, qua iure diximus *totum essentiale realiter distingui à partibus vnitis*.

Obijcies 1. Aristotelem asserere totum non distingui à partibus simul sumptis, quia 4. *Phys. text.* 23. ait totum nihil aliud esse præter partes. Et 2. *de Anima text.* 7. dicit corpus, & animam esse vnum. Quod idem repetit pluribus in locis: Quibus subscribere videntur Aug. 7. *de Trinit. cap.* dicens, *Corpus, & animam esse totum hominem*. Et Athanas. in Symb. *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus*. *Resp.* Philosophum, & Patres intelligendos esse *causaliter*, non verò *formaliter*; ita quod mens eorum sit dicere, *solas partes causare totum, corpus & animam facere totum hominem*; vel *nihil aliud constituere vel integrare totum præter partes*. Quoad Athanasium, insinuare tantùm prætendit; quòd *sicut ex anima rationali, & carne fiat vnum per suppositum; sic etiam ex Deo, & homine fiat tantùm vna persona per se*. Quòd si Boetius lib. *de Trinit. cap.* 3. dicat, *totum nihil aliud esse quàm partes vnitas*. Quod videntur confirmare D. Dionys. qui lib. de *Cæl. hierarch. cap.* 4. mortem vocat in nobis, non substantiæ consumptionem, sed *separationem vnitorum*. Et August. qui in *Psal.* 38. asserit mortem esse *separationem animæ, & corporis*: quasi illi Patres dicere intendant *hominem nihil esse aliud præter partes vnitas*. Responderi debet, Boetium loqui non per prædicationem formalem, quasi verò nihil aliud sit homo, quàm corpus & anima: sed per continentiam: quod dicere est, hominem nihil aliud continere pro partibus essentialibus, quàm corpus, & animam. Quoad Dionys. & Aug. quia agebant contra illos qui existimabant animam perire cum corpore, iuxta id quod habetur Ecclesiast. 3. *Vnus est interitus hominum, & iumentorum* nil mirum, si dixerint *mortem nihil esse aliud, quàm separationem animæ & corporis*, vt probarent animam non perire: non minus tamen admiserunt totum hominem esse aliquid aliud à corpore, & anima vnitis.

Obijcies 2. Omne absolutum realiter distinctum ab alio potest ab illo separari virtute D. sed implicat totum, quod est quid absolutum, posse existere sine partibus, quæ etiam absolutę sunt, hominem v.g. sine corpore, & anima: ergo totum non distinguitur realiter à suis partibus. *Resp.* distinguendo maiorem, absolu-

tum potest diuinitùs existere separatum ab absoluto à quo distinguitur realiter; si nulla sit dependentia essentialis vnius ab alio, concedo: si sit essentialis dependentia, nego: in proposito autem totum essentialiter dependet à partibus, quæ sunt essentialia & intrinseca illius principia; & sic nil mirum est, si totum, quod realiter à partibus distinguitur, non possit existere sine illius: Licèt enim creatura realiter distinguatur à Creatore, non potest tamen existere sine illo ob dependentiam essentialem quam ab eo habet. *Dices*, licèt accidens dependeat essentialiter à subiecto, potest tamen separari ab illo, quia ab eo distinguitur realiter: ergo dependentia essentialis, quam habet totum à partibus, non impediret quominus posset separari ab illis, si ab eis realiter distingueretur. *Resp.* negando consequentiam, quia dependentia accidentis à subiecto, cùm sit tantùm extrinseca, potest à Deo suppleri; dependentia verò compositi à partibus cùm sit intrinseca, ideo totum non potest à partibus separari. Adde quòd, licèt totum non possit separari à partibus, partes tamen possunt existere sine toto, vt accidit in morte Christi; vbi humanitas fuit destructa & Christus verè mortuus; partes verò remanserunt integræ, corpus in sepulchro, & anima in limbo: quod sufficit ad distinctionem realem.

Obijcies 3. Si totum esset entitas distincta à partibus vnitis, cum illis faceret vnum ens per accidens; quia *quidquid aduenit enti in actu facit ens per accidens*; ergo nullum daretur compositum, quod esset ens per se. *Resp.* negando consequentiam. Quia entitas compositi non aduenit entitatibus materiæ & formæ, aliàs in homine esset forma essentialis vltima præter animam rationalem, nempè forma totius; sed entitas materiæ & formæ vertuntur in entitatem compositi, quod causant intrinsecè, ita quod tertia illa entitas non faciat compositionem cum partibus, sed est quid compositum ex illis partibus. Quando autem dicimus, quòd *partes vnitæ faciant intrinsecè totum*, non propterea dici debet cum Fabro nostro theor. 21. quòd illæ partes sint transfactæ in tertiam entitatem; quia partes in tertiam entitatem transfactæ non remanent *actu*, sed tantùm *virtualiter*, in toto; vt patet de elementis, quæ non remanent in mixto *actu*, quoniam in illius tertiam entitatem transfacta sunt; materia autem & forma,

ma, quę sunt partes compositi, *actu* persistuut in composito, vt docet Arist. 1. *Phys. cap.* 7. ergo partes compositi non debent dici transactæ in entitatem illius, vt Fauentinus docuit. Nisi benignè sic intelligatur, quòd voluerit partes compositi ideò dici transactas in tertiam entitatem; quòd reuerà efficiant entitatem tertiam compositi, in quo tamen intelligantur *actu* remanere.

Obijcies 4. in generatione non possunt esse duo termini; sed si totum distingueretur à partibus, essent duo termini generationis, quia generaretur entitas formæ in rebus materialibus, & entitas compositi: ergo *totum* dicit entitatem realiter distinctā ab entitate partium. *Resp.* distinguendo minorem; in generatione essent duo termini, quorum vnum esset *partialis*, nempè forma, & alius *totalis*, nempè compositum, concedo; essent duo termini *totales*, nego. Non autem repugnat, quòd generatio habeat duos terminos, quorum vnus vocatur terminus *quo*, nempè forma, & alius vocatur terminus *qui*, nempè compositum. Adde quòd, vt diximus multoties, forma non dicatur propriè generari, sed solum compositum; vnde est tantùm vnus terminus generationis. *Dices*. Ex dictis colligitur, quòd partes sint de essentia totius; sed essentia rei nòn distinguitur realiter à re cuius est essentia: ergo *totum* non distinguitur realiter à partibus. *Resp.* distinguendo maiorem, partes sunt de essentia totius; in *obliquo*, concedo; quia homo essentialiter constat corpore, & anima: in *recto*, nego; quia homo non est essentialiter corpus aut anima. *Instabis* compositum includit partes essentialiter: ergo ab illis non distinguitur. Disting. includit partes essentialiter, tanquam causas intrinsecas, concedo: tanquam essentiam, & quidditatem formalem, nego.

Quæres *vtrum partes vnitæ inuoluant distinctionem realem positiuam mutuam à toto*. *Resp.* 1. partes vnitas positiuè distingui à toto, ex Scoto *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 2. contra Fauentinum theor. 21. admittentem distinctionem tantummodò negatiuam. Ratio nostra est, quia inter entia realia positiua interuenit distinctio realis positiua, ab eis suam entitatem accipiens; sed partes vnitę, & totum ab illis causatum sunt entia realia positiua, quorum vnum dependet positiuè ab alio; ergo inter illa assignari debet distinctio realis positiua.

Resp.

Resp. 2. partes vnitas, & totum distingui distinctione mutua, ex eodem Scoto præcitato. Quia sicut partes vnitæ distinguuntur realiter à toto, & habent distinctas essentias ab illo; sic etiam totum distinguitur realiter à partibus vnitis, & essentiam habet ab illis distinctam. Nemo enim dubitat, quin relatio *secundi generis*, quæ habetur inter causam, & causatum, sit mutua, vt docet Arist. 5. *met. cap.* 15. *tex.* 20. sed partes vnitæ causant totum; ergo relatio illis adueniens est *realis mutua:* cùm maximè totum illud sit finitum, & limitatum, proindèque capax relationis mutuæ. Quòd si non possit totum esse sine partibus, sicuti partes possunt esse sine toto; hoc non impedit quin talis relatio sit mutua, cùm Pater in diuinis non possit esse sine Filio, mutuò tamen distinguatur ab illo realiter.

QVÆSTIO IV.

An Totum Integrale, & Totum per accidens distinguantur realiter à suis Partibus.

IN annotatione quęstionis præcedentis diximus totum diuidi in totum per se, & in totum per accidens, totumque per se subdiuidi in Potentiale, quale est animal respectu hominis, & bruti; in Essentiale, qualis est homo respectu animæ, & corporis, & in integrale, quale est corpus humanum, quod diuiditur in caput, pedes, & brachia; aut qualis est aqua, quæ componitur ex partibus aquæ: vnde illud vocatur totum heterogeneum, & istud totum homogeneum nuncupatur; quia scilicet partes illius sunt diuersæ rationis, & denominationis à toto, & partes istius sunt rationis eiusdem cũ toto. In conclusione pręcedẽti probauimus de toto essentiali quòd distinguatur realiter à partibus vnitis: nunc videndum est *an totum integrale homogeneum, vel heterogeneum distinguatur etiam realiter à partibus coniunctis*. pręcedens veritas ab omnibus Scotistis tenetur, non sic autem de præsenti, quandoquidem gemini Scotistæ Mastrius, & Bellutus negant totum integrale realiter à suis partibus distingui; quod etiam inficiatur Poncius *dist.* 35. *quæst.* 2. Alij verò communiter cum Sirecto, Valone, Mayronio, Tatareto, sequentes mentem Scoti *in* 2. *dist.* 17. *quæst. vn.* & ibidem *in report.* tuentur totum integrale distingui realiter à suis partibus simul sumptis.

CON-

CONCLVSIO PRIMA.

T*Otum integrale realiter distinguitur à partibus vnitis*. Sic Arist. 7. *Metaph.* text. 60. vbi dicit syllabam *Ba* non esse *A* & *B*; sed quid distinctum ab vtroque. Nec exponi debet Philosophus in his literis ab inuicem separatis; nihil enim noui proferret Aristoteles; imò hoc frustra diceret, cùm nullus sit, qui dubitet, syllabam *Ba* distingui ab *A* & *B* separatis. Ratio conclusionis istius iam allata est in præcedenti quæstione. Si enim totum essentiale realiter distinguatur à partibus essentialibus vnitis, quia faciunt totum quod debet distingui realiter à causa; proinde totum integrale etiam distinctionem importat realem à suis partibus integrantibus, quæ sunt etiam illius causæ materiales; vt innuit Scotus *in* 2. *dist.* 16. *quæst. vn.* dicens partes integrales semper facere aliquod totum. Adde quòd totum integrale, vel est homogeneum, vel heterogeneum; sed totum homogeneum realiter distinguitur à partibus vnitis, vt de carne exemplificatur Scotus cum Arist. 7. *Metaph. text. vlt.* sicut & totum heterogeneum, vt homo de quo exemplum affert Doctor noster *in* 3. *dist.* 22. *quæst. vn.* ergo omne totum integrale realiter distinguitur à suis partibus integrantibus.

Obijcies. Si totum integrale foret aliud à suis partibus, materia quæ constat partibus integralibus & entitatiuis, vt docet Doctor *in* 2. *dist.* 32. *quæst.* 2. esset *generabilis & corruptibilis*. Si enim diuideretur in partes, corrumperetur eius *tertia* entitas, etsi partes eædem reunirentur postea, generaretur *tertia* entitas; quòd pugnat contra ea quæ aliàs diximus materiam esse ingenerabilem & incorruptibilem. *Resp.* materiam posse reuerà generari & corrumpi, penes *tertiam* entitatem quam emendicat à partibus integralibus & entitatiuis; quia tamen partes illæ entitatiuæ & substantiales non possunt corrumpi, imò remanent post quamcunque diuisionem earum, ideò materia dicitur simpliciter ingenerabilis & incorruptibilis, *obiectiuè* scilicet, quia partes eius non possunt destrui aut generari, licèt dicatur generabilis & corruptibilis *subiectiuè*, quatenus potest per diuisionem aut reunionem partium entitatiuarum amittere vel acquirere tertiam illam entitatem totius integrantis, distinctam ab entitate partium.

CONCLVSIO SECVNDA.

Totum per accidens non distinguitur realiter à suis partibus vnitis. Sic Scotus in 3. dist. 2. quæst. 2. vbi ait totum per se distingui à toto per accidens in hoc, quòd *totum per se* dicat tertiam entitatem à partibus distinctam, quam non dicit *totum per accidens*. Ratio huius est, quòd si totum per accidens esset aliud à subiecto & accidente cui inhæret, illud esset substantia vel accidens, cùm inter hęc non detur medium; sed illa *tertia* entitas non potest esse substantia, quia substantia esset pars accidentis; nec etiam potest esse accidens, quia accidens esset pars substantiæ: ergo non efficitur tertia entitas ex subiecto & accidente, nec proinde totum per accidens realiter distinguitur à partibus vnitis, quæ sunt subiectum & accidens quo afficitur. *Deinde* quę sunt completa & perfecta in suo genere, non tendunt ad causandum tertium quod ab eis distinguatur; hoc enim imperfectionem redolet, vt videri potest de materia & forma, quæ ideo causant compositum, quia sunt entia incompleta; sed subiectum & accidens sunt entia completa in suo genere, quia vnum non dicit ordinem essentialem ad aliud: ergo non ordinantur ad causandum totum ab illis realiter distinctum.

Obijcies. Tota ratio cur totum essentiale & integrale distinguantur realiter à partibus vnitis, est quod partes vnitæ essentiales & integrantes causent & efficiant totum, sed partes totius accidentales, quæ sunt subiectum & accidens, faciunt totum accidentale: ergo totum accidentale realiter distinguitur à partibus vnitis. *Resp.* Ideo partes essentiales vnitas distingui à toto, quia efficiunt *tertiam entitatem per se*, quæ resultat ex vnione formæ ad materiam; partes verò accidentales non faciunt tertiam entitatem, quoniam totum per accidens non est quid vnum simpliciter, sed quid distinctum & diuisum, vel potiùs multiplex entitas, quoniam subiectum & accidens, quæ sunt entia completa in suo genere, non ordinantur ad faciendum vnum compositum per se. *Quòd si* totum accidentale vltra vnionem partium addat actualem informationem, quà accidens subiectum informat: non propterea ex illis fit vna tertia entitas, sed diuisa multiplicitas entitatum, quandoquidem, vt prædictum est, tales entitates, quæ

fa-

faciunt totum per accidens, non habent ordinem intrinsecum inter se, quo vnum efficiant: cum ergo totum per accidens non sit *tertia* entitas ab entitate partium vnitarum, proinde dici non debet, quòd totum per accidens realiter distinguatur à partibus accidentalibus vnitis.

QVÆSTIO V.

An Compositum substantiale includat essentialiter Materiam & Formam.

DIximus qnidem in annotatione primæ quæstionis sectionis huiusce, quòd veterum Philosophorum alij voluerint solam materiam esse de essentia compositi naturalis; cum & ipsi formarum substantialium negarent existentiam: alij verò negauerint materiam esse de quidditate compositi; dicentes ipsam esse tantummodò *vehiculum formæ & receptiuum essentiæ compositi*. Sed quia præter veteres Philosophos, alii adhuc diuersas opiniones habuerunt circa propositam difficultatem, cum Durandus *in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. admittat quidem materiam in communi esse de essentia compositi in communi: neget verò materiam in particulari esse de essentia compositi particularis. Magister sententiarum in 4. *dist.* 41. *quæst.* 1. concedat materiam primigeniam esse de essentia compositi substantialis, materiam verò quam nutritione acquirit homo nullo modo ad essentiam illius pertinere: sed tantùm illam quam à parentibus acquisiuit; Et opinio communis velit materiam communem & particularem esse de essentia compositi communis & particularis, siue sit primigenia, siue sit acquisita per nutritionem; non inutile erit curiosiùs hanc difficultatem examinare.

CONCLVSIO PRIMA.

MAteria & forma sunt partes essentiales compositi. Sic Doctor noster *in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 1. cùm Thomistis & ferè omnibus. Aug. enim *lib.* 16. *de Ciuit. cap.* 3. ait, *animam non esse totum hominem, sed partem meliorem eius*, quod denotat in homine essentialiter includi aliam partem ab anima rationali: quæ alia

pars non potest esse aliquid aliud præter materiam; Damascenus etiam probat *Christum habuisse veram carnem*, quia aliàs non fuisset verus homo; quod euidenter indicat materiam carnis esse de hominis essentia; & proinde *materia & forma sunt partes essentiales compositi cuiuslibet substantialis*, quoniam eædem rationes militant pro alijs compositis naturalibus, sicut pro composito hominis: Quòd autem conformiter D. Aug. *anima non sit totus homo*, hoc euidenter colligitur ex eo quod homo nunquam interiret, cum anima illius nunquam intereat.

Conclusio nostra confirmatur. Quia *quodlibet compositum coalescit ex duabus partibus, quarum vna est potentia, & alia est actus*; sed pars potentialis est materia, & pars actualis est forma, ex quibus constat intrinsecè compositum substantiale: ergo quo iure formam est pars essentialis compositi, sic etiam materia debet censeri pars essentialis eiusdem compositi; quod est contra Auerroistas, qui contendebant solam forma esse rerum corporearum essentiam, materiam verò esse quidem partem earum, sed non essentialem quod ridiculum planè videtur. Si enim materia est pars compositi, eodem modo est vna pars, sicut forma est alia pars; *quidquid* enim *est pars debet habere aliud cum quo sit pars*: ergo sicut in mente Auerrois forma est pars essentialis compositi, sic etiam materia debet censeri pars essentialis illius. Nec dicere debent quòd *materia sit vehiculum aut receptaculum formæ, non verò pars compositi*; quia si compositum non includeret materiam vt partem, compositum non esset compositum, cùm non constitueretur ex pluribus partibus: nec forma esset pars compositi, quia pars *compartem* exigit: quæ alia non potest esse, quàm materia: & sic materia & forma sunt partes essentiales compositi substantialis, vnio verò est conditio *sine qua*, materia & forma non constituerent compositum.

Obijcies Aristotelem pluribus in locis insinuare, *quòd forma sit quid rei, seu quidditas eius*, quod denotat materiam non esse partem essentialem rei compositæ. *Resp.* Arist. non loqui absolutè, quasi verò voluerit formam esse totam quidditatem rerum; sed comparatè, indicando scilicet, quòd forma sit pars nobilior compositi; quia forma compositum determinat ad hanc vel illam speciem. *Dices*. Homo &

equus

equus distinguuntur in essentia; sed non distinguuntur in materia: ergo materia non est de essentia compositorum. *Resp.* hominem & equum distingui in essentia, id est, in præcipua parte essentiæ; non verò in tota essentia, seu in omnibus partibus essentiæ: quod sufficit ad distinctionem essentialem compositorum, vt patet de homine & bruto, quæ conueniunt in *animali*, & differunt in *rationalitate*.

CONCLVSIO SECVNDA.

NEdum *materia communis est de essentia compositi in communi, sed etiam materia particularis est de essentia compositi particularis.* Sic Scotus & D. Thomas 1. *p. quæst.* 75. contra Durandum præcitatum. Sicut enim se habet materia in communi ad compositum in communi, sic se habet materia particularis ad compositum in particulari; sed ex Durando materia communis est de essentia compositi communis: ergo materia particularis spectat ad essentiam compositi particularis. *Deinde* ideo compositum corporeum in communi dicitur compositum materiale, quia materia ingreditur essentialiter quidditatem illius; sed compositum particulare corporeum dicitur etiam materiale, vt patet de homine, de planta, & de lapide, in particulari sumptis: ergo materia particularis spectat ad essentiam illorum compositorum particularium. *Tandem* eodem modo ratiocinandum est de materia ac de forma, sed forma particularis est de essentia compositi particularis: ergo materia in particulari est de essentia compositi cuiuslibet in particularis.

Obijcies. *Si hæc numero* materia esset de essentia huius numero hominis, hic homo non esset idem homo in fine vitæ, qualis erat in principio illius; quandoquidem materia illius ita variatur per nutritionem continuam, quæ primigenitæ materię nouam subrogat, vt nihil remaneat de prima materia à parentibus deriuata, quæ per actionem caloris naturalis destructa est: ergo licèt materia in communi sit de essentia compositi in communi, attamen materia particularis non est de essentia compositi particularis. *Resp.* remanere eundem numero hominem toto tempore vitæ; quia semper manet aliquid de materia primigenia. *Deinde* ob variationem materiæ non variatur *forma-*

liter compositum, sed tantùm *materialiter*; vt inquit D. Thomas 1. *p. quæst. vlt. art.* 1. *ad* 5. & in *supp. quæst.* 80. *art.* 4. Quia manente eodem composito & eadem totali materia, quædam pars tantùm abit, & noua eius loco substituitur; quæ cùm continuetur & perseueret cum alijs partibus præcedentibus sub eadem figura, dispositione, ordine, & officijs præexistentibus, propterea censetur efficere eandem *numero* materiam cum præcedente quæ remansit; & sic remanet idem homo in fine vitę, ac in principio illius, licèt fiat aliqua mutatio in materia: etiam si *successiuè* variaretur tota materia per partes, antiqua enim sibi identificat aduentitiam.

CONCLVSIO TERTIA.

NOn *solùm ea pars materiæ, quæ à parentibus in creatione accipitur, est de essentia compositi, sed etiam illa, quæ acquiritur successiuè per nutritionem continuam*. Hæc conclusio est contra Magistrum sententiarum loco præcitato, & contra Mastrium Scotistam. Eadem enim ratio vrget de partibus materię acquisitis per nutritionem, ac de partibus primigeniis illius, quas proli tribuunt parentes: ergo sicut partes istæ spectant ad essentiam compositi substantialis, sic & illę sunt de essentia eiusdem. Ratio enim cur primigenię partes sint de essentia compositi, sumitur ex hoc quòd illæ partes per generationem acceptæ informentur per animam rationalem; sed pro eo instanti, quo partes per nutritionem acquisitę vniuntur composito, imformantur eadem anima: ergo sunt æqualiter de essentia compositi, & concurrunt per se ad totam entitatem compositi constituendam. *Deinde si* pars illa materię non faceret vnum *per se* compositum cum antecedenti materia, quam accipit proles à parentibus, homo qui constituitur ex tali materia esset quid vnum *per accidens*, sicut cumulus lapidum, quandoquidem noua illa pars materiæ non vniretur præcedenti, nisi per accidens, sed absurdum est dicere, quòd homo quilibet sit quid vnum per accidens, & non vnum per se: ergo tum materia acquisita per nutritionem, tum per generationem accepta, est de essentia compositi.

Postquam enim natus est puer, nemo dubitat quin ma-

materia corporis illius sit de essentia compositi; quando autem consumitur particula quędam talis materię, & noua succedit per nutritionem, ista pertinet adhuc ad essentiam compositi, quia facit vnum & idem cum antiqua; quando etiam alia pars deperditur & subrogatur noua, conuertitur denuò in illam, & sic deinceps: proindeque cùm semper antecedens sit fortior, conuertit in se illam quæ de nouo accedit, sicque apparet quòd omnes illæ materiæ partes, tum antiquę, tum recentes acquisitę, sint de essentia compositi; quia, vt diximus, informantur ab anima, & per se includuntur *intrinsecè* in homine.

Obijcies 1. Illud non est de essentia hominis, sine quo manet essentialiter totus homo; sed ante nutritionem & conuersionem alimenti in substantiam hominis aliti, erat *essentialiter* totus homo: ergo illa pars materiæ, quę acquiritur per nutritionem, non pertinet ad essentiam hominis. *Resp.* ad maiorem: illud non est de essentia hominis, sine quo manet essentialiter totus homo: nisi illud conuertatur in substantiam hominis, concedo; si verò illud adueniens recenter, conuertatur *intrinsecè* in substantiam hominis, nego. Cùm ergo materia per nutritionem acquisita conuertatur in hominis substantiam, proinde illa pertinet ad quidditatem illius: estò absque illa foret totus homo metaphysicè sumptus: quia reuerà in tali suppositione, quòd alimentum non esset conuersum in substantiam hominis aliti, non minus ille homo esset animal rationale.

Obijcies 2. Si materia de nouo acquisita per nutritionem esset de essentia hominis, resurrectio foret impossibilis, quia contingere posset, vt eadem numero materia subiaceret formis plurium hominum, nec posset dici, cui eorum restitueretur. Ad hoc respondent aliqui, nihil ad resurrectionem referre, quòd noua entitas materię resumatur; aut eadem quæ antea fuerat; dummodo maneat idem compositum. Sed melius est dicere, quòd eadem numero materia, quam gessimus ante mortem, reparetur; quoniam resurrectio est secunda surrectio eius quod recedit, vt ex Damasceno insinuat D. Thomas in *Suppl. quæst.* 79. *art.* 1. In suppositione autem superiùs facta respondet Doctor Angelicus materiam in resurrectione dandam esse illi, qui illam primò habuit: alteri verò Deum esse substi-

tuturum, quantùm necesse fuerit, ex ea materia, quæ vi caloris naturalis consumpta fuerat: suauitas enim D. Prouidentiæ exigit, vt Deus decernens resurrectionem in eadem carne quam in vita possidemus, prouideat casibus, qui talem resurrectionem impedirent.

QVÆSTIO VI.

An Accidentia subiectentur in Composito.

ACcidentia alia sunt *relatiua*, vt potentialitas & vnio, quæ reperiuntur in materia antecedenter ad formam totalem compositi, quæ resultat ex ipsa vnione materię potentialitatem habentis cum forma, per quam actuatur; alia sunt *absoluta*, vt quantitas & qualitas. Accidentia relatiua subiectantur quidem in materia prima & in forma, quandoquidem ante effectionem compositi, materia habet vnionem & potentialitatem, forma verò habet vnionem & actualitatem. Quantùm ad accidentia absoluta, & præsertim quantum ad quantitem, altercantur inter se Philosophi; cum Auerroistæ, Nominales, Suares, & quidam alij, arbitrentur quantitatem proximè & immediatè subiectari in materia; vnde quantitatem dicunt esse materiæ *coæuam*, Scotus verò *in* 2. *dist.* 3. *quæst.*4. Et D. Thomas 1.*p. quæst.* 76. *art.* 6. cum D. Bonau. Durando, & pluribus alijs, docent quantitatem subiectari in composito; ita quòd quantitas nullo modo præcedat formam in subiecto, sed ex forma & materia priùs fiat compositum, quod postea quantitatem & extensionem recipit.

CONCLVSIO.

A*Ccidentia non recipiuntur immediatè in materia prima*, vt voluit Auerroes 1. *Phys. Comm.*63. sed in toto composito, quod proximè & immediatè recipit quantitatem & alia accidentia. Sic cum præcitatis Arist. 7. *Metaph. text.* docens substantiam esse priorem omni accidente prioritate temporis, durationis, & cognitionis. Vbi Aristoteles loquitur non de substantia incompleta, qualis est materia prima; sed de substantia completa, & perfectaquale est compositum sub-

substantiale: ibi enim differit de substantia composita, & exemplum affert de elementis, de plantis, & de animalibus, quæ sunt substantiæ compositæ & integræ & sic ex philosopho patet, quòd accidentia, quorum primarium est quantitas, non inhæreant materiæ primæ, sed composito.

Ratio conclusionis est, quia *actus per se* materiæ debet priùs coniungi cum illa, quàm actus illius per accidens: sed forma substantialis est actus per se materiæ, quantitas verò est *actus per accidens*: ergo forma substantialis præcedit in composito quantitatem & alia accidentia, & sic ex materia & forma substantiali priùs fit compositum, quàm accidentia illi adueniant; proindeque accidentia inhærent immediatè subiecto. Respondebit Suares maiorem fore veram, si actus per accidens non requireretur ad receptionem formę substantialis, quod tamen necessarium est in homine, v. g. qui non posset recipere animam rationalem, quæ est illius forma substantialis, nisi priùs corpus illius esset extensum. Ad hanc responsionem dicendum est, quòd nec etiam in homine requiratur quantitas ante receptionem formæ substantialis. Licèt enim anima rationalis, quę est forma hominis vltima, non recipiatur nisi in corpore quanto hominis; attamen quantitas non præcessit in homine omnem formam substantialem; & imò materia prima illius debuit priùs habere formam substantialem corporeitatis, quàm accipere quantitatem, quà corpus reddatur extensum: & sic, non obstante responsione quam adhibet Suares, quantitas semper recipitur in composito; quia *actus per se præcedit actum per accidens.*

Obijcies. Vt introducatur forma in materiam, materia debet disponi per accidentia præuia; sed illorum accidentium principalius est quantitas: ergo quantitas recipitur in materia ante aduentum formæ substantialis, & antequam fiat compositum, quod proinde non potest esse subiectum immediatum accidentium. *Resp.* alio modo ratiocinandum esse de formâ substantiali introducenda in materiam primam, & de introductione nouæ formę substantialis in compositum præcedens. Licèt enim non possit introduci noua forma substantialis in composito pręcedenti, nisi dispositiones quædam pręcedant introductionem nouæ formæ, quę dispositiones non inhærent immediatè ma-

teriæ primæ, sed veteri composito; attamen cùm introducitur forma in materia prima, nulla accidentia prærequiruntur in illa ante receptionem formæ substantialis: sed ea primò & immediatè recipit formam substantialem corporeitatis, & mediante illa efficitur compositum substantiale, quod postea recipit illa vel illa accidentia.

Si quæratur autem *quinam ordo seruetur in generatione alicuius compositi; quod ex alio composito efficitur*; v. g. in generatione ignis, qui producitur ex ligno. *Resp.* hunc interuenire ordinem, quòd *primò* ignis inducat qualitates suæ formæ conseruatiuas in lignum. *Deinde*, qualitates illæ ignis in lignum introductę, per suum augmentum successiuum destruunt qualitates conseruatiuas formæ ligni. *Postquam* autem qualitates conseruatiuæ formę ligni destructæ sunt, forma ipsa ligni desinit, & compositum ligni dissoluitur, cessatque ipsius ligni quantitas. *Ac denique* corrupto ligno, forma substantialis ignis introducitur in materiam primam quę antea erat sub forma ligni, fitque compositum substantiale ignis; cui aduenit quantitas; Et sic nunquam quantitas præcedit formam substantialem, nec proinde ipsa quantitas subiectatur in materia, sed semper in toto composito residet.

Quęres. *Vtrum alia accidentia absoluta immediatè subiectentur in quantitate*. Ante responsionem sciendum est, quòd accidentia absoluta sint vel *vitalia*, vt videre, audire, loqui, & similia; vel *spiritualia*, vt intellectiones, volitiones, & species intelligibiles; vel *purè corporea*, vt albedo, frigus, & aliæ similis naturę. Notandum est etiam quòd subiectum accidentium sit duplex, nempè *inhæsionis*, cui immediatè inhęret accidens; ita quod v. g. quantitas parietis dicatur esse subiectum *in hæsionis* albedinis, quia albedo immediatè inhęret quantitati illius. Et *denominationis* quod tale denominatur ab accidente, cui tamen proximè non inhęret, sed alteri ipsi coniuncto; sic albedo & cętera accidentia dicuntur *quanta*: non quòd quantitas albedini inhęreat, cùm priùs sit in subiecto; quàm albedo; sed ideò quantitas denominat albedinem, quia albedo aduenit subiecto, quod est *quantum & extensum*. Hoc posito.

Respondeo primò, quòd accidentia absoluta vitalia, vt visio, auditio, & loquutio, subiectentur immediatè

in

in potentijs à quibus eliciuntur, ficut & habitus ad tales actus concurrentes; ficque potentiæ funt fubiectum immediatum *inhæfionis* talium actionum, licèt totus homo fit earum fubiectum *denominationis*; quandoquidem totus homo dicitur *audire videre*, & *loqui*. Quòd autem actus illi vitales fubiectentur in potentijs à quibus eliciuntur, patet ex hoc, quòd non ex alia ratione dicantur actus *immanentes*, nifi quia exigunt refidere in illa potentia, quæ tales actiones elicit. Non minus tamen poffunt dici *tales actus* fubiectari in compofito *quantitatem habente*, quia ipfi refident in organo corporeo, quod extenfionem habet neceffariò, vt poffit prorumpere in fuos actus: vnde in Euchariftia corpus Chrifti habens aures & oculos, nec poteft audire, nec videre; cum illius organa fpoliata fint *fuà quantitate & extenfione externa*.

Refpondeo 2. Quòd accidentia abfoluta fpiritualia, feu qualitates fpirituales abfolutæ, quales funt intellectiones, volitiones, & omnes habitus intellectus & voluntatis, fubiectentur immediatè in intellectu & voluntate, tanquam in fubiecto *inhæfionis*, & in toto homine, tanquam in fubiecto *denominationis*. Ratio *primi* eft, quia ipfa anima cum illis potentiis eft fubiectum fufficiens talium qualitatum, quæ remanent in voluntate & intellectu, quando anima feparata eft à corpore. Ratione *fecundi*, totus homo dicitur *intelligere & velle*, denominaturque *intelligens* & *volens*, ex eo quòd fit fubiectum *denominationis*, *intellectionum*, & *volitionum*.

Refpondeo 3. Accidentia corporea immediatè fubiectari in quantitate. Sic Scotus cum D. Thoma & recentioribus communiter, contra Nominales ex vna parte, qui volunt albedinem, nigredinem, calorem, frigus, & fimilia accidentia corporea fubiectari immediatè in eadem fubftantia, in qua quantitas fubiectatur, fiue illa fubftantia fit completa vt compofitum, fiue incompleta, vt materia prima: cùm enim iuxta illos, quantitas non diftinguatur realiter à fubftantia, proinde fubiectum accidentium illorum non poteft aliud effe quàm fubftantia. Contra etiam Caietanum ex alia, Soncinam, & quofdam alios contendentes accidentia illa, ficut & quantitatem ipfam fubiectari immediatè, non in quant. te, aut in fubftantia, fed in quodam alio accidente prædicamento qualitatis,

quod ab ipſis vocabatur *potentia naturalis ſuſceptiua accidentium*.

Quòd autem accidentia abſoluta corporea immediatè ſubiectentur in quantitate, probatur ex hoc, quòd non alia ratio impedit corpus Chriſti in Euchariſtia poſse calefieri aut frigefieri, niſi quia quantitate externa priuatur, quod denotat illi deeſse ſubiectum talium accidentium, nempè quantitatem, in qua proinde recipiuntur accidentia corporea. Deinde ſicut paries dicitur ſubiectum inhæſionis albedinis, & nigredinis; quia variatis illis coloribus inuariatus remanet paries; ſic etiam quia quantitas eadem remanet ſub diuerſis accidentibus, cùm paries eandem quantitatem retinens diuerſos colores recipiat; ideò dici debet eſse ſubiectum talium accidentium. Tandem non repugnat, quòd vnum accidens abſolutum ſubiectetur in alio accidente abſoluto diuerſæ rationis, quoniam ipſimet aduerſarij admittunt cum Caietano quantitatem & alia accidentia non ſubiectari in ſubſtantia, ſed in quodam alio accidente de prædicamento qualitatis: ergo probabilius eſt dicere in communiori ſententia, quæ etiam antiquorum ſemper fuit; *quantitatem eſſe ſubiectum immediatum accidentium abſolutorum corporeorum*.

Quòd ſi in contrarium noſtræ aſſertionis vltimæ afferatur philoſophus, dicens ſubſtantiam eſse ſubiectum omnium accidentium: ergo non quantitatem. *Reſponderi* debet Ariſtotelem velle tantum, quòd ſubſtantia ſit ſubiectum generale, & vltimum omnium accidentium; quod tamen non impedit, quin quantitas ſit ſubiectum primum, & immediatum accidentium illorum, quæ ad quantitatem ſequuntur in ſubiecto: vti patet de tabella, quæ dicitur ſubiectum omnium colorum quos illi opponit pictor, licèt craſſiores illi tantùm immediatè inhæreant. *Si dicatur* vnum accidens non poſse ſubiectari in alio, nec proinde albedinem in quantitate: hoc verum eſt de accidente *eiuſdem rationis*, albedo enim non poteſt recipi in albedine: falſum verò de accidentibus *diuerſæ rationis*: & proinde de *quantitate*, quæ alia accidentia ſuſtentare poteſt. *Si dicatur* ſubſtantiam non poſse inhærere, nec proinde accidens poſse ſubiectare. *Reſp.* accidens non poſse ſubiectare reuera *primario*; quia hoc ſpectat ad ſubſtantiam; poteſt tamen ſubiectare *ſecundario*, & vltimatè;

tè; ipsa enim quantitas, quæ primariò subiectatur in composito substantiali, est subiectum aliorum accidentium.

Quando dicunt aduersarj non potiùs subiectari albedinem in quantitate, quàm quantitatem in albedine; quoniam sicut dicitur quòd quantitas sit alba, sic etiam dicitur quòd albedo sit quantà. *Respondetur* non ideò albedinem subiectari in quantitate, quòd quantitas dicatur *alba*; sed quòd albedo & alia accidentia accedant quantitati inuariatæ remanenti, & ab illa recedant; ex quo sufficienter colligitur albedinem inhærere quantitati, non vice versa: solius enim quantitatis est disponere substantiam ad recipienda formas accidentales corporeas. *Si denique dicatur* quòd omne accidens sit forma, & quòd forma non possit recipere, sicut nec materia informare; proindeque nec quantitas suscipere valeat accidentia. *Responderi* debet quòd quantitas vtrumque faciat in proposito; informat enim accidentaliter substantiam, quam reddit quantam & extensam, & vlteriora accidentia suscipit.

Hic forsam quæretur, *an in corruptione compositi fiat resolutio vsque ad materiam primam*. Hæc difficultas posset referuari ad illum locum, vbi agetur de generatione & corruptione; ne tamen ibi longiùs materias drotendere cogeremur, hic breuiter cum Doctore nostro *dicam*, quòd in compositis plures formas substantiales habentibus non fiat resolutio vsque ad materiam primam; cum destructà formà viuentis forma corporeitatis remaneat: in compositis verò vnam tantùm formam substantialem habentibus, si destruatur illa forma substantialis; tunc fit resolutio vsque ad materiam primam. Cum enim nihil aliud remanere possit, quando forma substantialis destructa est, quandoquidem accidentia in solo composito subiectantur, proinde remanet, vt destructo composito per destructionem formæ substantialis, censeatur fieri resolutio vsque ad materiam primam. Non quòd destructà formà substantiali & composito, materia prima remaneat sine vlla forma; sed quod destructà formà substantiali compositi substantialis, nihil talis compositi remaneat, sed succedat immediatè forma substantialis noui compositi, quod recenter generatur: ita quòd in eodem instanti temporis, quo desinit vnum compositum, incipiat aliud; licèt desitio illius præcedat inceptionem istius

istius, per aliquod instans naturæ & præsuppositionis: & in hoc iustificatur adagium commune philosophorum, *corruptio vnius est generatio alterius.*

DISPVTATIO SECVNDA,

De Natura & causis Rerum Naturalium.


POstquam Aristoteles in primo libro Physicorum, egit de principijs intrinsecis rerum naturalium tam in *facto esse*, quæ sunt materia, & forma: quàm *in fieri*, quæ dicuntur esse *materia, forma, & priuatio*: In secundo libro agit de causis illarum, & talem librum distribuit in tres partes; in quarum prima differit de *natura*, quæ est principium motus & quietis compositi: in secunda loquitur de *causis per se rerum naturalium*, tam in genere, quàm in particulari: & in tertia discurrit de *causis per accidens*, quæ sunt *casus & fortuna.* Eundem ordinem sequi contendentes, sicut in præcedenti disputatione egimus de principijs rerum naturalium; sic etiam in præsenti loqui meditamur de causis illarum: & quia natura, materia, forma, efficiens, finis, fortuna, & casus dici possunt suo modo causæ effectuum; cum alij sint à natura, alij à causis per se, & alij à fortuna & casu; ideo hanc disputationem distribuemus in tres sectiones, quarum prima erit de *natura*, alia de *causis per se*, & tertia de *causis per accidens*.

SECTIO PRIMA.

De Natura & Arte.

QVoniam naturale opponitur artificiato, ideo philosophus agens de natura in secundo libro Physicorum discurrit etiam de arte; cum hoc ordine, quòd priùs de natura loquatur, quoniam ipsa præcedit artem quam ista imitari contendit; Pedibus Stagiritæ in ces-

suri

furi loquemur in hac sectione tum de natura, tum de arte; imò & de violentia, quę naturæ opposita est: vnde tribus quæstionibus expedietur hæc sectio, quę erunt de *natura*, de *arte*, & de *violentia*.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid dicendum sit de Natura.

NE aliquid lateat eorum quæ concernunt rationem *naturæ*, plura considerari debent; *quot modis nimirum sumatur natura; quot modis accipiatur naturale; an existentia naturæ probari possit, quid sit natura; quotuplex sit natura, & an sit principium passiuum vel actiuum*: quæ omnia per succinctas assertiones patebunt,

Dico 1. diuersis modis vsurpari nomen naturæ. *Primò* enim sumitur *natura* pro Deo, quoniam Seneca *lib.4. de beneficijs* dicit *naturam* nihil esse præter Deum, qui dicitur communiter *natura naturans*. *Secundò* sumitur pro tota rerum creatarum collectione, & pro-tunc vocatur *natura naturata*; quo sensu Arist. 11. *Met. tex.* 38. ait *naturam* perdere à primo principio: quo etiam sensu aliquid dicitur fieri aut esse in rerum *natura*. *Tertiò* accipitur pro causis naturalibus; vnde dicitur vulgò *naturā nil pati otiosum, nunquam deficere in necessarijs, vacuum non pati, nec aliquid moliri frustra*. *Quartò* idem sonat ac temperamentum, quo modo dicunt medici, aliquorum *naturam* esse biliosam, aliorum melancholicam, &c. *Quintò* sumitur pro proprietate rei alicuius, quoniam de igne dicitur, quòd sit ex *natura sua* calidus. *Sextò* idem est ac essentia rei cuiuscumque, cùm Arist. 7. *met. tex.* 41. dicat definitionem esse orationem *naturam* rei explicantem distinctè. Eodem sensu dicunt Theologi vnam numero naturam esse in tribus Personis Diuinis. Septimò accipitur pro natiuitate & ortu, quo sensu primogenitus dicitur præcedere *naturà* fratres natu minores. Sic etiam Apostolus asseuerat nos esse *naturà* filios iræ, idest à tempore conceptionis & natiuitatis, à quo traximus peccatum. *Octauò* denique & accommodatè ad nostrum propositum, *natura* sumitur pro principio intrinseco motus & quietis, seu pro radice illorum motuum, quos naturaliter res ex se effundunt, & non extorquentur per vim agentis externi, sic casus grauium,

se-

leuium aſcenſus, arteriarum palpitatio, germinatio arborum, noxiorum expulſio, appetitio vtilium, & ſimiles actiones, dicuntur eſſe à *natura*; quia à principio interno & rebus ipſis inſito eradicantur.

Dico 2. *naturale*, quod à naturà deriuatur, diuerſimode etiam vſurpari pro multiplici oppoſitione quam habet cum alijs. *Primò* enim ſumitur pro *eo quod opponitur ſupernaturali, & intra naturæ terminos continetur*; & eo ſenſu opera naturæ & artis dicuntur *naturalia*. *Secundo* ſumitur pro *eo quod voluntario & libero opponitur*, quo ſenſu equus fertur naturaliter ad aquam; ignis naturaliter calefacit, calor ſtomachi facit coctionem alimentorum, & quidquid fit ſine conſilio & deliberatione dicitur *naturale*. *Tertiò* ſumitur pro *eo quod opponitur fortuito*, quo modo inuentio theſauri *non eſt quid naturale*, bene autem quod literę vigeant in republica. *Quartò*, pro *eo quod opponitur violento*; quo ſenſu dicimus *naturale eſſe lapidi* vt deorſum cadat, ſicut & flammæ ignis vt aſcendat ſurſum. *Quintò* denique, pro *eo quod opponitur artificiato*; quo ſenſu opera artis *non ſunt naturalia*: vnde Ariſtoteles corpus naturale appellat id, cuius principium non eſt ars, ſed *natura*; & in hac poſtrema acceptione ſumitur *naturale* in phyſica. Quod ſi quæratur, *quo modo differant entia naturalia, præternaturalia, & contranaturalia*; reſponderi debet, quòd *entia naturalia* ſint ea, quæ habent materiam & formam, vel quæ ſunt accidentia, affectiones, actiones, & proprietates rerum naturalium, vt leuitas in igne, grauitas in terra, & ſimiles actiones. *Entia præternaturalia* ea ſunt, quæ fiunt præter intentionem naturæ, vt monſtra. *Entia contranaturalia* ſunt ea, quæ aliqualiter naturam labefactant, vt morbus, aut vitium corporis.

Dico 3. *exiſtentiam naturæ* ita eſſe euidentem, vt nullo modo ambigendum ſit *naturam exiſtere*; inquit Ariſt. 2. *phyſ. cap.* 1. Non poteſt tamen hęc veritas demonſtrari *à priori*, cùm natura ſit primum principium phyſicũ, quod aliud principium prius habere non poteſt; nec proinde medium, quo poſſit demonſtrari *à priori* illius exiſtentia. Quantùm autem ad demonſtrationem à poſteriori, poteſt colligi euidenter ex hoc, quòd experientia notum ſit *dari motum & quietum*; ſed *natura* eſt principium motus & quietis, vt dicetur in aſſertione ſequẽti: ergo manifeſte patet à poſteriori, quòd detur

natura,

natura, cum dentur motus, qui non procedunt à causa externa, vt deambulatio hominis, fuga mali, & appetitus boni. Adde quòd nemo ibit inficias dari materiam & formam, vt probatum est cap. de principijs; sed materia & forma sunt *natura*, vt videbitur: ergo in dubium reuocari non potest *existentia naturæ*.

Dico 4. quòd *natura sit principium & causa motus & quietis eius in quo est, primo & per se, & non per accidens*. Sic Arist. 2. *phys. cap.* 2. *tex.* 3. Hanc naturæ definitionem recipit Doctor noster *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. Vox enim principium habet rationem proprij generis; reliquæ verò particulæ tenent locum differentiæ; & nihil superflui aut diminuti habetur in tali definitione, cuius partes sic explicantur. Dicitur primò *principium*, in quo natura conuenit cum causis & principijs rerum naturalium; verè enim & realiter natura influit in motum, sicut principia in compositum, & causæ in effectus suos. Dicitur 2. *& causa*, vt excludatur *priuatio*, quæ est quidem principium, non tamen est causa; nec proinde *natura* dici debet. Dicitur 3. *motus & quietis*, quod aliqui explicant *disiunctiuè*, quatenus scilicet natura sit principium *motus* in corporibus quæ semper *mouentur*, vt cœlum: & principium *quietis* in corporibus, quæ semper *quiescunt*, vt terra: licèt verisimilius sit naturam esse principium *motus & quietis coniunctiuè*: ita vt quælibet natura ex se sit causatiua motus & quietis: licèt actu quædam solùm moueantur, quædam tantummodò quiescant, & quædam aliquando moueantur, & aliquando quiescant. Si enim cœli perpetuò moueantur, hoc est illis accidentarium; quia non mouentur nisi propter bonum vniuersi. Quantùm verò ad terram, taliter est mobilis ex sua natura, quod si diuelleretur à centro, ab intrinseco moueretur, vt illud repeteret.

Quartò in definitione naturæ additur, quòd sit principium motus & quietis *eius in quo est*; per quam particulam distinguitur natura à causis externis, finali scilicet, & efficiente, quæ non sunt in rebus ipsis, quæ mouentur; vnde Angeli, qui mouent cœlos, equi trahentes currum, & ignis producens calorem in aqua, non sunt *natura*; quia non sunt *intrinsecè* in cœlis, in curru, & in aqua. Adiungitur *primò*, & per hoc remouentur à ratione naturæ principia *secundaria* & *instrumentalia* motus, vt sunt qualitates, quæ sunt quidem

dem causa cur res moueatur, sed non sunt prima causa: licèt enim ignis v.g. habeat *ferri* sursum à sua leuitate, hoc est tantùm *secundariò*, vbi primariò, sursum fertur à forma sua substantiali, quę est principium mouendi; licèt vtatur accidentibus, vt operetur. Adiungitur vltimò *per se*, *& non per accidens*, in quo secernitur *natura* ab operibus artificiatis, quæ licèt habeant principium alicuius motus, vt statua marmorea habens principium motus deorsum; quia tamen ille motus non conuenit statuæ, vt est opus artificiatum, sed vt est compositum *naturale* habens grauitatem; ideo non dicitur habere *naturam*, quia non habet *per se* principium motus.

Si contra præcedentem definitionem dicatur eam competere causæ efficienti, quia Aristoteles 2. *Phys. tex.* 29. ait causam efficientem esse id vnde est primum principium motus, & quietis: ergo non esse legitimam. *Respondeo* causam efficientem esse principium motus, & quietis externum, concedo; internum, nego: materia autem, & forma, quæ solæ sunt *natura*, dicuntur pricipium *internum* motus, & quietis. *Dices* idem non posse esse causam oppositorum, nec proinde *naturam* posse dici causam motus, & quietis, quę priuatiuè opponuntur, quandoquidem quies est carentia motus. *Resp.* non sumi in definitione quietem pro priuatione motus, sed pro consistentia rei in statu, vel in loco. *Dices* vt antea, cœlum non moueri, nec terram quiescere; quæ tamen habent *naturam*, nempè materiam, & formam: ergo prædicta definitio non est legitima, quoniam non conuenit omni definito. *Resp.* vt superiùs, quòd licèt cœlum non quiescat ob vtilitatem vniuersi, nec terra moueatur secundùm se totam, ratione scilicet grauitatis suæ; vtrumque tamen est mobile in actu primo, & potentialiter, quia habet materiam, & formam: imò cœlum actu quieuit temporibus Iosue, & non amplius mouebitur post diem iudicij: terra etiam est mobilis secundùm partes, vt ex motibus terræ apparet, & si à centro diuelleretur, illico rediret ad illud, per formam suam substantialem.

Dico 5. quòd duplex sit *natura*, nempè materia, & forma. Sic Aristot. 2. *phys. text.* 4. vbi diuidit *naturam* in eam quę est in subiecto, quod intelligitur de *forma*: & eam quæ non est in subiecto, quod intelligitur de *materia*. Quòd materia sit *natura*, probatur per ratio-

nem

nem Aristotelis loco præcitato dicentis; quod constituit corpus naturale est natura, quandoquidem ex non naturale non fit naturale; sed materia concurrit partialiter ad effectionem compositi naturalis, quod constat ex materia, & forma: ergo materia est natura, quidquid dicat Valesius intendens definitionem naturæ competere soli formæ, quę est principium actiuum motus, & quietis. Non videtur enim, quomodo negari possit materiam esse *naturam*, cùm sit subiectum omnis transmutationis naturalis, & primum principium cuiuscumque naturalis motus, in quo consistit definitio *natura*. Quòd etiam forma sit *natura*, idem probat Arist. cui subscribit Scotus locò præcitato. Illud enim est *natura* per cuius præsentiam res sunt, & dicuntur naturales; sed à forma naturali res sunt, & dicuntur naturales, sicut à forma artificiali res appellantur artificiales; ergo forma est natura.

Quando autem dicimus *quòd forma sit natura*; hoc intelligitur tam de forma viuentium, quàm de forma non viuentium, imò etiam de anima rationali, quæ est forma hominis. *Quòd forma non viuentium sit natura*, omnes admittunt, & illud antea probauimus. *Quòd forma viuentium sit etiam natura*, docent Arist. 2. *phys. text.* 1. & 12. Scotus *quodlib.* 9. *art.* 2. *&* 3. cum reliquis contra Albertum, & Simplicium. Anima enim generatim sumpta, tum viuentium, tum non viuentium, est principium, & causa mutationum naturalium sibi cõuenientium, nempè nutritionis, accretionis sensationis, & similium, quæ à natura procedunt: ergo forma viuentium debet habere rationem *natura*. *Quòd denique anima rationalis*, quæ est hominis forma, *debeat etiam dici natura*; asserit Arist. 2. *phys. tex.* 12. vbi hominem numerat inter ea, quæ *natura* constant; sed homo est homo per animam rationalem, quæ est eius forma: ergo anima rationalis sortitur rationem naturæ. Cum enim natura sit principium motus, & quietis, & anima rationalis sit causa naturalium mutationum, & operationum vegetandi scilicet sentiendi, & intelligendi; ideò debet dici *natura*: non præcisè quatenus est principium actiuum talium mutationum, sed quatenus est principium receptiuum, & passiuum illarum.

Si dicatur in assertum præcedens totum compositum seu formam totius esse etiam *naturam*, & sic non posse asseri, *quòd duplex sit tantùm natura*, quandoquidem

Sco-

Scotus ipse formam, & essentiam totius vocat naturam ? *Resp.* Scotum nunquam asseruisse formam totius esse naturam, nisi latè sumptam; prout ipsemet se explicat in comm. *super 5. met. cap. 4.* Ratio est, quòd natura sit primum principium motus, & quietis, & forma totius non sit primum principium, sed principiatum ex primis principijs: ergo non est natura propriè sumpta, sed quid constans ex naturis; *natura* enim est quid simplex, & toto non conuenit composito, quòd potiùs dici debet naturatum, quàm natura. Quantùm ad illos qui dicunt accidentia, Angelos, & Deum esse *naturam*; quia talia sunt principium motus, hoc debet negari. Quia natura debet primò, & per se inesse enti naturali; accidentia autem non insunt primariò, & per se enti mobili: & sic dici nequeunt *natura*. Angeli etiam rationem naturæ non participant, quia *natura* debet esse principium motus physici; Angeli autem mouent quidem se localiter; sed non motu physico, cùm illorum motus non sit successiuus, & diuisibilis, sed indiuisibilis & instantaneus; non enim sunt in loco circumscriptiuè, sed definitiuè. Quoad Deum, non potest vllo modo dici *natura*, cùm cætera quidem moueat, sed immobilis perseueret. Non negamus tamen quin Deus, & Angeli possint dici entia naturalia, quia suas naturas, & quidditates participant; nihilominus non propterea dici debent *natura*, quia non habent principia interna motus physici.

Dico 6. maximam esse controuersiam inter philosophos, *an natura sit principium actiuum vel passiuum motus*. Valesius enim, & Vasques dicunt naturam ita esse principium actiuum motus, vt si aliquid moueretur passiuè, haberetque principium ad *taliter moueri*, nec tamen se moueret actiuè, aut haberet principium se mouendi taliter, illud non constaret materia. Mastrius & Bellutus gemini Scotistæ existimant *naturam esse principium actiuum, & passiuum motus*; quòd Arist. 2. *phys. cap. 1. de natura* dicens quòd sit principium motus, & quietis, conprehendat vtrumque principium motus. Scotus autem *in 2. dist. 2. quæst. 1.* cum suis communiter docet *naturam* ita esse principium passiuum motus naturalis, vt si aliquid haberet principium passiuum motus, & non haberet actiuum, diceretur constare *natura*: & si haberet è contra principium actiuum, & non haberet passiuum, non deberet dici habere *naturam*:

vam: imò si aliquid haberet simul principium passiuum, & actiuum motus, ille motus non deberet dici naturalis, quia procedit à principio actiuo; sed præcisè quatenus esset à principio passiuo. Quando ergo Aristoteles de *natura* dicit quòd sit principium motus, hoc intelligi debet de principio *passiuo*, quòd scilicet *natura* sit principium, cur aliquid possit moueri.

Hanc sententiam, quam Scotus expresè habet loco præcitato, prælibauit Aristoteles 2.*Phys.cap.* 1. vbi ait naturam esse principium, & causam, vt *id moueatur, in quo est primò, per se, & non per accidens*. Cùm ergo Aristoteles dicat naturam esse principium vt aliquid moueatur, non verò vt moueat id in quo est, manifestè apparet definiri naturam per principium *passiuum* motus. Idem confirmat philosophus 2. *Phys. text.* 61. dicens *mouentia mota esse considerationis physica, mouentia verò non mota non esse physica considerationis*: ergo solum principium passiuum motus pertinet ad physicam, quæ non agit de corpore mouenti, sed de corpore mobili, vt omnes admittunt. Idem Stagirites 8.*phys.* rationem assignans cur elementa naturaliter moueantur ad sua loca, leuia scilicet sursum, & grauia deorsum; non aliam allegat, nisi quia sic apta nata sunt moueri: & sic motus elementorum ideò est naturalis, quia est passiuus, proindeque quando *natura* definitur ab Aristotele *principium motus*, hoc debet intelligi de principio *passiuo*.

Ratio assertionis nostræ est, quòd *natura* accipiatur à philosopho pro illo principio, à quo motus habet, quòd sit naturalis, & non violentus; sed à solo principio *passiuo*, & non ab actiuo, motus dicitur naturalis, & non violentus: ergo natura debet intelligi esse principium passiuum motus. Probatur minor ex eo quòd, si corpus habeat inclinationem naturalem ad aliquem motum, motus ille debeat dici naturalis, quamuis non haberet principium actiuum talis motus; vt patet de aqua, quæ naturaliter moueretur ad frigus, quamuis frigus non posset produci, nisi ab agente extrinseco nõn verò ab ipsa aqua; quod aliunde non procedit, nisi ex eo quòd passiuè inclinetur aqua ad frigiditatem, Quòd etiam motus non dicatur *naturalis* ab eo quòd principium eius actiuum sit naturale, colligitur ex hoc, quòd, quando homo se mouet sursum, motus ille est à principio intrinseco actiuo, non tamen est naturalis;

& sic

& sic principium actiuum non facit motum esse naturalem, proindeque licèt motus sit à principio actiuo & passiuo simul, vt patet de motu formæ, quæ est natura, & potest mouere & moueri, attamen motus præcisè dicitur naturalis à principio passiuo, non verò ab actiuo: & sic *natura est principium passiuum, non* verò *actiuum*.

Quantùm ad obiectiones in nos fieri solitas, hæ principaliores sunt. *Quòd nulla esset differentia inter naturalia & artificialia*, quandoquidem artificialia habent principium passiuum sui motus, marmor scilicet, vt fiat statua Cęsaris, vel leonis effigies. *Quod forma quæ est principium tantùm actiuum, non esset natura*, contra Philosophum, qui dicit formam esse magis naturam, quam materia sit. *Quod* denique *non sit minus naturale igni calefacere corpus sibi applicatum, aut aqua se reducere ad pristinum frigus, quàm graui tendere deorsum*. *Resp. ad primum* in hoc distingui naturalia ab artificialibus, quòd illa habeant inclinationem naturalem passiuam ad perfectionem quam recipiunt, ista verò habeant indifferentiam ad formam leonis vel Cęsaris: naturale autem sumimus pro eo quod opponitur violento vel neutro. *Resp.* ad *secundum* formam reuerà esse *naturam*, vt prædictum est, sed illa etiam est principium *passiuum*, quandoquidem forma substantialis compositi dat illi inclinationem ad recipiendas aliquas qualitates, potiùs quàm alias, vt patet de forma substantiali aquæ, quę dat illi inclinationem ad frigus. Quando ergo forma est principium actiuum simul & passiuum, non dicitur *natura* præcisè à principio *actiuo*, seu à principio *passiuo*; vt probatum est: vnde, licèt intellectus & voluntas sint principia naturalia, potiùs dicuntur talia à receptione intellectionum & volitionum, quàm ab earum elicitione.

Resp. ad *tertium*, quod est fundamentum cur Mastrius recesserit à mente ordinaria Scotistarum, quòd calefactio actiua ignis sit quidem illi naturalis, & quòd detineretur in statu violento, si non calefaceret corpora sibi applicata, vt euenit in fornace Babylonica, ab illa tamen calefactione non censetur habere naturam, prout *natura* definita est à philosopho, quoniam vt talis, debet esse principium passiuum, sed debet dici naturam habere ex eo quòd recipiat motum eleuantem, ignitionem, & calefactionem, quæ omnia dicunt

prin-

principium passiuum. Si ergo talis actio, qua ignis calefacit dicatur naturalis, ibi *naturale* sumitur prout opponitur supernaturali, & libero; non verò prout opponitur violento, & naturali. Sic distinguendus est Aristoteles, quando pluribus in locis ait naturam esse principium actiuum; quod scilicet loquatur de *natura* prout opponitur libero, & supernaturali; non vt opposita est violento, de qua sic sumpta hic agitur.

Quæres *vtrum materia, & forma conueniant vniuocè in ratione naturæ*. *Resp.* affirmatiuè, si enim in ratione partis compositi, & in ratione substantiæ incompletæ conueniant vniuocè materia, & forma, quandoquidem vtraque denominatur, & est pars compositi, sicut, & substantia incompleta; pari ratione conueniunt vniuocè in ratione naturæ; cùm vtraque dicatur *natura* à philosophis, & sit principium motus, & quietis. Quòd si Scotus *in 2. dist. 12. quæst. 1.* dicat materiam, & formam esse *primò diuersas*; per hoc non intendit negare, quòd vniuocè conueniant in aliquo conceptu positiuo, aliàs non conuenirent etiam in ratione quidditatiua entis; quod tamen falsum est, quandoquidem materia & forma sunt ens. Scotus ergo dicens materiam, & formam esse *primò diuersas*; loquitur de illis reduplicatiuè sumptis, quod scilicet nihil materiæ, vt materia est, includatur in forma, & nihil formæ, vt est forma, sit de quidditate materiæ. Cùm ergo à materia, & forma possit abstrahi aliquis conceptus quidditatiuus entis, & substantię incompletæ, in duo vniuocè conueniant; sic potest abstrahi conceptus vniuocus naturæ, in quo conueniunt materia, & forma; quandoquidem vtraque est principium *passiuum*, quo materia, & forma vel potiùs compositum potest recipere multas mutationes ipsi aduenientes.

Quæres, *quot sint motus quorum natura sit principium*. *Resp.* sex communiter assignari, qui sunt Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio, & Motus localis. *Generatio* est transitus à non esse substantiali ad esse substantiale; vt à non esse hominis ad esse hominis. *Corruptio* est transitus ab esse substantiali ad non esse substantiale; vt ab esse hominis ad non esse hominis. *Augmentatio seu accretio* est mutatio quædam, per quam augetur quantitas subiecti; vt cùm baculus vnius pedis per extensionem bipedalis redditur. *Diminutio*

nutio vel decretio est mutatio illa, per quam deperditur quantitas; quando nimirum superficies bipedalis per compressionem pedalis efficitur. *Alteratio* est ille motus, per quem aliqua qualitas acquiritur; vt cùm aqua ex frigida fit calida. *Motus* denique *localis* est illa mutatio, qua aliquis ab vno loco ad alium progreditur; vtpotè, quando aliquis Lutetia Romam vadit.

QVÆSTIO II.

Quid dicendum sit de Arte.

CVm dixerimus in assertione secunda quæstionis præcedentis, naturam opponi pluribus, & præsertim artificiali, & violento; vt exactè sciantur quæ rationem naturæ concernunt, non erit perperam dicere aliquid de *arte* in quæstione præsenti, & de *violentia* in sequenti quæstione. Hic autem non loquuturi sumus de arte sumpta latè, & impropriè, pro quolibet habitu vero, siue practico siue speculatiuo, quo sensu Arist. 1. *Met. cap.* 1. mathematicas disciplinas nuncupat artes, quas 10. *Met. tex.* 44. scientias nominat: Sed de *arte* sumpta propriè pro habitu factiuo, cuius opus transit in materiam externam, & exercetur per organum corporeum; qualiter sumitur apud Aristot. 7. *met. cap.* 3. & Scotum *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. De arte, inquam, sic accepta hæc in præsenti quæstione dicenda sunt præsertim, quid sit ars; in quibus conueniant ars, & natura, in quibus distinguantur, an ars possit efficere opera naturæ, quomodo formæ artificiales distinguantur à naturalibus, & an arte chymica possit fieri verum aurum.

Dico primò *artem* non immeritò definiri ab Aristotele *habitum verà cum ratione factiuum*, seu *rectam rationem factibilium*; ars enim est habitus in ratione residens, qui illam dirigit circa materiam externam, vt circa ferrum, ceram, lignum, marmor, & similia, vnde artificialia dicuntur, quę ratio efficit in materia externa. Si *ars* sumatur diminutè pro habitu verà cum ratione, seu pro habitu apprehensiuo rectitudinis agendorum, attribui potest Deo, vt innuit Scotus *in* 1. *dist.* 38. *quæst. vn.* quandoquidem intellectus eius cognoscit rectitudinem, & ordinem operandorum. Si verò *ars* sumatur accuratè pro habitu dirigente potentiam aliam, cuius est operari secundùm artem; tunc ars non

poteſt Deo competere; cùm voluntas eius, quæ eſt potentia operatiua rerum, non poſſit dirigi, quoniam de ſe eſt ſummè recta, nec à rectitudine deflectere poteſt. Quantùm ad multiplicitatem artium, in fine logicæ oſtendimus agentes de ſcientia, quænam ſint artes liberales, & quænam mechanicæ & illarum numerum attulimus.

Minus benè ſentiunt de forma artificiali, qui negant eam eſſe quid reale & poſitiuum; quia formæ artificiales fiunt per ſubſtractionem materiæ, vt patet de figuris in marmore ſculptis; & quæ fiunt per ſubſtractionem nihil habent poſitiui: ſed illi longè meliùs ratiocinantur qui cum Doctore noſtro 8. *Met. in comm. cap.* 3. aſſeuerant formam artificialem eſſe quid reale & poſitiuum, conuenienter ad mentem Philoſophi, *lib.* 2. *Phyſ. tex.* 11. dicentis lignum eſſe quid artificiale in potentia, & fieri artificiale actu per formam artificialem de nouo illi aduenientem; Ratio huius ex hoc colligitur, quòd forma artificialis cadat ſub ſenſus, & quòd ſub ſenſus cadit, eſt reale & poſitiuum. Deinde forma artificialis eſt terminus actionis realis & poſitiuæ in artifice exiſtentis, qui in præiacentem materiam agit; & ſic realis cenſeri debet illius actio. Tandem *ars* definitur *habitus cum recta ratione factiuus* ex 6. *ethic. c.* 4. ergo opus ad quod inclinat talis habitus, habet formam realem poſitiuum. Quòd ſi *dicatur* in ſculptis imaginibus nihil poſitiui aduenire, ſed tantùm demi; hoc verum eſt quantùm ad primum terminum, nempè lignum, cui nihil noui accedit, falſum verò, quantùm ad ſecundum terminum, ſeu *artefactum*, quod formam artificialem recipit, quæ realis eſt & poſitiua.

Si quæratur autem *quid ſit forma artificialis*, reſponderi poteſt conformiter ad Scotum *in comm.* 12. *met. tex.* 15. quòd ſit *qualitas terminatiua quantitatis ab artifice elaborata per intellectum practicum & voluntatem.* In hac definitione *qualitas* tenet locum generis: quandoquidem forma reducitur ad quartam ſpeciem qualitatis. *Terminatiua quantitatis* tenet locum differentiæ, per illam enim particulam differt à forma artificiali, quæ eſt materiæ terminus. Differt, inquam, forma artis à forma naturæ per diſtinctionem realem, vt innuunt Ariſtot. 2. *phyſ. text.* 3. & Scotus 6. *met. in comm. cap.* 1. Quia deſtructâ formâ artificiali manet forma compoſiti naturalis. vt patet de imagine Cæſaris,

ris, quæ in marmore figurata destruitur aliquando, marmoris forma substantiali remanente. Adde quòd inter accidens & substantiam sit distinctio realis forma autem naturę est substantia, & forma artis est accidens. Quòd si forma naturalis & artificialis videantur habere easdem proprietates, quandoquidem si forma naturæ sit leuis, grauis, frigida, aut calida, talis erit forma artis; hoc verum est per accidens & ratione subiecti, quod sub vtraque forma retinet easdem qualitates; falsum verò per se & ratione sui, quandoquidem artefactum vt artefactum non est leue aut graue, calidum aut frigidum.

Dico 2. ideò artem dici imitari naturam 2. *phys. text.* 22. quòd in multis conueniant ars & natura, & præsertim in quatuor: scilicet, in ratione principij, in ratione, subiecti, in ratione modi, & in ratione termini. *Primò*, inquam, ars naturam videtur imitari *ex parte principij*, quia sicut naturalia correspondent rationi D. quæ ob hoc dicitur *ratio vniuersalis agendorum*; sic etiam artificialia debent conformari rationi humanę, quæ est *mensura & regula factibilium*. *Secundò*, ars imitatur naturam *ex parte subiecti*, quandoquidem sicut natura pręsupponit materiam ex qua educit formas substantiales, sic etiam ars præexigit materiam suorum operum, ex quibus formas artificiales industriosè educit. *Tertiò* ars imitatur naturam *in modo procedendi*, sicut enim *natura ab imperfectioribus ad perfectiora procedit*, vt experientia testatur, qua videmus virgulas præcedere arbores; sic etiam ars imperfectiora primò adhibet, ac deinde exquisitiora, vt videri potest in arte pingendi. *Quartò* denique, conueniunt ars & natura *ex parte termini*, quia sicut natura agit ad aliquem finem, ex quo pendet tota ratio operis; ita ars sibi constituit finem, ex quo desumit regulas suæ operationis: ita quòd sicut in natura adueniunt aliquando defectus, cùm natura deuiat à fine; sic vitia vtcumque accidunt in artefactis, quando propter inexperientiam artificis, vel defectum materiæ, à fine artis deuiatur. Non desunt aliæ similitudines inter naturam & artem, quæ de se sufficienter apparent.

Dico 3. in sequentibus artem & naturam distingui. *Primò* scilicet quòd *natura* sit substantia, *ars* verò accidens, de pręedicamento qualitatis, & de specie habitus. *Secundò natura* est principium *internum* motus &

& quietis; *ars* verò est principium *extrinsecum*, quod artificem ad opus externum dirigit. 3. *natura* est opifex rerum, quæ sunt veræ & propriç, vnde formæ naturales dicuntur *viua*; *ars* verò producit res tantummodò similitudinarias & apparentes, quç ideò dicuntur *mortua*, quia nulla agendi virtute pollent. 4. *natura* in *absconditis* elaborandis versatur, ars verò in *externis* & patentibus. 5. omnes partes rei *naturalis* sunt à *natura*, materia scilicet & forma; partium verò rei *artificialis* vna est à *natura*, vtpotè marmor; alia ab *arte* nempè figura artefacti. 6. formç *artifitiales* afficiunt vt plurimum corporis superficiem; sicut apparet in statuis & picturis; formæ verò *substantiales* totum compositum informant. 7. res *naturalis* est similis suo agenti secundùm esse ideale reale in agentibus scilicet à proposito; *artificialis* verò est tantùm similis agenti secundùm esse ideale: vnde Arist. 7. *met. text.* 22. ait sanitatem & domum ad extra, effici à sanitate & domo quæ est ad intra, seu in mente artificis. *Octauò* denique natura est *perfectibilis* per artem, ars verò est naturæ *perfectiua*, vt habetur 2. *phys. text.* 79. *ars perficit naturam*; quando scilicet ex rudi lapide speciosa efficitur statua, & ex permixtione colorum efformantur pulcherrimi vultus. Non propterea tamen ars debet dici naturà perfectior, quia non perficit illam simpliciter & secundùm suam entitatem; sed tantùm secundum quid, adijciendo naturæ aliquas perfectiones extrinsecas.

Dico 4. *artem non posse attingere primò & per se effectus naturæ, directè influendo in illos; benè autem indirectè, applicando actiua naturalia passiuis*. Sic Scotus *in* 2. *dist.* 18. *quæst. vn.* & D. Thomas 1. 2. *quæst.* 77. *art.* 2. *ad* 2. contra Albertum & Henricum affirmantes artem posse *opera naturæ moliri*. Ratio *primi* est quia ea quæ fiunt directè per artem, vel efficiuntur per detractionem, vt statua lignea: vel per additionem vt pictura, vel per compositionem, vt domus, vel per transfigurationem, vt imago cerea, aut statua fusilis; sed per hæc omnia nullum opus naturæ formatur, sed formatum figuratur & perficitur: ergo ars non producit per se opera naturæ. Deinde vera & propria causa effectum virtualiter continet, cùm illum possit producere, sed ars, quæ est accidens, non continet effectus naturæ, qui sunt substantiç; quandoquidem accidens

non potest producere substantiam: ergo ars nequit di-rectè attingere opus naturæ. Tandem ars non operatur nisi applicando & modificando opera naturæ : sed directio & modificatio sunt accidentia intentionalia, quæ non possunt producere opera naturæ: ergo. Quod si *Exod. 7. Sapientes Ægyptiorum arte magica fecerint serpentes*, quos Aug. *lib. 2. qq. super Exod. quæst. 21.* dicit fuisse *veros serpentes*. Respondet Scotus *in 2. dist. 18. quæst. vn.* tales serpentes effectos fuisse per artem, non per se & virtute propriâ artis; sed *per accidens & per applicationem actiuorum passiuis*. Si etiam arte magica & in virtute quarumdam imaginum quædam fuerint patrata, quæ vires naturæ superant: hoc factum est, non virtute propriâ talium figurarum, sed ope dæmonum; qui per hoc voluerunt auertere homines à vero Dei cultu. Si denique vitrum, butyrum, & similia, quę sunt effectus substantiales, efficiantur *arte*; hoc fit non per virtutem propriam artis, sed per virtutem rerum naturalium, adhibita *iusta positione, permixtione, confusione, & applicatione actiuorum passiuis*

Secundum indicatur ex hoc, quòd ars medica dirigat medicum in compositione pharmaci, quod haustum ab ægroto sanitatem producit, quę est quid naturale productum directè per pharmacum, & *indirectè* per artem medicam. Sic etiam ars agriculturæ proijciendo grana in terram frumentum producit, quod directè germinatur à terra, & *indirectè* ortum ducit per agriculturæ artem. Sic denique nedum magici ope dæmonum diuersas animantium imperfectorum formas inferunt sed etiam in Ægypto, vt fertur, construuntur furni, in quorum superiori parte multa disponuntur oua, deinde accenditur ignis in inferiori parte illius, vis maior caloris exhalatur per foramen medium, & postea ex illis ouis, mediante calore superiori temperato, multi erumpunt pulli: ex quibus colligitur *artem sæpe sapiùs indirectè moliri opera naturæ*.

Dico 5. non eodem modo respondere authores ad difficultatem, quæ proponitur de possibilitate confectionis veri auri per artem chymicam; cùm Auerroes, Auicenna, & multi ex antiquis, sicut & ex recentioribus non pauci opinentur effectionem veri auri esse impossibilem arti chymicæ. Tum quia virtus productiua auri est calor solis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis, vnde Anaxagoras dicebat *fedinam esse veluti*

ma-

matrem respectu formationis auri, *& solem veluti patrem*; sed ista principia non subiacent industrię artis cùm non possimus disponere de virtute solis, nec efficere materiam dispositam ad susceptionem formæ substantialis auri: ergo in illorum mente verum aurum non potest effici per artem chymicam. Tum etiam quia nedum calor solis necessarius est ad productionem veri auri, sed etiam ad hoc requiruntur certæ quædam influentiæ eiusdem astri, quæ non percipiuntur sensibus; & quas ignis & ars non possunt supplere. Tum postea quia in locis naturaliter dispositis ad confectionem veri auri, integra ferè sæcula consumit natura ad talem effectionem: ergo ridiculum est dicere hoc posse facere hominem in medio sui temporis spatio. Tum denique quia Ecclesia ob impossibilitatem auri conficiendi per artem alchymicam condemnat in extrauaganti, *spondet*, declaratque vendentes tale aurum *ad restitutionem teneri*; quòd sanè non deberet fieri, si tale aurum esset verum & reale.

Alij verò quibus fauere videntur D. Thomas 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 2. Scotus *in* 2. *dist.* 18. *quæst. vn.* Albertus Magnus cum multis, existimant *per artem chymicam verum aurum confici posse*. Multa enim difficiliora videmus fieri ab hominibus beneficio artis quandoquidem longè est difficilius producere formas substantiales animalium viuentium, quod faciunt Ægyptij quàm inducere formam substantialem auri, quod non est viuens: ergo cùm istud sit possibile, à fortiori illud etiam tale erit. Deinde omnia metalla fiunt in visceribus terræ ex certa temperie elementorum: sed ars chymica longo vsu edocta talem temperiem agnoscere potest: ergo & imitari ex mixtione sulphuris, & mercurij, aut alterius similis rei; vnde plures afferuntur historiæ, quæ probant ab alchymistis verum aurum fuisse efformatum. Tandem si repugnaret quominus confectio veri auri esset possibilis, maximè, quia non possent suppleri influentiæ solis, nec locus in quo generatur aurum, qui est terra; sed non alia virtus requiritur ex parte solis, nisi calor, qui potest suppleri per ignis calorem temperatum; locus autem nihil per se confert ad generationem auri, sed tantùm per accidens, quatenus temperamentum illius formam auri fouere & seruare potest; sed hoc potest suppleri per industriam artis; ergo nec ex parte agentis, nec ex parte

loci repugnat auri confectio, & multo minus ex parte materiæ, quæ est capax omnium formarum, & ex parte formæ auri, quę cum sit corporea, educi potest de potentia materiæ; modò per industriam possibilem artis chymicæ præcedant dispositiones necessariæ in materia vt forma auri introducatur.

Quando ergo assertioni præcedenti opponitur materiam auri concoqui non posse, nisi calore cœlesti: *Responderi* potest, quòd ille calor suppleri queat per calorem ignis, qui est eiusdem speciei, & qui temperari potest, ne sit violentior & aptior ad corrumpendum quàm ad generandum. Nec afferri debet locum auri conficiendi esse in visceribus terrę: talis enim locus suppleri potest: cùm locus procreationis murium sit matrix, quæ tamen generari possunt in quisquilijs; Quantùm ad *extrauagantem præcitatem*, ideo Ecclesia eam edidit, nè in tali arte chymica se intromittat dæmon, qui optimè nouit applicare actiua naturalia passiuis; & sic de facili posset decipere homines. *Quando autem pœna restitutionis infligitur tale aurum chymicum diuendentibus*; hoc ideo factum est, quia periculum esse presumitur de veritate talis auri, quòd ex hoc procedit, quòd Alchymistæ talem artem non benè calleant, vnde illis applicari potest dictum Pauli 2. Thimot. 3. *semper ad discentes & nunquam ad veritatis scientiam peruenientes*.

QVÆSTIO III.

Quid dicendum sit de Violentia?

CVm naturæ opponatur *violentia*, quandoquidem motus violentus est naturali contrarius; postquam egimus de natura & arte, conueniens est vt aliqua subiungamus de *violentia*, quoniam ad eandem scientiam spectat disputare de contrarijs, vt patet de Ethica, quæ agit de virtutibus & vitijs, & de medicina, quæ tractat & de morbis & de sanitate.

Dico ergo primò *violentiam esse id cuius principium est extra, passo non conferente vim*; cùm enim oppositorum contraria sit ratio, sicut natura est principium intrinsecum motus & quietis, sic etiam violentia est principium extremum eiusdem motus. Violentia ergo duo im-

importat, quæ exprimuntur in definitione eius; quorum primum est, quòd ab extrinseco procedat, seu inferatur à principio sibi inimico, quòd inclinationi rei repugnet, & rem vertat in oppositum illius, ad quod ex se inclinatur; & illud primum exprimitur in priori particula definitionis, cùm dicitur, *cuius principium est extra*. Secundùm habetur in sequentibus verbis, *passo non conferente vim*, idest repugnante. Vt aliquid enim censeatur esse in motu violento, non sufficit quòd indifferenter passum se habeat ad talem motum, quia talis quieta subiectio censeretur tribuere aliquid actioni & agenti conuenire: sed requiritur, vt passum repugnet actiuè nitendo in contrarium, vel saltem passiuè, se præbendo ineptum tali motui impresso ab agente. Si ergo quæratur *quanam sit differentia inter naturale, artificiale, & violentum*; responderi debet quòd *naturale* sit cuius principium est intra; *artificiale* cuius principium est extra in ratione fabricantis, cum indifferentia ad hanc vel illam formam; violentum verò cuius principium non solùm est extra, sed etiam opponitur naturali inclinationi: vnde violentum magis opponitur naturę, quàm artificiale; quoniam *artificiale* naturam imitatur, & violentum aduersatur illius inclinationi.

Dico 2. quòd motus ille, quem agens superius imprimit naturæ inferiori, *non debeat dici violentus, sed potius naturalis*, quamuis sit insolitus & diuersus ab illo, in quem natura prona est: vnde quando Angelus mouet corpus aliquod & eleuat sursum, non debet dici violentiam illi inferre; quia omnia corpora naturaliter subiecta sunt Angelis, vt corpus viuum suæ animę. Ratio huius est quia aliquid non dicitur *violentum*, nisi quod fit passo resistente; sed res inferiores subordinatæ non resistunt, imò potiùs obediunt superioribus: ergo motus agentis superioris non est violentus inferiori rei quamuis sit contrarius motui, quem pro solito habet; vnde Translatio longinqua, quam fecit Angelus respectu Abacuch prophetæ, *violenta* propriè dici non debuit; si consideretur vt facta ab Angelo. Deinde res inferior maximè inclinatur ad obediendum superiori; cùm in tali subiectione reperiat suam perfectionem, & consistat bonum totius vniuersi, quod omnia maximè appetunt. Tandem sicut politica subiectio fundat politicam obedientiam ita subiectio naturalis fundat naturalem obedientiam; sed res inferiores naturaliter sub-

ijciuntur agentibus superioribus, quibus ob hoc dicuntur *inferiores*: ergo sicut boni ciues subiacent & spontè obediunt regi, in illis quæ concernunt reipublicę bonum; sic etiam res inferiores naturales naturaliter subeunt ordinem agentium superiorum: & quando mouentur ab illis, tales motus debent dici naturales & & non violenti, quamuis opponantur motibus illis qui sunt conformes naturis particularibus, etiam si aliquando cedant in detrimentum & in destructionem talium rerum inferiorum, quæ cedere debent vtilitati vniuersitatis.

Dico 3. motum, quem Deus imprimit creaturæ, non debere dici violentum, sed maximè naturalem, propter rationes pręallatas. Quas firmiter confirmat Aug. lib. 26. contra Faustum cap. 3. dicens, *Illud est cuilibet rei naturale, quod fecerit ille à quo est omnis motus, numerus, & ordo naturæ: Deus enim creator & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit*. Ratio sequens præcedentibus potest adijci, quòd scilicet ea omnia quæ Deus facit in creaturis sint iuxta principalem illarum inclinationem, quandoquidem *intimior creaturæ inclinatio est obedire creatori, cui connaturalius subijcitur, quàm corpus animæ*: ergo, sicut naturalis est motus quo brachium se eleuat, non obstante pondere proprio, vt obediat voluntati, cui subordinatur; sic etiam omnis motus, quem Deus imprimit creaturæ sibi totaliter subiectæ non debet reputari *violentus*, sed maximè naturalis. *Deinde*, non est contra naturam instrumenti, quòd moueatur à propria causa, sed omnes creaturæ ex natura sua sunt instrumenta Dei: ergo qualiscumque motus illis imprimatur à Deo, non debet censeri violentus, quamuis sit contra inclinationem naturalem rei consideratæ in particulari, & non vt subest imperio D. *Tandem* materia artis, quamcumque formam recipiat ab artifice, nunquam dicitur esse in statu *violento*, quia indifferentiam habet ad omnes formas, quas artifex vult illi imprimere, sed non minùs dependent naturæ inferiores à Deo, quàm materia artis ab artifice respectu formarum recipiendarum: ergo motus à Deo creaturę impressus, qualiscumque sit, nec debet dici *violentus*, sed naturalis.

Quando ergo sol stetit ad vocem Iosue, quando retrogressus est ad imperium Isaiæ tempore Ezechiæ regis, & quando aquę steterunt vt facilis transitus prę-

beretur filijs Israel, talia non debuerunt dici *violenta*, sed naturalia simpliciter, *quandoquidem hæc omnia operatus est Deus*, ad cuius nutum omnes creaturę naturaliter & sponte operantur. Quòd si *dicatur* Deum concurrendo cum causis secundis inferre illarum effectui violentiam, quando v. g. concurrit cum manu proijciente lapidem sursum: ergo quando se solo agit & imprimit motus alicui creaturæ, mouendo v.g. Iordanem contra suos fontes, talis reuersio debet dici violenta, & sic motus à Deo creaturę impressus non est naturalis. *Debet negari consequentia*, quia Deus concurrens cum creaturis se accommodat illarum agendi modo: vnde cùm homo proijcit lapidem sursum, quia talis proiectio dicitur *violenta* respectu hominis, talis etiam dici debet respectu Dei concurrentis, qui eodem modo operatur ac creatura: quando autem Deus agit se solo, operatur iuxta modum suum, & cùm sit naturæ Dominus, quælibet creatura illi liberè & sponte paret. *Dices* ergo detentio dæmonum in flammis infernalibus, quę fit per simplicem actionem Dei, debet censeri naturalis & non violenta; proindeque dæmones non patiuntur in inferno, quoniam habent inclinationem naturalem subeundi inferni tormenta. *Resp.* Deum duplici modo agere in creaturis, aliquando scilicet per modum agentis vniuersalis, quod flectit quocumque vult creaturarum inclinationes, quas in manu habet; & tunc quidquid faciunt creaturæ ex imperio Dei, est illis naturale, quamuis fieret contra particularem inclinationem rerum, quam *actu* suspendit: Aliquando verò operatur per modum agentis particularis, quando imprimit creaturę motum oppositum inclinationi illius, quam in ea conseruat; & protunc talis motus censetur creaturę *violentus*, quia oritur contra inclinationem actualem talis creaturę: & ob hanc rationem dæmones detenti in flammis patiuntur, & sunt in statu *violento*; quia habent *actu* inclinationem sese conseruandi & nullo modo patiendi: vnde cùm tormenta, quę illis infert Deus, sint contra illorum inclinationem, proinde illorum supplicia *violenta* dici debent.

SECTIO II.

De Causis per se Rerum Naturalium.

POstquam Philosophus in principio *lib. 2. Physicorum* loquutus est de natura & arte, quæ aliqualiter dici possunt causæ, quandoquidem ab illis multa dimanant, differit postea de causis *per se* rerum naturalium, quas dicit esse quatuor, nempè Materiam, Formam, Efficientem, & Finalem. Sic nos eandem affectamus methodum, & postquam in prima sectione sermonem habuimus de natura & arte, & quædam adiunximus de violentia; in præsenti intendimus examinare quæ scitu sunt necessaria de *causis per se*, quam sectionem distribuimus in quatuor capita, agentes in *primo de causis in genere*; in *secundo* agemus de *causis materiali & finali*, cùm iam multa dixerimus de materia & forma in prima disputatione. In *tertio* loquemur de *causa efficiente*; et de *causa finali in quarto*.

CAPVT PRIMVM.

De Causis in Genere.

ALiæ sunt *causæ per se*, quæ scilicet vt *tales* influunt in effectum; & sic Architectus & Medicus dicuntur causæ per se: quia Architectus, vt Architectus, influit esse in domum, & medicus in sanitatem ægroti. Aliæ sunt *causæ per accidens*, quæ vt *tales* effectum non producunt, sed sub alia quadam ratione; ita quòd, si aliquis sit simul medicus & architectus, dicetur quidem quòd medicus sit causa domus; sed tantùm per accidens, quandoquidem non vt medicus, sed vt architectus domum ędificat. Aliæ sunt adhuc *causæ per accidens*, quæ per se non influunt in effectum; vt *fortuna* & *casus*: vnde effectus ad illas sequentes dicuntur *casuales & fortuiti*, & de istis loquemur in sequenti sectione.

QVÆSTIO PRIMA.

Quot modis vsurpetur Causa.

CAusarum aliæ sunt *priores*, seu *vniuersaliores*, quæ concurrunt ad productionem plurium effectuum di-

diuersæ rationis; vt Deus, Sol, & Astra : aliæ sunt *posteriores*, seu *particulares*, vt homo, & animalia perfecta. Dum concurrunt enim sol & homo ad productionem hominis, sol dicitur causa prima seu vniuersalior, & homo vocatur causa posterior seu minus vniuersalis, aut particularis.

Causarum aliæ sunt Primæ, & aliæ consequenter Secundæ. *Causæ primæ* dicuntur tales, vel primitate perfectionis; vt in hominis generatione, vbi sol & homo hominem generant, homo dicitur *prior*. Vel primitate indifferentiæ, & sic sol est *prima* causa respectu hominis generantis; quoniam sol est indiferens ad plures effectus, & homo est determinatus ad vnum: Vel primitate existentiæ, quando vnum existit priùs alio: quod intelligi potest tripliciter, nimirum tempore, naturâ, & origine. Deus v. g. dicitur prior creaturis prioritate quadam temporis, rationalitas est prior naturâ risibilitate, & in diuinis Pater est prior Filio prioritate originis; Quoad *causas secundas* supponuntur intelligi per respectum ad causas primas.

Causarum aliæ sunt *vniuocæ*, quæ producunt effectum sibi similem in specie : vt leo, qui producit leonem, equus, equum, & homo hominem; aliæ *æquiuocæ*, quæ causant effectum in specie dissimilem : vt sol, qui producit hominem, ranas, arbores, & metalla, Æquiuoca confunditur cum vniuersali, & vniuoca cum particulari, quandoquidem causa vniuoca est ea, quæ determinatur ex sua natura ad certos & particulares effectus, æquiuoca verò se extendit ad plures effectus & indeterminatos : & sic frustra diuideremus causas vniuersales & particulares.

Causarum aliæ sunt Totales, aliæ Partiales. *Totalis* est ea, quæ producit totum effectum; vt quando vnus homo fert centum libras. *Partialis* verò est ea, quæ vnam tantùm partem effectus producit, vt quando duo equi trahunt currum. Quòd si causa totalis producat sola totum effectum, dicitur causa totalis totaliter effectum producens. Si autem producat totum effectum ad quem vlteriùs concurrit alia causa subordinans vel subordinata, quę etiam in suo genere totum effectum producit homo, tunc sol & homo dicuntur causę totales quidem eiusdem hominis, sed non totaliter producentes; quia sol non excludit causalitatem hominis, nec homo causalitatem solis.

Causa diuiditur quartò in Principalem & Instrumentariam. *Principalis* est ea, quæ propria sua virtute attingit effectum; sic ignis pruducit ignem, sol radium, & Deus gratiam, vt causę principales. *Instrumentalis* ea est, quę in sua operatione dependet à causa principali; sic calor ignis producit ignem instrumentaliter, sacramenta gratiam, calamus scripturam, & gladius mortem.

Causa diuiditur sextò, in causam *Propriam*, à qua verè & propriè dependet & producitur effectus; & sic calor producitur ab igne, tanquam à causa propria: & in *Impropriam*, quę non influit propriè & per se in obiectum, sed est conditio sine qua effectus non produceretur à causa: & sic approximatio ignis ad stuppam est causa combustionis impropria. Hic posset assignari etiam diuisio causę in *causam in actu primo*, qualis est ignis, qui posset comburere lignum, si illi approximaretur, licèt non comburat ex defectu approximationis: & in *causam in actu secundo*, quę nedum effectum producere potest, sed etiam producit de facto. vt idem ignis, qui actu lignum sibi applicatum comburit.

Causa diuiditur septimò in causam *primam* simpliciter & absolutè, qualis est solus Deus à quo cæterę causę suam desumunt virtutem causandi: & in causam *secundam*, quales sunt omnes causę inferiores, quę non influunt in effectus, nisi dependenter à causa prima, ex qua omnem vim producendi hauriunt. Hic addi possunt causa Proxima & Remota, causa Mediata & Immediata, causa Naturalis & Supernaturalis, causa Ordinaria & Extraordinaria, & similes. Causa *proxima* est ea, quę proximè attingit effectum, vt pater filium; *Remota*, quę remotè effectum attingit effectum, vt quando Rex gubernat omnes suas prouincias interuentu Proregum; *Immediata* verò est ea, quę agit aut immediatione suppositi, quando v. g. ignis agit in lignum sibi applicatum; aut immediatione virtutis, vti patet de sole, qui aurum producit in visceribus terræ per suum calorem, qui immediatè ibi penetrat materiam ad hoc dispositam. Causa *naturalis* est illa, quę innata virtute effectum producit, vt ignis calorem, vbi *supernaturalis* non producit effectum nisi miraculosè: & quatenus eleuatur à potentia D. & sic ignis inferni torquet dęmones, & aqua baptismi producit gratiam.

Or-

Ordinaria effectum causat secundum communem naturæ ordinem, vt quando homo generat hominem: *Extraordinaria* verò agit præter ordinem naturę, cum v.g. canis ab homine producitur. Potest insuper dici, quòd causa sit, vel libera, vel necessaria, vel libera & necessaria simul. Angelus & homo sunt causæ *liberæ*, quia possunt agere & non agere; ignis est causa *necessaria*, quia necessariò producit calorem; Deus autem respectu actionum *ad extra* est causa *libera*, quia potuit non producere creaturas; respectu verò actionum *ad intra* est agens *necessarium*, quia necessariò se intelligit, se vult, generat Filium, & producit Spiritum Sanctum.

Tandem vt ad propositum deueniamus, causa subdiuiditur in Moralem, & Physicam. *Moralis* est ea, quæ moraliter influit in effectum: vel consulendo, vel præcipiendo, vel persuadendo: & sic aduocatus est causa moralis litigij quod consulit; rex est causa mortis respectu rei quem damnat ad capitale supplicium; & orator, qui suadet auditoribus vt faciant aliquid, dicitur causa moralis facti illius, quod eliciunt ministerio persuasionis. Causa *physica* seu *naturalis* est ea, quę vero & reali influxu concurrit ad effectionem compositi; & hæc causa physica seu naturalis est, quadruplex, nempè *materialis, formalis, efficiens,* & *finalis*: Harum autem causarum duæ sunt *intrinseca*, quæ actu manent in composito, nempè *materia* & *forma*: duæ verò sunt *extrinseca*, quæ non ingrediuntur compositum, videlicet *efficiens* & *finalis*.

QVÆSTIO II.

Quid & quotuplex sit Causa.

SVppositâ causarum existentiâ, quam vniuersa Philosophia clamat, & quam euidenter demonstrant generationes & corruptiones rerum naturalium, quæ non à seipsis, sed ab agentibus causantur; videndum est *quid sit & quotuplex sit causa*. Non sumimus autem hic *causam* in latiori acceptione, in qua conuenit cum principio, & priuationem comprehendit; vnde Patres Gręci dicunt *Patrem Æternum esse causam Filij*, causam pro principio vsurpantes; quem modum loquendi repudiant Latini *negantes Patrem esse causam Filij, sed tantummodò principium*. Non sumimus etiam no-

nomen *causa* strictissimo modo, pro sola nimirum efficiéte, quæ est causarũ princeps in executione, & ea quæ manifestiùs apparet inter causas; Sed *causam* accipimus medio quodam modo, quatenus scilicet sumitur pro eo omni, quod influit *esse* in effectum; & sic vsurpata comprehendit quatuor communia causarum genera.

CONCLVSIO PRIMA.

Causa est principium per se positiuè influens esse in aliud. Dicitur primò *principium*, quod tenet locum generis, in quo conuenit *causa* cum priuatione, quæ est principium & non causa. Dicitur 2. *influens*, per quod intelligitur nedum influxus causę efficientis, sed cuiuslibet causæ physicæ, quæ influit, seu communicat *esse*. Additur *per se*, vt excludatur causa per accidens, quæ vt talis non influit *esse* in effectum, sed ratione alicuius connexionis cum causa *per se*; vt quando medicus dicitur causa domus, in quantum est etiam architectus. Per eandem particulam excluduntur conditiones, quæ dicuntur *sine quibus non producitur effectus*; vt approximatio respectu causæ efficientis, quæ requiritur quidem, vt efficiens effectum producat, sed non influit *per se* in illum. Additur *positiuè*, vt excludatur priuatio, quæ dici nequit *causa*, cùm nec in generatione, nec in rem genitam influat *esse* positiuè. Adiungitur denique *in aliud*, quod denotat effectum debere distingui realiter essentialiter à *causa*; vnde Pater D. non est *causa* Verbi, quandoquidem non distinguitur Verbum à Patre realiter essentialiter, sed tantùm realiter personaliter; & ob hoc Filius in diuinis, non est *aliud* à Patre, quòd denotat distinctionem essentialem; sed est *alius*, quod distinctionem realem personalem importat.

Obijcies causam non posse definiri, quia ex Scoto Theor. 19. nomen causæ est æquiuocum, & sola vniuoca explicari possunt per vnicam definitionem: *Resp.* Nomen *causa* esse verè vniuocum, quia *ratio causa* participatur à quatuor causarum generibus, quæ sunt principia per se influentia *esse* in aliud. Quando autem Scotus ait, nomen causæ esse æquiuocum; hoc loco loquitur de causa latissimè sumpta, vt coincidit cum principio: non verò loquitur de causa propriè accepta, quo sensu illam definiuimus. Quòd autem

Scotus

Scotus ipſe ſubſcribat definitioni præallatæ, colligitur ex 1. *Metaph. in Comm. text. vn. cap.* 1. Vbi dicit *cauſa eſt quæ neceſſariò influit ad eſſe cauſati*. Quod etiam approbat Ariſt. 4. *Metaph. text.* 3. Si contra id quod diximus *Patrem in diuinis non eſſe cauſam Filij*, afferatur Auguſt. *quæſt.* 28. *qq. noui Teſtamenti*, dicens Filium Dei eſſe *effectum* Patris; ibi loquitur in ſenſu Græcorum, & *latè* ſumit cauſam pro principio.

CONCLVSIO SECVNDA.

QVatuor ſunt cauſarum genera, *materialis*, *formalis*, *efficiens*, & *finalis*. Sic Ariſt. 2. *Phyſ. cap.* 7. cui concordat Scotus 1. *Metaph. in Comm. cap.* 2. Ex definitione enim ſuperiori, *cauſa eſt id quod influit eſſe in aliud*, ſeu in corpus naturale; ſed quatuor influunt *eſſe* in corpus naturale, nempè materia, forma, efficiens, & finis: ergo. *Probatur minor*: Quia compoſitum naturale non fit ex nihilo, ſed ex aliquo, & tunc eſt materia: deinde non fit à ſe, ſed ab alio, & eſt efficiens: illud autem efficiens producit aliquid in ſubiecto, quod aliud nequit eſſe à forma quæ facit compoſitum: & tunc eſt cauſa formalis: efficiens denique non agit temerè, quandoquidem *Deus & natura nihil agunt fruſtra, ſed proponunt ſibi finem actionis ſuæ*: & ſic eſt cauſa finalis: ergo ſunt quatuor cauſæ. *Deinde*, vt inquit Ariſt. præcitatus, tot ſunt cauſarum genera, quot ſunt genera quæſtionum, cùm cauſa adducatur ad ſatisfaciendum quęſtioni: ſed de compoſito phyſico quatuor quęri poſſunt, nimirum *à quo fit*, & eſt cauſa *efficiens*; *ex quo fiat*, & eſt *materia*; *per quid ſit tale*, & eſt *forma*; & *propter quid ſit*, & eſt *finis*. Tandem ex Scoto *in* 2. *Repor. diſt.* 34. *quæſt.* 1. Omnis cauſa vel eſt intrinſeca & remanens in compoſito, vel eſt extrinſeca & non pertinens ad eſſentialem conſtitutionem compoſiti; ſi ſit intrinſeca, eſt *materia & forma*, quę intrinſecè conſtituunt corpus naturale; ſi autem eſt extrinſeca, duplex eſt adhuc, nempè *efficiens & finis*: ergo ſunt quatuor genera cauſarum.

Obijcies 1. Effectus pendet ab inſtrumento: ergo inſtrumentum eſt quinta cauſa. *Reſp.* quòd pendeat ab inſtrumento, tanquam à cauſa minùs principali, quę reducitur ad efficientem; quandoquidem efficiens di-

viditur in principalem & instrumentalem. *Si obiectum dicatur* causa actionis naturalis, hoc verum est; sed obiectum reducitur ad causam efficientem: quandoquidem obiectum concurrit mediante sua specie cum potentia, vt actionem producat. *Dices* idea seu causa exemplaris influit etiam in effectum; ergo est quinta causa. *Resp.* Ideam reuerà influere, sed ea reducitur vel ad efficientem, quatenus dirigit operans ad efficiendum opus externum ideæ interiori consentaneum; vel ad causam formalem, in quantùm idea est forma extrinseca ad cuius similitudinem efficitur artefactum: sed de causa exemplari agemus postea.

Obijcies 2. Vnio materiæ ad formam est causa compositi, & approximatio ligni ad ignem est causa combustionis: ergo sunt plures causæ quàm quatuor. *Resp.* Nec vnionem, nec approximationem esse propriè causas; quia non influunt *esse* in compositum nec in materiam & formam, nec in combustionem: sed sunt tantummodò conditiones extrinsecę, sine quibus materia & forma non componerent, nec ignis combureret. *Dices*, causa debet esse perfectior effectu, vel saltem æquè perfecta; sed materia aut forma non sunt perfectiores composito: ergo non debent dici causa illius. *Resp.* maiorem esse veram de causa totali & adæquata, falsam verò de causa inadæquata & partiali: materia autem & forma seorsim sumptæ sunt causæ tantùm partiales compositi: & sic nil mirum est, si qualibet harum partium non habeat tantam perfectionem, quantam habet compositum, in quo est perfectio vtriusque.

Licèt antecedens diuisio sit in membra realiter distincta, quoniam materialis, formalis, efficiens, & finalis realiter distinguuntur, vt omnes admittunt; hoc non impedit tamen, quin eadem res possit realiter habere rationem finis, materiæ, formæ, & efficientis: idem enim calor potest esse efficiens respectu alterius caloris quem produceret, potest esse causa materialis respectu relationum, quę in ipso subiectantur; potest esse causa formalis respectu subiecti quod informat; ac denique potest esse finalis causa respectu mediorum, quę applicantur ad productionem ipsius. Licèt quatuor causę pręcedentes non requirantur ad omnem effectum, quandoquidem effectus simplices, vt Angeli, & materia prima, non habent causam ma-

te-

terialem, nempè formalem; sicut nec anima rationalis, quæ materia caret, à quà dependeat in existendo: illæ tamen quatuor causę necessariò concurrunt ad efficiendum compositum; vt probauimus in conclusione secunda, quatuor causarum genera assignantes. Porrò quando distribuimus causam in quatuor species præassignatas, species illæ causarum non sunt in fine; sed subalternæ; quandoquidem subdiuiduntur in alias, efficiens scilicet in *naturalem*, & *liberam*: materialis in *materiam ex qua*, & *in qua*: formalis in *Substantialem*, & *accidentalem*; ac denique finalis in *finem cui*, & *finem cuius gratia*.

QVÆSTIO III.

Vtrum duæ Causæ Totales possint producere eundem numero effectum.

NOtandum est causam per se vel esse *diuersi ordinis*; vt efficiens, & formalis: vel esse *eiusdem*, vt duæ causæ efficientes. Causæ etiam *eiusdem generis*, vel sunt sibi inuicem *subordinatæ*, & *ordinis eiusdem*, vt Deus, sol, & homo, qui sunt duæ causæ eiusdem generis, quia sunt causę efficientes, non tamen *eiusdem ordinis* sunt, quia vna habet virtutem effectiuam ab alia, nempè homo à sole, & sol à Deo: vel sunt *eiusdem ordinis*, & consequenter non subordinatæ, vt duo ignes, vel duo homines. Tandem causæ vel sunt *totales*, vel *partiales*, si producant totum effectum, vel aliquam partem effectus tantùm. Quæstio nostra non intelligitur de pluribus causis partialibus, naturaliter enim duo homines ferre possunt centum librarum pondus. Non intelligitur etiam de pluribus causis totalibus diuersi generis, quandoquidem euidens est, quòd quatuor causæ physicę, quæ sunt diuersi generis, sint causæ totales eiusdem compositi, quęlibet in suo genere. Non intelligitur denique quæstio de pluribus causis diuersi ordinis, quia constat, quòd plures causæ subordinatæ, licèt sint eiusdem generis, producere valeant eundem numero effectum, vt causæ totales, quandoquidem Deus, sol, & homo, hominem producunt, vt causæ efficientes.

Superest ergo, quòd *titulus quæstionis intelligatur de pluribus causis totalibus eiusdem generis*, & *eiusdem ordi-*

ordinis; ita quòd idem ignis, aut idem homo *numero* producatur à duobus ignibus, vel hominibus. Quæstio nedum procedit de pluribus causis efficientibus, vt in allatis exemplis; sed etiam de tribus alijs: *vtrum* videlicet *duæ formæ totales possint informare eandem numero materiam*, vel *duplex materia totalis possit sustentare eandem formam*, vel *duplex finis totalis intendi simul*. Quia tamen hoc clariùs patet in causa efficiente, quàm in alijs; quæ est ratio, cur hæc quæstio à pluribus referuetur pro capite illo, in quo agitur de causa efficiente: ideo quæ mox diximus de causis efficientibus, applicari possunt ad alias causas, & quia hęc difficultas concernit omnes causas indifferenter, Idcirco non immeritò hic proponitur. In hac autem difficultate non conueniunt authores, quoniam Ochamus, & Gabriel, cum alijs Nominalibus, admittunt hoc posse fieri naturaliter; Mayroniùs, Suares, & quidam alij existimant hoc saltem diuinitus fieri posse: Scotus verò *in 2. dist. 1. quæst. 1.* & D. Thomam 5. *Metaph. Lect. 2.* affirmant id esse impossibile.

CONCLVSIO.

I*Mpossibile est vnum, & eundem effectum produci à pluribus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis*. Quod hoc non possit fieri naturaliter, euidenter demonstratur contra Nominale, Hurtadum, Auersam, & alios. Naturæ enim actiuitas frustranea, & inutilis non debet attribui, quandoquidem Deus, & natura nil moliuntur frustra: sed posito, quòd vnus effectus fuerit productus ab vna causa, superfluè ad eundem effectum concurreret alia causa totalis eiusdem generis & non subordinata, cùm à prima sufficienter, & adæquatè productus intelligatur effectus secundùm omnes suas perfectiones: ergo non potest fieri naturaliter, quòd idem effectus producatur à diuersis causis adæquatè efficientibus compositum.

Quòd etiam supernaturaliter non possint duæ causæ totales producere eundem numero effectum, probatur per hoc, quòd *supernaturaliter non possit fieri id quod repugnat*; sed repugnat, vnum *numero*, effectum produci, & dependere à duabus causis totalibus: quia à nulla dependeret, & sic esset dependens, & independens, quod est impossibile. Esset, inquam, dependens,

dens, quia illum supponimus produci, & dependere à duabus causis; esset verò independens, quia à nulla earum dependeret, quod probatur. Effectus non dependet *per se* ab illa causa, quà sublatà, manere potest quoad *esse*, & quoad *conseruari*; sed sublata quacumque ex pluribus causis totalibus, effectus fieret ab alia, & maneret: ergo à nulla earum *per se* dependeret, & sic dependeret, & non dependeret. Dependeret, inquam, per se à prima quæ est causa ipsius totalis, & non dependeret ab illa per se, quoniam illa sublata produceretur ab alia, quæ esset etiam causa totalis.

Confirmatur conclusio. Hic *numero* effectus essentialiter, & per se dependet ab hanc *numero* causa: ergo non potest produci ab alia. Si enim posset produci ab ista, non dependeret essentialiter ab illa, quoniam posita causa, à qua essentialiter dependet effectus, debet effectus poni, & illa ablata effectum auferri necesse est. *Quòd autem hic numero effectus essentialiter & per se dependeat ab hac numero causa*: Per hoc patet quòd sicut se habet effectus in communi, ad causam in communi, sic se habet hic numero effectus ad causam hanc numero, quoniam sicut effectus habet à causa *vt sit effectus*, ita habet ab hac causa *vt sit hic effectus*; sed effectus in communi dependet essentialiter à causa in communi: ergo hic numero effectus dependet ab hac numero causa, & sic non potest dependere ab alia. Deinde effectus non potest esse simplicior sua causa: ergo vnius effectus non possunt esse duę totales causæ. Tandem effectus indiuiduatur à causa: ergo vnus numero effectus exigit necessariò vnam numero causam, & proinde plures causæ totales subordinatę nequeunt producere eundem numero effectum. *Adde quòd* effectus eodem instanti bis produceretur totaliter, & adæquatè; semel ab vna causa, & semel ab alia. Nec dici debet quòd hæ rationes officiant conclusioni sequenti, vbi dicitur eundem numero effectum posse diuisim, & successiuè produci à pluribus causis totalibus: hoc enim negabitur in solutionem obiectionum.

Obiicies. Possunt duo homines ferre simul aliquod pondus, quod vnus potuisset ferre; possunt etiam duo ignes eodem instanti comburere eandem stuppam; possunt denique duo Sacerdotes eandem numerò ho-

stiam

ſtiam conſecrare ; ſed illi duo homines, duo ignes illi, & duo illi Sacerdotes erunt cauſæ totales, quia ſublato vno non minus portaretur pondus, nec combureretur ſtuppa, nec fieret conſecratio : ergo idem effectus poteſt eſse à pluribus cauſis totalibus eiuſdem generis, & ordinis. *Reſp.* In illis caſibus duos ignes, duos homines, & duos Sacerdotes coagere, vt duas cauſas partiales ſimul iunctas, quæ eſsent quidem cauſæ totales ſi agerent ſeorſim, ſed ſunt partiales quatenus vniuntur ad faciendum vnum totum. Si etiam Deus crearet duos ſoles, qui ſimul illuminarent noſtrum hemiſphærium, talis illuminatio foret vna *numero* ab eis, tanquam à cauſis partialibus; ita quòd illuminatio vnius iuncta illuminationi alterius feceret aerem magis illuminatum. Quantùm ad duos Sacerdotes ſimul conſecrantes admittit Scotus *in 4. diſt. 6. quæſt. 2.* vnum numero effectum poſse produci à duabus cauſis moralibus, & inſtrumentalibus ; non verò à cauſis principalibus : quia cauſæ morales, & inſtrumentales non agunt propria virtute, ſed vniuntur in virtute totali agentis principalis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum idem numero Effectus poſsit produci diuiſim à duabus Cauſis Totalibus.

CONſtat quidem apud nos per præcedentem concluſionem vnum numero effectum non poſse ſimul produci à duabus cauſis totalibus, quia eſset dependens, & independens pro eodem loco, & eodem tempore quod inuoluit repugnantiam : hic autem quærimus, an etiam hoc diuiſim repugnet ; quòd tripliciter poteſt intelligi. Primò ſcilicet, *an idem numero effectus iam productus ab vna cauſa, & permanens in ſuo eſſe poſsit adhuc produci ab alia*. Secundò, *an idem numero effectus qui productus fuit ab vna cauſa, & poſtea deſtructus eſt, poſsit idem numero produci ab alia cauſa*. Tertiò denique *an effectus productus ab vna cauſa poſsit idem numero produci ab alia*. Quantùm ad primum, euidens eſt, eundem effectum iam productum & in ſuo *eſse* perſeuerantem nequidem diuininitus poſſe ab alia cauſa produci ; quia nulla potentia poteſt de nouo conferre *eſſe*, quod iam collatum eſt per aliam cauſam : repugnas

gnat enim eundem effectum numero esse extra suas causas, & intra illas; quod tamen deberet admitti, si admitteretur suppositio precedens. Quantùm ad secundum, fides docet eundem numero hominem, videlicet Lazarum, post mortem suam resurrexisse virtute Christi. *Ioan.* 11. Quantùm ad tertium, altercantur Thomistæ, & Scotistæ: illis dicentibus, quòd repugnet eundem numero effectum produci etiam diuisim à duabus causis totalibus eiusdem ordinis; vbi Scotus *in* 2. *dist.* 20. *quæst.* 4. & cum eo Gabriel, Suares, Ruuius, Faber, & alij plures docent fieri posse vt idem *numero* effectus, qui producitur ab vna causa totali potuisset produci ab alia, si agens applicatum fuisset, passo eodem modo, & cum iisdem circumstantijs.

CONCLVSIO.

IDem *numero effectus diuisim produci potest à duabus causis totalibus eiusdem ordinis.* Sic Doctor noster nedum loco præcit. sed, & *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 2. & in report. *in* 2. *dist.* 20. *quæst.* 2. Negari enim non potest, quòd si Abel non fuisset genitus ab Adamo, potuisset generari idem *numero* à Noemo, quoniam idem Lazarus, qui à suis progenitoribus productus est, virtute Christi resurrexit. Idem etiam *numero* calor, qui productus est ab hoc igne, potuit produci ab alio; quoniam ille alius habet æqualiter vim calefactiuam. Et sic idem *numero* effectus, qui productus est ab vna causa totali, si diuisim sumatur, potuit produci ab alia; quandoquidem causæ præfatæ habent sufficientem vim productiuam circa eundem effectum. Quòd si dicatur, illum hominem qui productus est ab illo parte, non fore ampliùs eundem numero, si ab alio patre produceretur: talis consequentia negari debet, quia ad vnitatem & identitatem effectus sufficit, quòd partes essentiales & intrinsecæ sint eodem, nempè materia & forma; nec requiritur, quòd partes extrinsecæ, quæ sunt efficiens & finis, eædem sint; sed si Abel, qui natus est ab Adamo, fuisset genitus à Noemo, partes intrinsecæ illius fuissent eædem, nempè eadem *numero* materia, & eadem *numero* forma: ergo Abel, qui ab Adamo natus est, potuit à Noemo generari: & sic idem effectus *numero*, qui est ab vna causa totali diuisim sumptus, potuit esse ab alia; quoniam idem *numero* ho-

homines, qui vixerunt super terram, resurgent ante finale iudicium.

Obiicies: Effectus specificus determinatus habet causam determinatam specificam, cum *homo generet hominem, & leo leonem*: ergo idem *numero* effectus habet causam numericam determinatam, quà variatà, variatur effectus: & sic idem *numero* effectus ab hac causa totali productus non potuit produci ab alia. *Resp.* antecedens non semper esse verum, quoniam animalia quædam generantur ex putri materia vel ex semine, consequentia etiam est falsa, quia non repugnat, quin idem calor productus ab hoc igne in hanc aquam, productus fuerit ab alio igne; si scilicet ignis ille, qui calefacit aquam, non fuisset aquæ suppositus, & loco illius substitutus fuisset ille alter. *Dices* calor, qui produceretur ab alio igne, non esset idem *numero* cum calore istius; quia calefactiones essent diuersæ. *Resp.* quòd licèt calefactiones sint diuersæ, quia sunt diuersi ignes calefacientes; calor tamen potest esse idem *numero*: quandoquidem efficiens, & finis non pertinent ad rationem intrinsecam compositi, sed tantùm materia, & forma; vnde quia idem *numero* calor potuit recipi in eandem *numero* aquam, per alium scilicet ignem, qui tali aquæ fuisset appositus; proinde idem *numero* effectus, & idem *numero* calor, qui productus est ab vna causa totali, potuit diuisim produci ab alia; nedum supernaturaliter, sed & naturaliter; quoniam supposito quòd hic ignis non produxisset hunc calorem in istam aquam, alter ignis potuisset eundem *numero* producere: & si quæ reperiretur diuersitas in his productionibus illa esset tantùm extrinseca, penes causas efficientes, non verò intrinseca, penes materiam & formam.

Obiicies 2. Hæc conclusio videtur esse contra præcedentem, vbi diximus repugnare quòd vnus effectus sit à pluribus causis, quia esset simul dependens & independens; quod etiam verum esset, si vnus effectus posset diuisim esse à duabus causis totalibus. *Resp.* negari debere hoc argumentum, quia licèt repugnet eundem effectum esse simul, & coniunctim à pluribus causis, hoc tamen non repugnat, si effectus diuisim consideretur; quia repugnantia introuenit tantùm, quando duo contradictoria verificantur de eodem, *eodem modo sumpto, pro eodem tempore, & in eodem*

loco

loco: vnde repugnat quidem, quòd idem effectus sit à pluribus causis pro eodem tempore & coniunctim, quia esset simul dependens, & independens, quod implicat: non repugnat verò, quòd idem effectus diuisim spectatus dependeat à pluribus causis; ita quòd, sicut post destructionem sui, potest de nouo produci ab alia causa: sic etiam quando producitur ab vna causa, possit idem *numero* produci ab alia, si prima causa eum non produxisset, & secundà applicata fuisset eidem passo cum iisdem circumstantiis temporis, loci, & similibus, solaque causa efficiens diuersa fuisset.

Dices in confirmatione præcedentis conclusionis dictum est, quòd sicut effectus in communi specificatur & determinatur per causam in communi, sic etiam hic effectus in particulari indiuiduatur per hanc causam in particulari: ergo si hic effectus productus ab hac causa posset produci ab alia, non esset ampliùs idem *numero* effectus, & sic falsum est dicere quòd plures causæ totales possint producere diuisim eumdem numero effectum. *Resp.* ad consequentiam, non esset idem effectus, & secundùm omnes suas rationes extrinsecas & intrinsecas, quia reuerà ille effectus in tali suppositione haberet causas efficientes diuersasque extrinsecæ sunt: esset tamen idem *numero* effectus intrinsecè quia haberet easdem *numero* materiam & formam: sicut dicitur quòd iidem *numero* homines resurrecturi sint in fine mundi, licet existentia illis restituenda futura sit à Deo, vbi pristina fuit à parentibus; quod euidenter demonstrat diuersitatem causarum efficientium non impedire identitatem intrinsecam effectus: & sic constat quòd idem *numero* effectus possit esse diuisim à pluribus causis totalibus.

QVÆSTIO V.

De Proprietatibus Causæ in communi.

SVb nomine proprietatum causæ comprehendimus prioritatem causarum per respectum sui, & per comparationem ad effectus; intelligimus nobilitatem earum sub vtroque respectu, ipsarumque distinctionem, connexionem, & causalitatem: quæ omnia per diuersas conclusiones elucidabuntur in præsenti quæstione.

CON-

CONCLVSIO PRIMA.

SI *causa comparetur ad suum effectum, omnis causa est prior suo effectu, saltem prioritate temporis.* Prioritas *temporis* est ea, qua vnum ita præcedit aliud, vt extiterit in aliquo interuallo temporis, vbi aliud non existebat. Prioritas *natura* ea est, per quam vnum præsupponitur ad aliud, & à quo procedit: licèt vtrumque existat pro eodem tempore: & sic sol est prior naturà luce, materia præcedit formam, & rationalitas antecedit risibilitatem, cuius est principium. *Quòd omnis causa sit prior natura suo effectu,* ex dictis patet: quia scilicet illud est priùs natura altero, quod dat illi *esse*; sed causa dat esse effectui, ergo est prior effectu, quandoquidem supponitur ad illum. *Quod etiam causa non sit semper prior effectu prioritate temporie,* ex dictis constat adhuc; quia sol, materia, & rationalitas non existunt in aliquo tempore, vbi non sint lux, forma, & risibilitas. *Quod si correlatiua dicantur esse simul naturà,* quod videtur opponi priori parti conclusionis; vbi diximus causum esse priorem effectu, quæ tamen sunt correlatiua; *Respondendum* est correlatiua esse simul naturà, si sumantur *formaliter* vt correlatiua sunt, si tamen sumantur *entitatiuè & materialiter*, pro fundamento relationis, tunc non sunt simul naturà, sed entitas causæ præcedit entitatem effectus.

Si causæ comparentur inter se, ita adinuicem disponuntur, vt causalitas finis sit prior, deinde accedit causalitas efficientis, postea causalitas materiæ & tandem causalitas formæ. Quod euidenter colligitur ex hoc; quòd agens primò moueatur à fine vt agat, & sic finis est causarum prima. *Deinde* agens, seu efficiens, sic à fine motum in actionem prorumpit, & proinde causa efficiens secundùm locum tenet inter causas. *Postea* agens operatur supra materiam primam vel secundam, quę sunt subiectum actionis, vnde tertio loco ordinatur inter causas materia. *Tandem* his omnibus accedit forma, quę in materia recipitur, & est causarum vltima; vnde dicitur terminus generationis Si *dicatur* quòd actio agentis supponat materiam ex qua agit, & quòd proinde causa materialis præcedat efficientem: *Respondendum* est quòd causa efficiens supponat materiam, quantùm ad entitatem illius, quia

non

non poteſt efficiens agere niſi in ſubiectum: non ſupponit verò materiam, quantùm ad eius cauſalitatem: imò nunquam materiam cauſalitatem ſuam exerceret circa materiam quam ſuſtentat, nec circa compoſitum quod conſtituit, niſi priùs agens per ſuam actionem educeret formam de ſinu potentiali materię ad efficiendum compoſitum: & ſic cauſalitas efficientis ſemper antecedit cauſalitatem materię.

CONCLVSIO SECVNDA.

Si cauſa comparetur ad effectum, debet dici abſolutè nobilior effectu. Meliùs eſt enim dare, quàm accipere; ſed cauſa dat *eſſe* effectui: ergo cauſa formaliter ſumpta, vt cauſa eſt, eſt effectu nobilior. *Deinde* principium actiuum nobilitate ſuperat paſſiuum, ex communi axiomate, *nobilius eſt agens patiente*; ſed cauſa eſt principium actiuum ex definitione eius, & effectus eſt principium paſſiuum ex eiuſdem definitione: ergo cauſa pręfertur effectui. *Tandem* prius & independens eſt excellentius poſteriori & dependenti, cùm *meliùs ſit eſſe à ſe, quàm ab alio*: ergo cauſa pręſtat effectui, vt cauſa eſt. Hoc non impedit tamen, ſi conſiderentur entitatis cauſę & effectus in ſuo *eſſe* abſoluto, quin effectus aliquando nobilitate ſuperet ſuam cauſam; vt patet de ſole producente hominem, qui eſt perfectior.

Si cauſę comparentur inter ſe, cauſalitas finalis eſt omnium nobiliſſima; cauſalitas efficiens ſequitur, ſuccedit cauſalitas formalis; tandemque vltima eſt cauſa materialis. Quòd cauſa finalis dicatur *nobilior alijs*, hoc colligitur ex modo cauſandi illius, qui eſt omnium pręſtantior, cum ſpiritualior ſit, & ipſe finis immotus manens cætera moueat, quod eſt nobiliſſimum & diuinum: vnde cauſa finalis iure dicitur à pluribus *cæterarum cauſarum regina*. Sic enim omnes cauſę diſponuntur, vt materia ſit propter formam, forma propter agens, & agens propter finem à quo mouetur, & ſic finis eſt omnium cauſarum nobiliſſima. Cauſa efficiens nobilior eſt poſtea alijs; quia materia & forma ſunt entia potentialia, quæ ſubijciuntur cauſę efficienti quæ actualis eſt, & formam educit de potentia materiæ. Cauſa denique formalis eſt perfectior cauſâ materiali, cùm materia ſit *pura potentia, prope nihil*, &

ens infimum: vbi forma est *ens pulchrum*, *actuale*, & quodammodo *diuinum*, inquit Aristoteles. Sicut autem forma est præstantior materia, sic compositum præcedit materiæ & formæ; siue disiunctis, siue coniunctis, vt inquit Scotus *quodlib.* 9. *art.* 3. iuxta Aristotelem hoc expressè dicentem 7. *Metaph. cap.* 3. *art.* 7. Compositum enim præter materiam & formam, quas continet includit adhuc tertiam entitatem causatam ab eis, nempè *entitatem totius*: vnde dici debet quid perfectiùs materia & forma: quandoquidem compositum est substantia completa & perfecta; partes verò illius sunt substantiæ imperfectæ & incompletæ, quæ ordinantur ad totum, vt compleantur.

Si causæ intrinsecæ & extrinsecæ inter se comparentur, extrinsecæ eminent intrinsecis; quia causæ intrinsecæ potentialitatem & imperfectionem præ se ferunt, cùm vna ordinetur ad alteram perficiendam, & vtraque ad tertium constituendum, nempè compositum: causæ verò extrinsecæ actualitatem & perfectionem important, quandoquidem sunt entia in actu completo, proindeque nobilitate superant causas intrinsecas: *Deo adaptantur*, qui est omnium causa efficiens & finalis. *Si comparetur efficiens in fine, aliquando sunt æquales*: cùm in Deo potentia, quæ est omnium creatorum efficiens, sit æquè nobilis, ac bonitas illius, quæ est omnium creaturarum causa finalis: aliquando verò sunt inæqualis perfectionis, quandoquidem bonitas D. quæ est finis nostrarum operationum, illas infinitè superat: aliquando denique finis est minus nobilis efficiente, quoniam multa operatur Dominus propter salutem hominum qui longè ignobiliores sunt Deo. *Si comparetur finis vltimus ad effectus qui propter eum producuntur, si sit verus, semper est nobilior*, cùm nullus effectus possit vnquam adæquare perfectionem Dei, qui est verus *finis vltimus* omnium: Si verò *finis vltimus sit tantùm apparens & existimatus, aliquando est ignobilior*; quando scilicet homo paganus operatur propter honorem Idoli, quod sibi constituit tanquam vltimum finem. Idolum enim illud est ignobilius operatione hominis. *Si comparetur finis non vltimus ad effectum, aliquando est præstantior effectu*; quando nimirum homo benè operatur vt gratiam D. obtineat, quæ gratia superat actiones hominis, aliquando etiam est ignobilior, cùm v. g. aliquis studet Theologię

vt

vt faciat lucrum, quod est inferius studio.

Si comparentur causa efficientes aquiuoca & vniuoca ad suos effectus, causa efficiens vniuoca est aqualis perfectionis cum suo effectu, vt docet Scotus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. & alibi. Quæ enim *sunt eiusdem speciei*, *sunt aqualis perfectionis essentialis*, vt patet de Petro, & Paulo, qui ęqualiter participant essentiam hominis; sed causa vniuoca & effectus sunt eiusdem speciei, vt liquet ex definitione causæ vniuocæ, quæ dicitur nata producere effectum sibi similem: ergo effectus causæ vniuocæ est æqualis nobilitatis cum illa. Quando autem videtur, quòd homo stupidus generet filium ingeniosum, deformis pulchrum & infirmus robustum talis perfectionum inæqualitas non est essentialis & hausta à causa proxima efficiente; sed sequitur complexionem parentum, vel contemperationem eorum omnium quæ concurrunt ad formationem prolis, cùm astra v. g. benigniore aspectu aliquando suppleant defectum parentum, & aliquando ex maligno influxu deteriorent prolem, quamuis parentes perfectam generandi dispositionem intrinsecam habeant.

Si dicatur, quòd asinus cum equa producat mulum, qui est perfectior asino, & quòd proinde non sit perfectionis æqualitas inter causam vniuocam & effectum: *Resp.* Nos loqui de causa *totali*, qualis non est asinus, qui producendo mulum est causa *partialis* cum equa: vnde non est mirum, quòd mulus asinum superet, trahendo quasdam perfectiones ab equa, quæ illi tribuit magnitudinem & generositatem; vbi habet ab asino duritiem carnis, laboris patientiam, & tarditatem complexionis.

Quoad causas aquiuocas, quæ plures & diuersos effectus possunt producere dissimiles à sua causa, in quo consistit ratio causæ ęquocę; *Omnes fatentur causam aquiuocam primam, nempe Deum, esse nobiliorem quocumque effectu*. Hoc tamen non est semper verum de causis æquiuocis secundis, quandoquidem sol, cœlum, & astra, sunt causæ ęquiuocæ plurium viuentium, quibus tamen cedunt in dignitate. Scotus verò *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. docet quamcumque causam efficientem æquiuocam esse nobiliorem suo effectu; quod idem admittit D. Thomas 1. *p. quæst.* 4. *art.* 2. Ratio huius est, quòd causa, quæ potest producere plures effectus eiusdem vel diuersæ spe-

ciei, sit perfectior illâ causâ, quæ limitatur ad effectus vnius tantùm speciei, quia maior virtus designat causam esse perfectiorem ; sed causa æquiuoca potest producere plures effectus eiusdem & diuersæ speciei, cùm sol producat aurum, plantas, animalia; & intellectus eliciat cognitiones diuersorum obiectorum : ergo causa æquiuoca est nobilior suo effectu. *Quòd si dicatur* solem producere viuentia, quæ ipso nobiliora sunt : *Responderi* potest cum D. Thoma 1. *p. quæst.* 70. *art.* 3. *ad* 3. corpora cœlestia habere rationem instrumenti, quia sunt mouentia mota, quæ agunt in virtute causæ principalis, nempe in virtute Angeli cœlos mouentis, qui potest causare vitam : vnde quia cœlum cum Angelo motore est quid perfectiùs viuentibus; ideo causa æquiuoca semper dici debet præstantior effectu.

Quantùm denique ad *causam instrumentalem*, *& exemplarem*. *Illa aliquando est ignobilior effectu*, vt patet de imagine, quæ penicillum superat, & de substantia, quæ est nobilior accidente, quod potest esse illius causa instrumentalis : cùm calor radiorum solis producat aurum in visceribus terræ. *Aliquando etiam est nobilior*; vtpote quando Deus vtitur ministerio Angeli, tanquam instrumento, ad producendum aliquid in creatura inferioris ordinis. *Ista* verò *interdum etiam est effectu præstantior*, vt patet de diuina Essentia, quæ est exemplar creaturarum: & de homine, qui est exemplar suæ imaginis : interdum verò est æqualis perfectionis, quando scilicet imago iam antea facta, est exemplar alterius faciendæ.

CONCLVSIO TERTIA.

Qvatuor causæ distinguuntur realiter penes causalitatem suam, quia habent diuersas realiter causalitates, & diuersos influxus in eundem effectum : aliter enim *materia* influit in formam, quam sustentat, aliter *forma* influit in materiam, quam perficit & complet, aliter *efficiens* influit in compositum, cui dat *esse* coniungendo formam cum materia, aliter denique influit *finis*, mouendo causam efficientem vt agat : & sic causæ differunt realiter penes causalitatem & diuersum influendi modum. Non tamen differunt semper secundùm entitates suas, quoniam eadem res potest sortiri

tiri

tiri rationem quadruplicis causæ, & sub diuerso respectu habere quatuor diuersas causalitates. Anima enim est causa formalis respectu corporis, quod informat; est causa efficiens respectu suarum operationum; est causa materialis respectu habituum intellectualium, quos recipit; est denique causa finalis respectu generationis & organisationis corporis, cùm natura generet & organiset corpus humanum, vt recipiat animam.

Causæ quæ distinguuntur realiter non secundùm entitatem sed secundùm causalitatem, vt diximus, necessariam habent connexionem in composito physico. *Nunquam* enim *materia causare potest, nisi adsit forma quam sustentet; nunquam forma potest causare, nisi adsit materia quam informet: nunquam materia formam recipiet nisi disponatur ab efficiente, & nunquam agens seu efficiens inducet formam, nisi propter aliquem finem*: & sic patet, quomodo in composito physico concurrunt simul quatuor causarum genera ad illud efficiendum. In substantiis autem spiritualibus, quales sunt Angeli & animæ rationales, non reperiuntur omnes illæ quatuor causæ; sed efficiens & finalis sufficiunt, nisi quis addere velit causam *exemplarem*, quæ ad efficientem reduci potest; quandoquidem agens intellectuale non est sufficienter dispositum ad operandum aliquid, nisi cognitionem & exemplar præbeat rei producendæ. Quando enim Deus producit animam rationalem, non indiget materià aut formà, cùm non sit compositum naturale vtrumque exigens: sed sufficiunt potentia tanquam causa efficiens, bonitas tanquam causa finalis, & idea tanquam exemplaris causa.

CONCLVSIO QVARTA.

Qvando Philosophi dicunt, quòd causæ sint sibi inuicem causæ: hoc non debet intelligi, quòd vna causa possit causare alteram eiusdem ordinis, à qua fuit primò causata: naturaliter enim filius non potest producere patrem à quo genitus est; quia esset prior & posterior patre; attamen non repugnat, quòd si causa destrueretur, nempè Pater, quin filius posset patrem reproducere, & hoc per potentiam D. Sed axioma præcedens Aristotelis intelligendum est de

causis *diuersi ordinis* sibi correspondentibus, quales sunt materia & forma, sicut efficiens & finalis; ita, quòd si comparetur materia ad formam, & finis ad efficiens, materia possit dici causa formæ, & forma causa materię; sicut efficiens potest dici causa finita, & finis causa efficientis: non quantùm ad entitatem, sed quantùm ad causalitatem. Sic autem materia est causa formæ, quatenus concurrit ad eius eductionem, conseruationem, & sustentationem; forma verò dat *esse* materiæ, non primum, & entitatiuum, quandoquidem materia ex se est actus; sed secundum & determinatiuum, in quantùm eam perficit & specificat. Similiter efficiens est causa finis efficiendæ, & finis est causa cur efficiens agat; sicuti patet de medico & medicina. Medicus enim mouetur à sanitate ægroti obtinenda per applicationem remediorum, & sanitas obtenta causatur efficienter à medico. Vnde nulla est in hoc repugnantia, quia sub eodem respectu eadem res non est simul causa & effectus, sed sub diuersis, sanitas enim vt *intenta* est causa actionis medici, & sanitas *obtenta* est effectus applicationis medicorum factæ à medico.

CONCLVSIO QVINTA.

QVamuis acerrimè disputetur inter Philosophos in assignanda ratione casualitatis; breui tamen dicam *rationem formalem causæ seu causalitatem consistere præcisè in influxu, quo causa tribuit esse effectui*. Causalitas enim consistit in hoc, quo posito res dicitur actu *causans*, & quo ablato res non amplius formaliter causat; sed posito solo influxu res intelligitur causans, quoniam *causare* est in effectum influere; & sublato influxu res non intelligitur amplius causare; ergo causalitas cuiuslibet causæ præcisè consistit in influxu. Quòd si Scotus 9. *Meth. quæst.* 4. & aliis in locis dicat causalitatem causæ esse relationem ipsius ad *causatum*; hoc intelligitur consecutiuè, non verò formaliter. Priusquam enim ignis referatur ad calorem productum, debent existere ignis, & ille calor, quia relatio actualis supponit extrema actu existentia; sed calor non potest intelligi productus, quin antea causauerit & influxerit calorem: ergo relatio ignis est quid consequens ad influxum, & proinde causalitas

non

non est relatio, sed fundamentum illius relationis, quam naturâ præcedit.

Si quæratur autem *quid sit causalitas cuiuslibet causæ* Respondebitur *primò* causalitatem materiæ esse duplicem, respectu scilicet formæ quam recipit, & respectu compositi quod constituit. Prior causalitas seu influxus consistit in actuali sustentatione formæ, qua informatur; posterior verò sita est in constitutione partiali compositi. Respondebitur *secundò* causalitatem formæ esse adhuc duplicem; per respectum videlicet ad materiam quam informat, & ad compositum quod completè constituit: ex quo patet causas esse causas ad inuicem, quoniam materia vt sustentans est causa formæ vt sustentatæ: forma verò vt informans est causa materiæ vt informatæ: Respondebitur *tertiò* causalitatem efficientis consistere in actione; quoniam posita actione aliquid denominatur actu agens, & sublatâ actione non amplius agens denominatur; & sic in actione sita est causalitas efficientis. Actio ergo non debet dici agentis effectus, quia actio propriè loquendo non fit; sed est medium, quo effectus procedit ab agente. Causa dicitur efficiens tripliciter, nempè per *respectum ad materiam*, ex qua educit formam: deinde per *respectum ad formam*, quam educit de potentia materiæ; ac denique *respectu compositi*, quod generat producendo vnionem in partibus ex quibus coalescit. Respondebitur *quartò*, quòd causalitas finis consistat in motione reali morali, quam alij vocant *metaphoricam*. Illa motio, quâ finis mouet agens, dicitur *realis*, quia realiter excitat agens, vt agat. Et dicitur *moralis*, non verò physica, quia non est ita realis, ac si quis nauim traheret; sed est realis, quia apprehensio bonitatis eius excitat realiter agens ad operandum: vnde agēs & finis dicuntur quidem *mouere*, sed cum hoc discrimine, quòd efficiens moueat actu reali Physico, & finis motu reali morali & Metaphorico.

Ex his quæ dicta sunt in quinque præcedentibus conclusionibus, possunt vt plurimum intelligi axiomata, quæ proponuntur à Philosophis in materia causarum. Primò enim quando dicitur *causa est prior suo effectu*; hoc debet explicari de causa & effectu entitatiuè sumptis, quo sensu entitas causæ præcedit tempore vel naturâ effectum: non verò de causa & effectu sumptis formaliter, vt correlatiua sunt; tunc

enim sunt simul naturâ, vt diximus. Secundò quando dicitur, *positâ causâ ponitur effectus, sublatâ causâ tollitur effectus*; hoc intelligi debet de causa & effectu sumptis *formaliter*, vt sunt correlatiua; posito enim vno relatiuorum, ponitur aliud: non verò intelligitur de causa & effectu sumptis *entitatiuè*, & secundùm suum *esse* absolutum; quia potest esse homo sine effectu. Tertiò quando dicitur, *quod vnum & idem posit esse causa multorum, imò & contrariorum*; hoc intelligitur de causa *vniuersali & æquiuocâ*, v.g. de sole, qui eodem radio indurat lutum, & emollit ceram; de *materia*, quæ concurrit ad eductionem & sustentationem formarum contrariarum; de *forma*, quæ efficit compositum simile & dissimile; & de *fine*, quæ allicit propter suam bonitatem ad amorem virtutis, & odium vitii. Aristoteles huius axiomatis exemplum tribuit. 2.*Physic. cap*.3. de nauis gubernatore, qui præsens est causa salutis, & absens est causa submersionis.

Quartò cum dicitur, quòd *causæ sint sibi mutuo causa*; hoc explicatum est in conclusione quartà præcedenti: quod scilicet hoc debeat intelligi de causis *diuersi ordinis* sibi inuicem correspondentibus, quales sunt materia & forma, sicut efficiens & finis: quæ ideo dicuntur causæ sibi correspondentes, quia forma dat *esse* materiæ, & materia recipit *esse* à forma, *dare* autem *& recipere sibi correspondent*: ob similem rationem efficiens & finis dicuntur causæ sibi correspondentes, quia *efficiens* est principium actionis, *finis* verò est actionis terminus; terminus autem & principium sibi adhuc correspondent. Diximus ergo quod causæ correspondentes mutuò se causent; sed sub diuerso respectu: quoniam, vt diximus, sanitas *intenta* est causa efficientis, & sanitas *obtenta* est effectus applicationis remediorum à medico, qui est causa efficiens sanitatis productæ. Similiter quando diximus quòd materia sit causa formæ, & forma causa materiæ; hoc adhuc intelligitur sub diuerso respectu, in quantùm scilicet forma est causa materiæ vt informatæ, & materia sit causa formæ, vt sustentantis. Quintò cum dicitur quòd *causa sit nobilior effectu*; hoc axioma explicatum est in conclusione secunda huius quæstionis.

Porro quia quæstio præsens proponitur sub ti-

tulo *de Proprietatibus Causæ*, sciendum est quòd Philosophus 2. *Phys. cap. 3. & 5. Metaph. cap. 5.* tres tantùm enumeret causarum proprietates, quod idem admittit Doctor noster hunc locum commentans. Prima earum est, quòd *causæ possint esse sibi mutuo causæ*. Secunda, quòd *causæ sint causæ contrariorum secundùm diuersam dispositionem subiecti*. Tertia denique, quòd *causæ vt causæ, sint priores naturà & nobiliores suis effectibus*. Si autem nos ipsi vltra mentem Aristotelis & Scoti nostri agentes de Proprietatibus causæ, plurima adiunxerimus in præsenti quæstione; hoc ideò ita factum est, vt nihil non dictum remaneret eorum, quæ necessaria sunt ad perfectam causarum intelligentiam.

CAPVT II.

De Causis Materiali & Formali.

CVm materia & forma nedum sint principia rerum naturalium, vt diximus in Disputatione prima *de Principijs rerum naturalium, sectione prima*; sed etiam sunt causæ compositi physici, vt habet in quæstione tertia capitis præcedentis: ideò postquam loquuti fuimus aliàs de materia & forma sub ratione principiorum, & multa attulerimus de qualibet; nunc agendum venit de ijsdem materia & forma, quatenus sunt *causæ compositi physici*: quod fiet breuiter & succinctè, cùm pauciora de illis dicere supersint.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Causa Materialis, & an influat in Compositum Naturale.

SIcut causa in communi tria continet, nempè *entitatem absolutam causæ*, quæ est res ipsa quæ est & dicitur causa; vt ignis, sol, & homo: deinde *virtutem causandi*, quæ est id quo causa apta est causare & influere; vt virtus calefaciendi in igne, & potentia generandi in homine: ac denique *causalitatem ipsam*, quæ est id quo causa in potentia fit causa in actu; vt calefactio ignis, & generatio in homine: sic hæc tria reperiuntur in qualibet causa, & proinde in causa ma-

teriali, de qua hìc nobis eſt agendum. Entitas cauſę materialis eſt ipſa materia in ſuo *eſſe* abſoluto conſiderata, virtus cauſandi materię eſt potentia quam habet materia ſuſtentandi formam, & compoſitum cum ea efficiendi; cauſalitas verò actualis eſt actualis ſuſtentatio formę. Loqui non intendimus de materia ſecundùm ſuam entitatem abſolutam conſiderata, hoc enim examinauimus agentes de principijs rerum naturalium. Nec de cauſalitate actuali materię, de qua dicetur in ſequenti quęſtione. Sed differere tantùm meditamur de virtute & de potentia cauſandi materiæ, quęrentes ſcilicet *an materia poſsit dici cauſa materialis*, & *quid influat in compoſitum phyſicum*; ſed priùs dicere conuenit, *quid ſit cauſa materialis*.

CONCLVSIO PRIMA.

Cauſa materialis eſt id ex quo fit aliquid, cùm inſit. ſic Ariſt. 2. *Phyſ. text.* 28. & 5. *Metaph. text.* 2. quam definitionem approbat Scotus in commentario talis loci. Quando autem dicitur, quòd cauſa materialis ſit *id*; ſubintelligitur principium: ita quòd dicere ſit *materiam eſſe principium ex quo aliquid fit*; vt vas ex auro, vel ſtatua ex argento. Quando dicitur, *ex quo aliquid fit*; hoc diſtinguit materiam ab efficiente, quod eſt id *à quo* aliquid fit, à forma quę eſt id *per quod* aliquid fit talis naturę vel ſpeciei, & à fine, quę eſt id propter quod fit aliquid: vnde talis particula eſt differentia diſtinctiua cauſę materialis. Quando denique adiungitur, *cùm inſit*; hoc denotat materiam *actu* remanere in compoſito ſecundùm propriam entitatem: & ſic diſtinguitur materia à priuatione. Noſterque Fauentinus immeritò dicit quòd *materia & forma tranſeant in tertiam entitatem compoſiti*.

CONCLVSIO SECVNDA.

Materia eſt cauſa materialis compoſiti, quia influit partialiter in compoſitum; vt docet Doctor *in 2. diſt.* 12. *quæſt.* 1. vnde numeratur inter quatuor cauſarum genera, quæ proprium influxum & cauſalitatem habent reſpectu compoſiti: influit, inquam, *partialiter*, quandoquidem compoſitum non poteſt totaliter & intrin

trinsecè causari à sola forma; cùm ideò dicatur *compositum*, quòd ex duabus partibus coalescat. Deinde causa materialis ex præcedenti conclusione definitur, *id ex quo aliquid fit cùm insit*; sed compositum fit *partialiter* ex materia, propter quam dicitur *compositum materiale*: ergo materia est causa materialis, primario respectu formæ, quam sustentat; & postea respectu compositi, quod constituit.

Obijcies. Materia non est actiua, quandoquidem dicitur pura potentia, ergo nec causa dici debet. *Resp.* distinguendo antecedens, materia non est actiua per influxum effectiuum; bene autem per influxum subiectiuum, quatenus sustentat formam, quam recipit in se postquam educta est. *Dices* non posse credi, quòd materia tam imperfecta & infima possit causare tot composita eminentissimæ dignitatis, cuiusmodi sunt cœli: ergo circa ea se habet tantùm passiuè. *Resp.* hoc non debere videri absurdum illis, qui intuentur ex modico grano segetes abundantissimas procreari, & ex minimo semine ingentes produci arbores.

Si quæratur autem *quænam sint munera materiæ*; quatuor enumerari poterunt. *Concurrit enim passiuè ad eductionem formarum corruptibilium*, licèt non concurrat ad eductionem animæ rationalis, quæ creatur immediatè à Deo. Secundò *formas corruptibiles eductas conseruat*; quandoquidem formæ corruptibiles dependent à materia in fieri & in conseruari. Tertiò *eductam formam sibi vnitam conseruat, quantùm ad informationem*; quandoquidem nequit forma informare, nisi dependenter à materia, quæ est subiectum recipiens informationem. Quartò denique *simul cum forma constituit compositum*, vt liquet.

QVÆSTIO II.

Quid sit Causa Formalis, & an influat in Effectum.

CVm materia sit inchoatio compositi, quod perficitur à forma substantiali, per efficientis ministerium; quod, cum agat ob aliquem finem intentum: s in hoc apparet quatuor genera interuenire in constitutione cuiuslibet compositi naturalis. Quia autem materia est prima causarum intrinsecarum quæ compo-

nunt : ideò agentes primò de causis intrinsecis, debuimus inchoare caput istud per explicationem causæ materialis, vt hic postea agamus de forma, quæ est alia pars intrinseca compositi.

CONCLVSIO PRIMA.

CAusa formalis est *principium per quod aliquid fit, cum insit*. Hæc definitio explicata manet ex quæstione præcedenti, & in ea *principium* tenet locum generis, per quod *aliquid fit*, facit differre causam formalem à materiali, ex qua fit aliquid. *Cùm insit* verò denotat causam formalem, quæ remanet in subiecto, distingui à causis extrinsecis, nempè ab efficiente & finali, quæ non remanent in composito, sed sunt extra illud. Nec *dicatur* formam nihil causare in materia, quia nullum *esse* illi communicat: cùm materia de se habeat suam essentiam & existentiam: hoc enim falsum est, quia licèt forma non det materiæ suum *esse primarium*, nempè existentiam quam habet independenter à forma; dat tamen illi *esse secundarium*, nempè esse perfectum & completum, cùm materia sine forma sit incompleta & perfecta entitas. *Adde* quòd forma nedum influat in materiam suum *esse* secundarium, sed etiam influit in compositum quod constituit partialiter, materiâ tenente locum alterius partis: & iste influxus, seu causalitas, respectu compositi sufficit, vt in definitione præcedenti dixerimus formam causare, & esse principium *per quod* aliquid fit.

Non est ergo quòd dicant aliqui formam non esse causam respectu materiæ, circa quam nihil causat; quia licèt materia non causetur nec dependeat in suo *esse* à forma, in hoc tamen debet censeri ab illa dependere, quò materia non existat sine forma; quoniam ita fuit à naturâ constitutum, vt nunquam permaneret nec existeret materia, nisi esset iuncta formæ; quod sufficit, vt forma dicatur causa materiæ, & circa illam suum influxum exercere censeatur.

CONCLVSIO SECVNDA.

C*Ausa formalis influit propriè & realiter in effectum duplici modo, quatenus nimirum influit in ma-*

materiamquam informat, *& in compositum quod constituit*. Per respectum ad materiam, forma eius potentialitatem actuat, illius infirmitatem perficit, & eius indifferentiam determinat, ad certamque speciem redigit. Sic Arist. & Scotus 2. *Phys. text.* 28. & 5. *Metaph. text.* 2. Per respectum verò ad compositum, forma ipsum constituit essentialiter & intrinsecè, tanquam causa partialis illius; & ob hoc numeratur inter quatuor causarum genera: quia scilicet habet propriam causalitatem à cæteris distinctam. Quod autem *causa formalis habeat propriam causalitatem circa compositum*, ex illo patet sæpius decantato, *forma dat esse rei*; sed non potest dare *esse* rei, nisi habeat causalitatem circa rem, cùm *causa sit id quod dat esse alteri*: ergo forma exercet causalitatem circa compositum. Compositum enim constituitur ex actu & potentia 2. *de anima text.* 7. sed per *actum* intelligitur *forma*, sicut per *potentiam* denotatur *materia*: ergo sicut materia habet causalitatem partialem circa compositum, sic & forma talem participat; ita quòd principalis ratio, cur forma dicatur causa, desumatur ex hoc, quòd concurrat ad effectionem compositi; non verò ab eo quod influat in materiam.

Obijcies. Si causa formalis informet materiam & causet compositum, erit duplex causa; quia habebit duplicem effectum & causalitatem: ergo falsum est quod antecedit *formam informare materiã & efficere compositum*. *Resp.* formam habere quidem duos effectus, non propterea tamen esse duplicem causam, licèt sit duplex ratio causandi; cùm videamus lucem simul illuminare & calefacere. Quantùm ad hoc quod iam dictum est, *formam non causare materiam*, quę de se existit; non dat quidem materiæ *esse entitatiuum* & intrinsecum, sed illi communicat *esse* perfectiuum, specificatiuum, & extrinsecum.

QVÆSTIO III.

Quæ sit Causalitas Materiæ & Formæ.

SIcut causa intelligi potest esse *potentialis*, quatenus effectum producere valet; vel *actualis*, prout actualiter influit in effectum: sic *causalitas*, per quam res formaliter denominatur causã, potest spectari, vel in

actu

actu primo, vel in actu secundo. *Causalitas in actu primo* est id per quod res, quæ actu non causat, potest reuerà causare, quatenus habet vim causatiuam, *causalitas in actu secundo* est ratio per quam res actu causare dicitur. Sicut hic consideramus causam, vt actualis est; sic etiam præsens quæstio intelligitur de causalitate *actuali*; seu de ratione illa, per quam res dicitur causare *actu*: ad quam iam obiter respondimus post conclusionem quæstionis vltimæ capitis præcedentis.

CONCLVSIO.

PRincipalis *causalitas Materiæ & Formæ consistit in illo influxu, quo simul vnitæ concurrunt ad constituendum compositum, illa per modum subiecti actuati & informati, hæc per modum formæ actuantis & informantis*. Dixi *principalis causalitas*; quia materia habet causalitatem minùs principalem circa materiam quam sustentat; & forma habet causalitatem circa materiam, quam actuat & informat, & sic minùs principalis, causalitas materię respectu formę consistit in hoc, quòd formam sustentet; sicut causalitas *minùs principalis* formæ in eo sita est, quòd materiam actuet, informet, & faciat esse talis vel talis speciei. Causalitas verò *principalis* materiæ & formæ attendi debet penes compositum, quod constituunt, quando simul vniuntur per actionem causę efficientis, quæ formam educit de potentia materiæ, quam eductam illi coniungit; illa per modum potentiæ, ista per modum actus: vnde non immeritò diximus, quòd causalitas principalis materiæ & formæ sit influxus ille, per quem simul vnitæ concurrunt ad constituendum compositum; prior per modum subiecti actuati, posterior verò per modum formę actuantis.

Probatur conclusio præcedens tum ex authoritate Philosophi 1. *Phys. cap.* 19. dicentis *Materiam esse id ex quo insito aliquid per se efficitur*; sed ex materia *per se* efficitur compositum, tanquam ex parte intrinseca actuata per formam, quæ ambo vnitæ compositum efficiunt: ergo causalitas materiæ consistit in influxu illo, quo concurrit cum forma ad constituendum compositum; quod idem dicendum est de forma concurrente viciſſim ad efficiendum compositum cum materia.

Tum

Tum per rationem, quia materia & forma verè & propriè sunt causæ *physicæ*; sed causæ physicæ dicuntur tales propter influxum realem & physicum quem tribuunt effectui, quandoquidem *causa est id quod influit esse in aliud*; ergo causalitas materiæ & formæ est *influxus*, quo simul vnitę concurrunt ad constitutionem compositi; materia videlicet per modum subiecti actuati, & forma per modum formę actuantis & perficientis.

Obijcies 1. Per *causalitatem* intelligitur illud per quod res dicitur *actu* causare; sed vnio materiæ & formæ est id quo materia & forma efficiunt compositum; quandoquidem positâ vnione inter vtramque, resultat compositum, & ea sublata compositum destruitur: ergo causalitas materię & formæ consistit in vnione vtriusque, non verò in influxu earum. *Resp.* negando minorem, & ad rationem eius dico quòd positâ vnione efficiatur reuerà compositum, & ea sublata illud destruatur: non quòd vnio sit effectus materię & formæ, sed tantùm conditio extrinseca, sine qua non fieret totum; vt innuit Scotus *in 3. dist. 2. quæst.* 2. Conditio autem extrinseca non est causalitas materię & formę, aliàs combustio ligni deberet attribui approximationi ignis ad lignum; sine qua non sequeretur combustio; quod tamen falsum est. Si ergo *dicatur* causalitas consistit in eo, quo posito, res dicitur *causare*, & quo sublato, *causare* non censetur; hoc absolutè negandum est, vt patet de exemplo approximationis allatę. Imò vt aliquid censeatur causalitas propriè sumpta debet esse quid intrinsecè influens in effectum, quod dici nequit de vnione, quæ est extrinseca.

Obijcies 2. Ex Scoto causalitas est relatio causę ad causatum 9. *Metaph. quæst.* 4. quia est habitudo ad aliud, nempè ad effectum; quæ habitudo fundatur super actionem: ergo causalitas non consistit in influxu, qui est quid absolutum. *Resp.* causalitatem causæ non esse relationem, nisi *consecutiuè*; vt diximus in 5. concl. quæst. vltimæ cap. pręcedentis: & sic intelligi debet Doctor noster præobiectus. *Quòd*, inquam, *causalitas non sit relatio*, patet ex hoc; quòd primò debeat considerari entitas causæ, deinde potentia causandi, & postea causalitas seu causatio actualis, quæ omnia sunt absoluta: ex quibus sequitur relatio causa-

sati ad causam : quod euidenter demonstrat causalitatem non esse relationem , nisi fundamentaliter , quatenus est fundamentum, ex quo resurgit relatio.

QVÆSTIO IV.

An Deus possit supplere Causalitatem Causarum Materialis , & Formalis.

EX hoc quòd Deus supplere valeat causalitatem causæ efficientis , quia producere potest se solo quidquid causæ secundæ poducere valent , & impedire effectum cuiuscumque effectus secundarij, quoniam in fornace Babylonica fecit, quòd ignis non combureret pueros suę actiuitati applicatos; posset forsan quis dubitare , *num etiam posset supplere causalitatem & influxum causarum materialis & formalis*: sed ad hoc respondet negatiuè Scotus *in 1. dist. 2. quæst. 2.* contra Fonsecam 5. *Metaph. cap. 2. quæst. 8.*

CONCLVSIO.

DEus *non potest supplere causam materialem & formalem.* Quia vel hoc sic intelligeretur, quòd Deus posset producere compositum absque materia & forma v.g. hominem sine corpore & anima , vel quòd in composito ipsemet Deus posset obire munera materiæ & formę ; sed neutrum fieri potest : ergo. Probatur *prima* pars minoris. Quia si Deus faceret hominem sine corpore & anima , tale compositum esset homo, vt supponitur ; & non esset homo , quia careret partibus essentialibus hominis , quod repugnat. Probatur *secunda* pars minoris , quia Deus est causa perfectè causans ; sed materia & forma sunt causę imperfectę cùm materia perficiatur à forma , & forma sustineatur per materiam , quę ambo imperfectionem redolent : ergo Deus non potest obire munia causę materialis & formalis , quibus funguntur ad se inuicem. Non potest etiam Deus supplere causalitatem materię & formę in ordine ad compositum. Quia materia & forma compositum efficiendo ingrediuntur eius essentiam, suntque partes essentiales eius, vt constat de corpore & anima in homine , sed Deus non potest esse de essentia , nec pars essentialis compositi, aliàs foret imperfectus, cùm

totum

totum sit perfectius parte; ergo Deus non potest supplere causalitatem materiæ, & formæ in ordine ad compositum, vt innuit Scotus præcitatus, & *in 4.dist.* 12.*q.*1.

Obiicies. Deus potest facere sine causa secunda quod potest facere cum illa: ergo potest supplere vices materiæ, & formę, quę sunt causæ secundæ. *Resp.* antecedens esse verum de causa *efficienti*, quam Deus supplere potest, cùm ipse possit facere hominem sine concursu solis, & hominis generantis; non verò de causis *materiali*, & *formali*, quæ imperfectionem inuoluunt. Licèt ergo Deus possit hoc sensu supplere materiam, & formam, quatenus ex se solo potest producere compositum in genere causæ efficientis, ipsum producendo sine subiecto præexistenti; non tamen potest se habere per modum causæ materialis, & formalis, ob imperfectiones in illis repertas, quas præallegauimus in probatione conclusionis. Potest etiam Deus per modum causæ efficientis supplere effectum expulsiuũ formę, qua expellit forma n præexistentem in composito, vt se introducat in illud, quoniam Deus talem formam se sola destruere potest: non verò hoc valet facere per modum causæ formalis.

Obiicies 2. Deus absque imperfectione vlla potest obire causalitatem materiæ, & formæ, si possit sustentare formam sine materia, & si possit conseruare materiam sine forma, quę sunt causalitates vtriusque; sed vtrumque potest Deus sine imperfectione, vt probauimus suo loco dicentes, materiam posse diuinitùs existere sine forma, & formam sine materia: ergo Deus potest supplere causalitatem materiæ, & formæ. *Resp.* ad minorem Deum posse vtrumque facere per modum causæ *efficientis*, efficienter concurrendo vt materia spolietur omni forma, & forma subsistat sine materia, cum accidentia Eucharistiæ existant sine subiecto; neutrum tamen illorum facere potest per modum causæ *materialis* aut *formalis*, ob imperfectiones in istis causis repertas: quia scilicet, id quod est materia perficitur à forma, & id quod est forma sustentatur à materia, quòd inuoluit imperfectionem cuius Deus est incapax. Si Verbum D. *dicatur* assumpsisse humanitatem, quæ fuit illi forma: hoc non est factum per informationem intrinsecam, sed per solam terminationem, quæ nihil posuit reale in Verbo; vt diximus agendo de Incarnatione Verbi D.

CAPVT III.

De Causa Efficiente.

EXplicatis causis intrinsecis naturalis compositi, quæ sunt materia, & forma, quarum exposuimus causalitates; nunc procedendum est ad examen causarum extrinsecarum, quæ sunt causæ *efficiens*, & *finalis*: cum hoc ordine, quòd præagamus de efficienti, ante finalem; quia *in ordine executionis priùs efficiens debet agere, quàm obtineatur finis*. Plura autem examinanda veniunt de causa efficiente, quia sub nomine, & ratione causæ efficientis comprehenduntur *causa prima, & secunda, causa principalis, & instrumentalis*; imò ad efficientem reducitur pariter *exemplaris*: vnde de his omnibus dicendum est.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & Quotuplex sit Causa Efficiens.

CAusam efficientem dari, non est qui negare valeat; quoniam talis causæ effectiuæ existentiam euidenter prædicant omnia corpora cœlestia, & sublunaria; quæ, cùm se producere non potuerint, tenentur agnoscere causam sui effectiuam. *Deinde* materia, & forma, cuius existentias vidimus, nobis sufficienter suadent existentiam causę efficientis; cùm ex illis non possit resultare compositum sine interuentu causæ efficientis. *Tandem* cùm omnes creaturæ vna voce de Deo dicant *ipse fecit nos, & non ipsi nos*; nullus audebit negare existentiam causæ efficientis, nisi velit inficiari existentiam Dei, quod nullus dixerit, nisi *insipiens*, & adhuc *in corde suo*, non verò palam, nè acriter reprehenderetur ab insensibilioribus, quæ primi agentis & efficientis existentiam proclamant. Posita ergo causæ efficientis existentia, ab ipsius definitione incipiendum est.

CONCLVSIO PRIMA.

C*Ausa efficiens est primum principium vnde oritur motus, & quies*, Sic Arist. 2. *Phys. cap.* 3. quam definitionem

nem explicat Scotus *in Comm. 5. Metaph.* dicens quòd causa efficiens sit principium primum *per se*, & extrinsecum, vnde oritur motus, & quies. Dicitur primò *principium*; & illa particula tenet locum generis, in quo conuenit efficiens cum materia,& forma. Dicitur 2. *primum*; non quidem in ordine intentionis, quia in tali ordine finis præcedit efficiens, quod non agit nisi à fine motum, & in ordine executionis, quandoquidem *agens priùs efficit, quàm finis obtineatur*. Dicitur 3. *per se*, vt excludantur causæ *per accidens*, quæ propriè non debent dici *efficientes*; quia non influunt per se in effectus. Dicitur 4. *extrinsecum*, in quo causa efficiens secernitur à natura, quę est quidem principium primum, & per se motus, & quietis, sed internum; vbi efficiens debet esse principium externum. Dicitur 5. *vnde oritur*, quod efficientem distinguit ab alijs causis; quoniam materia est *id ex quo*; forma est id *per quod*; finis est *id propter quod*, & efficiens est *id vnde*, *seu id à quo*. Additur denique *motus*, *& quies*, id est, vnde oriuntur motus physici, qui sunt generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & motus localis.

Obijcies 1. Definitionem Aristotelis non esse legitimam quia conuenit causę finali; quandoquidem finis est primum principium vnde oritur motus, & quies, cùm agens non agat, nisi quatenus à fine mouetur. *Resp.* à causa finali non incipere motum propriè, quia finis solùm excitat agens ad incipiendum motum; vnde sicut pecunia oblata pictori non censetur inchoare picturam, quia nec penicillos mouet, nec colores applicat, nec picturam format, sed tantùm excitat pictorem, vt hæc omnia faciat: sic etiam finis non est id à quo incipit motus, sed id quod excitat efficiens, vt incipiat motum seu actionem. Deinde in hoc distinguuntur efficiens,& finis, quod motus incipiat ab efficiente secundum suum *esse* reale existenti, & à fine existenti tantùm secundùm *esse* obiectiuum, & intentionale; quia finis non existit realiter, quando agens incipit actionem, sed tantùm obiectiuè, & intentionaliter, quatenus cognoscitur.

Obijcies 2. Præallata definitio conuenit etiam naturæ, materiæ, & Deo, quæ non sunt causæ *efficientes*: ergo non est legitima. *Resp.* negando antecedens. Licèt enim natura sit principium internum motus, quia tamen efficiens, & principium externum, & natura prin-

principium internum, ideò definitio non competit vtrique. Licèt etiam materia concurrat ad effectionem compositi, quia tamen est quid intrinsecum in composito manens, & efficiens est quid extrinsecum manens extra compositum, proinde materia non est efficiens. Licèt denique præcedens definitio conueniat Deo, non minùs est legitima; quia nil vetat dicere *Deum esse, & dici causam efficientem respectu creaturarum quas efficit*: non quidem per generationem, sed per creationem, quæ creatio potest dici mutatio, saltem impropriè, quia est *transitus de non esse ad esse rei creatæ*. Non propterea tamen dici debet, quòd solus Deus sit causa *efficiens*, quia ab illo solo incipiunt omnes motus, vnde dicitur *primus motor*: quando enim dicitur *quod efficiens sit illud à quo motus primò incipit*: per hoc non excluditur causalitas Dei; sed influxus alterius causæ secundæ diuersi generis, nempè materia, forma, & finis.

CONCLVSIO SECVNDA.

QVot modis diuisimus causam in genere quest. 1. cap. 1. huiusce sectionis, tot, & iisdem distribui potest causa efficiens in particulari: vnde causa efficiens secari potest primò in *vniuersalem*, & *particularem*. Secundò in *primam*, & *secundam*. 3. In *vniuocam*, & *æquiuocam*, 4. In *partialem*, & *totalem*, siue sit subordinans, aut subordinata, 5. In *principalem*, & *instrumentariam*. 6. In *propriam*, & in *impropriam*, 7. In *primam simpliciter*, seu absolutè, & in *secundam*. Quibus addi possunt *proxima*, & *remota*, *mediata*, & *immediata*, *naturalis*, & *supernaturalis*, *ordinaria*, & *extraordinaria*, *libera*, & *necessaria*, *moralis*, & *physica*. Quarum omnium causarum habentur explicationes loco præcitato. Imò præter illas omnes causas, quę *efficientes* dici debent, potest vlteriùs dici; quòd causa efficiens sit adhuc triplex. Nempè *conseruans*, & *producens*, vt aer; sine quo non possumus viuere, licèt *esse* non præbeat: *non conseruans* sed *producens*, vt homo respectu alterius hominis, quem producit; non tamen conseruat, ac denique *conseruans*, & *producens simul*, vt Deus, & sol, qui concurrunt ad conseruationem rei sicuti antea concursum dederunt ad illius generationem.

Si quæratur autem *vtrum ratio causæ efficientis con-*

veniat vniuoce omnibus causis supra memoratis. Responderi debet affirmatiuè iuxta Philosophum, qui hoc probat 2. *Phys. cap.* 3. *&* 5. *Metaph. cap.* 2. Ratio huius est, quia omnes illæ causæ sibi vendicant nomen causæ efficientis, sicut, & naturam; quandoquidem causæ vniuersales, & particulares, primæ, & secundæ, vniuocæ, & æquiuocæ, principales & instrumentales, omnesque illę, quas recensuimus, influunt efficienter in effectum; & sunt primum principium extrinsecum, ex quo per se oritur effectus, seu procedit mutatio; in quo consistit formalis ratio causæ efficientis.

QVÆSTIO II.

In quo consistat Causalitas Causæ Efficientis, & quodnam sit Principium agendi in Efficiente.

NE longius protrahatur materia, vtramque difficultatem sub eodem titulo proponimus; cùm in conclusione quinta capitis primi iam explicuerimus causalitates omnium causarum in genere, quod de causa materiali, & formali resumpsimus in præcedenti: & pro secunda quæstione facilè sit dictu, *quodnam sit principium agendi causæ efficientis.*

CONCLVSIO PRIMA.

C*Ausalitas causæ efficientis in actu secundo est actio illius.* Illud enim censetur ratio formalis causæ efficientis, seu illius causalitas, à quo formaliter dicitur *causare actu* effectum, etiam sublatis cuiuscumque alijs; sed posita sola actione, agens denominatur *agens*, cęteris quibuscumque ablatis, & sublata actione non amplius dicitur *agens*; ergo causalitas causæ efficientis consistit in actione. *Quod, actione posita, agens denominetur, & verè sit agens, & quod ablata actione, non amplius possit agens denominari*: Patet ex hoc, quòd actio sit forma essentialiter constituens *agens*: & sic positâ actione *agens* constituitur, & omissa actione *agens* esse desinit; proindeque euidenter colligitur, quòd causalitas efficientis in actu secundo consistat in actione, seu in effectione, aut in efficientia, quæ est abstractum formaliter constituens concretum.

Obiicies. Si actio esset causalitas efficientis, deberet esse

esse in causa cuius est causalitas, quoniam à causalitate res dicitur causa; sed actio non est in causa, benè autem in effectu: ergo causalitas efficientis non est actio. *Resp.* maiorem esse veram, quia non posset causalitas denominare causam, nisi esset in causa, sicut albedo non potest denominare parietem album, nisi in illo pariete existat; sed minor negari debet, quia, vt diximus aliàs in Logica, actio est in agente, sicut passio in patiente: Cuius ratio sumitur ex hoc, quòd actio sit relatio agentis ad passum;& sic debet esse in agente: quãdoquidem omnis relatio est in fundamento, quod refert. Ad hoc quod dicunt contra nostram assertionem Soncinas, Iauellus, & Fonseca, actionem esse effectum causæ efficientis: & sic non posse dici ipsius causalitatem, seu rationem formalem: quoniam actio realiter distinguitur ab agente, & ratio formalis identificatur cum re cuius est formalitas: *Respondendum* est actionem non esse propriè effectum agentis, sed potiùs viam & medium, quo agens producit suum effectum; quæ actio impropriè tantùm debet dici *effectus quo*, non verò *effectus qui*, seu terminus totalis agentis.

CONCLVSIO SECVNDA.

PRincipium agendi causæ efficientis duplex est, nempè principium *quod*, & principium *quo*. Principium *quod* seu materiale, est aliquando suppositum agens, & aliquando natura singularis, per se existens completè, quæ producit aliquid. Quando v.g. Petrus aliquid producit, tunc principium *quod* actionis Petri est ipsius Petri suppositum: vnde Aristoteles dicit *quòd actiones sint suppositorum. Quando autem dicitur de humanitate Christi, quod meruerit apud Deum*, talis actio meritoria non procedit à supposito Christi, quod est Verbum D. merendi incapax; quandoquidem mereri apud aliquem dicit inferioritatem in merente, quæ nulla esse potest in Verbo D. vnde principium *quod* meriti Christi non fuit suppositum ipsius Christi, sed natura humana singularis, quæ eliciebat actiones humanas: & in hoc falsum est quod Aristoteles dicit *actiones esse suppositorum*; nisi dicatur quòd nomine *suppositi* intelligatur natura singularis per se existens, vt explicant plures.

Principium *quo*, seu formale, est illud mediante

quo

quo principium *quod* agit, & operatur; & sic, quando dicitur, *Petrus intelligit*, principium *quod* materiale est Petrus, principium verò *quo*, est intellectus Petri, per quem producit intellectionem. Principium *quo* potest vlteriùs dici esse duplex, nempè proximum, & remotum. Principium *quo remotum* est forma substantialis rei, principium autem *proximum quo* est qualitas quędam actiua, vel potentia, per quam agens immediatè agit. Sic v.g. quando ignis calefacit aquam, principium *quo* remotum calefactionis est forma substantialis ignis, quia ab illa fluit calor, & à calore calefactio, principium verò *quo* proximum est calor ignis, à quo immediatè oritur calefactio. Quando etiam *Petrus intelligit*, forma substantialis Petri quæ est anima rationalis dicitur esse principium *quo* remotum intellectionis, quoniam ab anima rationali prodit intellectus; principium verò *quo* proximum est intellectus immediatè eliciens intellectionem.

QVÆSTIO III.

De Causa prima Efficiente, vt est Creans.

POst explicationem eorum, quæ concernunt causam efficientem in genere, dicendum est de causis efficientibus in particulari, & quia nobilior diuisio causæ efficientis est in causam *primam*, & *secundam*, priùs sermo institui debet de illa, quàm de ista. Quia autem per *causam primam* intelligitur Deus, à quo omnia agentia creata dependent, & emendicant suam agendi virtutem; Deúsque possit considerari, vt creans omnia, vt conseruans singulas creaturas, & vt concurrens cum omnibus, & singulis agentibus creatis; in hac quæstione differere meditamur de *Deo*, seu de *prima causa*, *vt creans* est; quærendo scilicet, *an Deus possit creare, an de facto creauerit, & adhuc creet, & an potentia creandi possit deuolui creaturæ.*

CONCLVSIO PRIMA.

D*Eum creare posse docet Fides Catholica*; innuens Gen. 1. *Deum in principio creasse cœlum, & terram*, contra veteres Philosophos, qui creationis possibilitatem negantes volebant ex nihilo nihil fieri; ita quòd licèt

licèt non dixerint mundum esse ab æterno, asseuerarent tamen materiam aliquam informem, quam appellabant *chaos*, Deo fuisse coęternam, & ex illa indigesta mole formas omnium fuisse eductas, compositaque naturalia fuisse constituta in tempore. Quantùm ad Aristotelem, mens eius de rerum creatione ita videtur dubia, vt aliquando videatur illam negare, docendo mundum extitisse ab æterno; interdum verò illam astruere, vtpote docens 12.*Metaph.text.*38.cœlum & terram pendere à Deo, quem 8.*lib.Phys.*asserit esse rerum omnium principium; à quo tanquam à primo motore omnia entium genera acceperunt existentiam, quam antea non habebant, quod est admittere euidenter creationem.

Quòd autem creatio sit posfsibilis Deo, potest euidenter ex hoc colligi; quòd ex Scoto *in 2. dist. 1. quæst. 2.* creatio sit productio rei ex nihilo subiecti & termini; ita quòd nihil eius quod producitur præexstiterit; sed talis productio est Deo possibilis: ergo sub eius potestate residet creatio. Probatur minor. Quanto agens est perfectius, eo paucioribus indiget in agendo, & minùs dependet à materia in quam agit; vnde in hoc differunt agens artificiale, naturale, & supernaturale, quòd *agens artificiale* exigat compositum naturale, in quod artem suam applicet, vt artificiatum eruat; *agens naturale* exigat saltem vnam partem compositi naturalis, nimirum materiam, è cuius potentia educat formam: *agens* verò *supernaturale*, quod est infinitæ virtutis, ita independenter ab alia agat, vt neque exigat compositum, in quod possit agere; neque materiam *ex qua* agat, sed *ex se* producere valeat omnia entium genera, iuxta determinationem suæ voluntatis, quæ est omnium prima causa, sed nemo dubitat, quin Deus sit agens supernaturale infinitæ virtutis: ergo omnes admittere debent, *quòd Deus creare possit*.

Deinde primum & supremum efficiens illud est, quod immediatè & quocumque alio circumscripto potest efficere aliquid, sed Deus est prima causa & supremum efficiens, vt liquet: ergo independenter à quocumque alio potest producere quodcumque voluerit, etiamsi nihil rei producendæ præexistat, quod est *creare*. Illud enim quo Deus indigeret ad aliquid producendum; vel esset Deus, vel creatura; si autem esset *Deus*,

non

non indigeret aliquo distincto à se ; si verò non esset *Deus*, Deus non esset agens supremum & independens, quandoquidem non posset egere sine ope alterius; ergo Deus se solo immediatè & sine subiecto agere potest. *Tandem* prima causa debet habere modum causandi sibi soli conuenientem, qui ad alteram non pertineat, aliàs essent plures primæ causæ, sed agens naturale producit ex præsupposito subiecto: ergo vt agens supernaturale habeat modum agendi sibi proprium, *debet posse agere sine subiecto*; quod est habere vim creatiuam.

Obijcies. Sicut sola potentia passiua non sufficit absque actiua ad producendum aliquid, sic potentia actiua, qualiscumque sit, non sufficit sola ad aliquid producendum: ergo Deus sine materia & subiecto non poterit aliquid producere, nec proinde *creare* aliquid. *Resp.* negando paritatem. Ideò enim potentia passiua non sufficit ad productionem effectus, quia imperfecta est; & sic requirit efficiens, vt reducatur ad actum: *efficiens* verò, si sit infinitæ virtutis, vt Deus, nihil aliud requirit, proindeque sine materia producere potest effectum, quod est *creare*. *Si dicat* axioma philosophicum *ex nihilo nihil fieri*; hoc verum est respectu potentiæ finitæ & naturalis, non verò respectu Dei, qui cùm habeat potentiam infinitam, non indiget subiecto in quod agat.

CONCLVSIO SECVNDA.

De *facto Deus creauit* ex Gen. 1. *In principio Deus creauit cœlum & terram* Eccles. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul.* Et 2. Machab. 7. vbi Machabæorum mater suum filium adolescentiorem excitans ad mortem subeundam, dicebat illi, *Peto nate, vt aspicias cœlum & terram, & ad omnia, quæ in illo sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Hæc & similia Scripturæ verba euidenter demonstrant Deum nedum habere potentiam creandi, sed reuerà creasse nobiliores mundi partes, quas produxit ex *nihilo materiæ* seu ex nullo præsupposito subiecto, proindeque duplex asseuerari potest creatio, *actiua* scilicet & *passiua*, quarum prima est actio quà efficiens producit aliquid ex nihilo; posterior verò est ipsamet creatura ex nihilo producta.

Creatio, inquam, *actiua* est sola Dei volitio efficax, quà vult creaturam ex nihilo nunc fieri, quæ antea non erat. Creatio verò *passiua* nihil aliud est quàm ipsamet creatura ex nihilo producta, dicens relationem realem dependentiæ ad Deum creatorem. Quòd si *dicatur* creationem non posse dici Dei volitionem; quia volitio Dei est ab æterno, & creaturæ non existunt nisi in tempore: *Responderi* debet cum Scoto *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. quòd volitio Dei sit reuerà ab æterno, quia est actio immanens; quoniam tamen non voluit creaturas pro æterno, sed pro tali vel pro tali differentia temporis; hoc non impedit quin creaturę sint tantùm in tempore, quando scilicet aduenit illa temporis differentia, pro qua Deus voluit creaturas esse futuras.

Si quis instet *dicens* terminum actionis debere esse pro illo instanti, quo intelligitur esse actio; sicque volitionem Dei non potuisse esse ab æterno, & creaturas in tempore. *Resp.* hoc verum fore, si actio actualis & præsens connotaret terminum actualem & præsentem, non autem, si connotet tantùm terminum futurum: vt in proposito. Quando enim Deus ab æterno voluit creaturas produci, non voluit illas produci ab æterno; sed pro futuro tempore: vnde nil mirum, si volitio creaturarum fuerit ab æterno, & ipsę creaturæ tantummodò in tempore existant. Si enim propter meum solum *velle* hodiernum, cras sol oriretur, volitio mea esset præsens, & effectus illius esset futurus; & sic per hoc exemplum patet, quòd nil vetet dicere volitionem Dei circa creaturas futuras esse ab æterno, & creaturas fore in tempore; quia scilicet actio illa D. voluntatis non connotat terminum actualiter præsentem, sed futurum.

CONCLVSIO TERTIA.

Nvsquam causa secunda creauit, aut creare potuit, vt causa principalis, vel vt causa instrumentalis physica. Prima pars harum trium est Scoti & omnium Catholicorum contra Auicennam, qui 9. *Metaph. cap.* 4. existimat in rerum creatione esse catenam auream, primamque intelligentiam creasse secundam, secundam tertiam, & sic de cæteris, vsque ad vltimam; quæ condidit totam vniuersalitatis machinam.

Huic

Huic errori subscribit Plato in Timæo, vbi Aug. referente 12. Ciuit. Dei cap. 26. ait Deos minores, seu Angelos condidisse corpora animalium. Istis adstipulantur Cerintiani existimantes pariter ab Angelis fabricatum fuisse vniuersum orbem. Contrarium autem firmiter asserit Fides Catholica, cùm creatio omnium attribuatur soli Deo, Gen. 1. *In principio Deus &c.* & postea, *septime die requieuit ab omni opere quod patrarat.* Eccli. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul.* Ad Hebr. 3. *Qui omnia creauit Deus est.* In confirmationem huiusce veritatis Concilium Oecumenicum Lateranense cap. *firmiter* de Summ. Trin. determinauit, *Deum de nihilo condidisse vtramque creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam & mundanam.* Quòd idem expressè habetur in Symb. Nic. *Factorem cæli, & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.* Quod antea dixerat B. Ioan. cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt est, sine ipso factum est nihil.* Quantùm ad rationem assertionis nostræ, afferetur in probationibus sequentibus, dicendo enim *quòd nulla causa secunda creare possit, nequidem vt causa instrumentalis physica*: hoc satis probat, nullam causam secundam creasse aliquando.

Probatur secunda pars *quod nulla causa secunda creare potuerit, vt causa principalis.* Hanc tuentur D. Thomas 1. *p. quæst.* 45. *art.* 5. Scotus *in* 4. *dist.* 2. *quæst.* 1. Ochamus, Aureolus, Suares, & plurimi, contra Maiorem, Durandum, Gabrielem, Raconium cum alijs numero tamen paucioribus. Primò quia Patres Ecclesiæ, D. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 2. *in Iulianum*, D. Athan. *serm.* 3. *contra Arianos*, & præ cæteris ob breuitatem omittendis, August. inconcussum tenent Deum solum operari posse vt creatorem; vnde in particulari Aug. *lib.* 5. *de Gen. ad Litt. cap.* 15. ait, *Creare naturam tam nullus potest; quàm nec seipsum.* Nec sic Patres explicari debent, quòd negauerint tantùm creaturam posse creare virtute propria; licèt hoc facere potuerit per virtutem sibi à Deo concessam. Talem enim explicationem esse euidenter contra mentem Patrum colligitur ex hoc, quòd sancti Patres agerent contra Arianos, & vellent probare contra illos, *quòd Verbum D. esset Deus, quoniam omnia creauerat*; sed eorum argumenta fuissent inualida, si virtus creatrix posset communicari à Deo puræ creatu-

ræ: ergo intelligendi sunt Patres *absolutè*, quòd scilicet voluerint virtutem creandi non esse communicabilem creaturæ, siue factæ, siue factibili. Quantùm ad illos, qui volunt Aug. intelligi de tota natura creabili, seu de potentia creandi totam naturam, quam negant posse communicari puræ creaturæ; hoc neque dici potest: quia si Deus posset dare creaturæ alicui potentiam creandi aliquam naturam particularem, posset æquè dare facultatem creandi omnem naturam creabilem; cùm enim tota natura creabilis non sit infinita, posset tota produci, si aliqua produci posset per virtutem creandi diuinitùs delegatam creaturæ: & sic rationes Patrum non vrgerent Arianos, qui potuissent respondere *Verbum non esse Deum, estò creauerit omnia*; quia scilicet Deus posset conferre vim creatiuam puræ creaturæ. Nè ergo inualidentur rationes Patrum contra Arianos, dicendum est quòd ipsi Patres voluerint Deum non potuisse communicare potentiam creandi vlli creaturæ, quandoquidem talis virtus omnipotentiam redolet soli Deo propriam.

Quantùm ad rationes huiusce veritatis confirmatiuas: Ratio D. Thomæ est, quòd effectus vniuersalissimus debeat tantùm referri ad causam vniuersalissimam, qui est Deus, sed creatio, quæ respicit ens, vt ens est, est effectus vniuersalissimus: ergo debet ita spectare ad solum Deum, vt creaturæ communicari non valeat. Nec debet adhoc *responderi*, quòd effectus creationis non sit vniuersalissimus, respectu aliquorum entium in particulari, sed tantùm respectu totius entis creabilis. Hoc, inquam, responderi non debet, quia eadem ratio ita vrget pro vno ente ac pro omnibus, vt prędictum est; & sic, si potentia creatiua non possit delegari creaturæ pro omni ente creabili, vt fatentur aduersarij: non poterit etiam dari pro ente aliquo in particulari: quia repugnantia illa non procedit ex multiplicitate entium creabilium, sed ex modo producendi, qui est ex nihilo, & qui est absolutè impossibilis creaturæ. Ratio Scoti est hæc: quòd si creatio posset competere creaturæ, daretur vel materiali, vel spirituali; sed neutri competere potest: ergo non potest, inquit, creatura materialis recipere potentiam creandi, quia vel daretur materię, aut formæ, aut composito; non materiæ

quæ

quæ purè passiua est; non formæ, quæ potest tantùm producere formam sibi similem; nec etiam composito, quòd cùm constet materia & forma, eandem planè rationem agendi participat. Quòd etiam potentia creatiua non possit deuolui creaturæ spirituali, ex hoc probat Doctor. Quòd Angelus non possit intelligi producere, nisi per naturam, aut per intellectionem; sed agens intellectuale non potest producere per naturam, aliàs non posset dici, quòd plures essent personæ in DD. quàm tres, vna scilicet, quæ produceretur per naturam D. Non potest etiam Angelus producere, nec creare per intellectionem & volitionem, quia cùm sint accidentia, & accidens non possit productionem substantiæ attingere; proinde creatura spiritualis non potest virtutem creandi recipere à Deo.

His addi potest, quòd nulla creatura, siue facta, siue factibilis, sit capax recipiendi potentiam infinitam, *quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur*, & creatura quælibet finita est; sed virtus creandi est infinita, quoniam est ab alio independens, tanquam à subiecto: ergo talis virtus delegari non potest creaturæ. *Si dicatur* talem protunc potentiam creandi non esse independentem absolutè, quia supponitur illam dari à Deo; hoc non impedit quin diceretur infinita & independens, non quidem ratione principij, quandoquidem ab extrinseco procederet, nempè à Deo; sed entitatiuè remaneret infinita & in modo producendi: quia sicut non ens infinitè distat ab ente, quandoquidem *negatio totum destruit, & nihil est entis in non ente*; ideò requiritur potentia infinita ad creandum. Quando autem respondent aduersarij non ens non differre infinitè ab ente, quia differt magis negatio entis ab ente supremo, quàm ab ente infimo; quod est contra rationem infiniti, quo non potest dari maius: Dicendum est quòd hoc non impediat infinitam distantiam à non ente ad ens, cùm *nihil entis sit in non ente*. Quando autem arguunt *infinito nil dari maius*; respondemus in ratione entis non magis differre Deum à non ente, quàm formica, ab ipso non ente, licèt plus differat in ratione talis entis. Nemo enim dubitat, quin Deus, qui infinitus est, distet infinitè ab Angelo, attamen distat magis ab homine, & adhuc magis à formica; & sic licèt non ens magis distet

à supremo ente, quàm ab infimo in ratione talis entis; hoc non impedit tamen: quin in ratione entitatis simpliciter distent infinitè ens & non ens.

Tertia pars est adhuc Scoti in vtroque opere Oxoniensi & Parisiensi *in 4. dist. 1. quæst. 1.* & D. Thomæ præcitati, & aliorum, qui *negant vllam creaturam posse esse instrumentum alicuius creationis*: contra præcitatos, qui arbitrantur posse creaturam eleuari à Deo, vt instrumentum ad creandum aliquid. Creatura enim vel disponeret subiectum ad posse creari, vel attingeret terminum creationis, his enim duobus tantùm modis intelligitur instrumentum concurrere ad actionem; sed creatura non potest disponere subiectum vt creetur, quia in creatione nullum extat subiectum disponendum, cùm sit productio ex nihilo; nec etiam attingere potest terminum creationis, quia nullam in se possidet vim creatiuam: ergo creatura non potest esse instrumentalis causa creationis. *Deinde* creatura antequam assumeretur à Deo ad creandum non habet virtutem creandi, nec eam recipere potest: quandoquidem talis virtus est infinita, & creatura non potest recipere aliquid infinitum, quoniam *quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur*; ergo creatura non potest instrumentaliter creare. *Tandem* cui repugnat actus primus, repugnat etiam actus secundus, quia iste permanat ab illo: sed actus primus, nempe potentia creandi, repugnat creaturæ: ergo repugnat illi actus secundus: quòd possit assumi à Deo vt *instrumentum* creationis. Quod si dicatur hanc rationem valere tantùm pro causa principali, non verò pro instrumentali. *Respondendum* est argumentum vrgere pro vtraque; quia instrumentum non est propriè actiuum, sed tantummodo passiuum: vnde cùm creatura non possit *creare principaliter*, nec etiam poterit *instrumentaliter*.

Obijcies 1. Sacramenta producunt gratiam in anima recipientium, sed gratia creatur ex Scoto *in 2. dist. 34.* ergo creatura attingit creationem. *Resp.* Sacramenta non producere gratiam nec illam creare *Physicè*, sed tantùm *moraliter*: quandoquidem sunt signa quędam externa & sensibilia, ad quorum applicationem Deus statuit gratiam conferre illis, qui dignè suscipiunt sacramenta; nostra autem quæstio intelligitur de causa instrumentali *Physica*; vt videre est in conclusione. *Dices*

crea-

creatura potest eleuari ad reproducendum corpus Christi in Eucharistia, quæ actio nobilior est creatione. *Resp.* Non creari corpus Christi per Sacerdotem, quia consecratio quæ est mutatio subiecti in subiectum, panis scilicet in corpus, subiectum & materiam supponit. Quando autem affertur, *quod consecratio sit nobilior creatione*; hoc verum est in genere *moris*, non verò in genere *naturæ*. Adde quòd non reproducatur corpus Christi physicè, sed moraliter; quatenus scilicet Deus ad prolationem verborum sacerdotis panem transubstantiat in corpus Christi. Eadem responsio currit ad eos, qui dicunt *panem annihilari à sacerdote*; quæ annihilatio non est facilior creatione, quoniam redigit substantiam ad nihilum, sicut creatio substantiam producit ex nihilo: quia scilicet talis annihilatio, si admitteretur, fieret tantùm moraliter, non physicè. Dixi, *si admitteretur*; quia negat Scotus panem annihilari in Eucharistia.

Obijcies 2. per potentiam D. potest Angelus producere Angelum sibi similem; sed protunc illum crearet, quandoquidem nihil subiecti præsupponeretur: ergo creatio potest diuinitus competere creaturæ. *Respondent* aliqui Angelum in tali suppositione alium sibi similem producere ex sua propria entitate veluti ex quodam semine spirituali; sed quia hoc difficilè intelligi potest, ideò verissimilius responderi debet talem Angelum non posse recipere virtutem producendi sibi simile, qualis conceditur alijs viuentibus corporeis, quæ habent materiam ex qua possint educere effectus sibi similes. Ratio autem, cur non posset Angelus alium producere, est, quia limitatur potentia creaturæ ad producendum ex subiecto, vnde quia Angelus non haberet subiectum, ex quo alium Angelum produceret: proinde nequidem diuinitus talem producere posset. Ratio autem cur non possit Angelus talem potentiam productiuam ex nihilo recipere, iam antea à nobis allegata est; quia scilicet talis virtus est infinita, cuius nulla creatura est capax.

Obijcies 3. omnis creatura est in potentia obedientiali respectu Dei, à quo recipere potest quamcumq; virtutem: ergo & potentiam creandi, cuius proinde erit causa instrumentalis. *Resp.* 1. Quòd potentia obedientialis creaturæ non sit actiua, sed purè passiua; vnde licèt Deus possit facere de creatura quidquid voluerit

non poteſt tamen illam eleuare ad creandum. *Reſp.* 2. Quòd potentia obedientialis non ſe extendat ad actiones, quæ repugnent alicui naturæ; ſed repugnat creaturæ, quòd creare valeat, ob finitatem creaturæ, & infinitatem creationis: ergo non obſtante potentia obedientiali, non poteſt Deus vti creatura, vt *Phyſicè* concurrat ad creationem. Quamuis enim Deus abſolutè valeat creare frigus, non tamen poteſt ipſum frigus producere per calorem, quia repugnat virtuti calefactiuæ quòd frigefaciat licèt Deus ad præſentiam caloris poſſit frigefacere ſe ſolo. Sic pariter licèt Deus poſſit creare quamcumque creaturam ſe ſolo ad præſentiam creaturæ, non tamen poteſt creare aliquid per concurſum *Phyſicum* creaturæ; quia repugnat naturæ eius, quòd creare valeat, ratione diſtantiæ infinitæ inter ens & non ens. *Si quis* inſtet *dicens* creaturam producere dependenter à ſubiecto per virtutem propriam: proindeque, quando eleuata eſt à Deo, illam poſſe producere independenter à ſubiecto: quia plus poteſt à Deo eleuata, quàm non eleuata: Negari debet conſequentia, ob impoſſibilitatem creationis; & ad rationem dicendum eſt, quòd plus poſſit eleuata in eodem ordine operandi in ſubiecto, non in diuerſo ordine operandi ad quem repugnantiam habeat.

QVÆSTIO IV.

De Cauſa prima Efficiente, vt eſt Conſeruans.

NEdum Deus conſiderari debet vt producens ſiue per creationem, ſiue per generationem, producendo ſcilicet ex nihilo, vel ex ſubiecto præexiſtenti; ſed etiam conſiderari poteſt vt conſeruans, quandoquidem *non longè eſt ab vnoquoque noſtrum, in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus*. Act. 17. Ita quod ſi eſſe noſtrum conſeruare deſineret, illicò reduceremur in nihilum, ſicut extracti ſumus de nihilo per potentiam illius, qui *vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt*. Deus, inquam, eſt aſſiduus conſeruator noſter, non tantùm *occaſionaliter*, ſicut nauta dicitur cauſa conſeruatiua nauis. Nec tantùm *remotè*, quatenus impedit, nè deſtruamur ab agentibus contrarijs; Sed & *propriè* in quantùm continuò influit in effectus ſuos, & illos

ita

ita manu tenet & sustentat, vt cessante influentia illius, omnia quæ facta sunt perirent illico. Hic de causa prima agere contendimus, vt efficienter conseruat suas productiones; & de illa tribus conclusionibus dicere, *quod Deus omnia conseruet*, *quod idem sit influxus creatiuus & conseruatiuus*, *& quid sint conseruatio actiua & passiua*.

CONCLVSIO PRIMA.

DEus ita conseruat omnes & singulas creaturas, vt absque illius entis supremi conseruatione, omnia reducerentur in nihilum. Sic Scotus *in 1. dist. 2. quæst. 2. & in 4. dist. 1. quæst. 1.* cum omnibus catholicis, contra quosdam ab Aug. relatos 5. *de Gen. ad litt. cap. 20.* quorum meminit Doctor noster in *2. dist. 37. quæst. vn.* qui dicebant Deum condidisse reuerà mundum & omnes creaturas, ipsisque præbuisse agendi virtutem, sed postea illas taliter reliquisse, vt per potentiam sibi elargitam agerent, nihilque ampliùs circa ipsas operari, nec easdem conseruare. Hoc est contra plurimos textus sacræ scripturæ, Sap. 11. *quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset conseruaretur?* Isaiæ 40. *qui appendit vniuersum orbem tribus digitis*. Hebr. 11. *portans omnia verbo virtutis sua*. Ob hoc Patres scribunt Deum esse omnia tenentem, quem græci vocant παντοκράτορα ex Aug. *tract. 106. in Ioan.* Qui idem 6. *de Gen. ad litt. cap. 3.* ait; *si virtus Dei ab eis quæ creata sunt aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret*.

Probatur Conclusio. Quia Deus inuoluit omnem perfectionem simpliciter id est, quę nullam imperfectionem importat; quia est ens infinitum in omni genere; sed dependentia creaturarum à conseruante denotat perfectionem simplicem; nempè ius supremum in ipsas: ergo creaturæ dependent à Deo in conseruari, & Deus dici debet conseruare illas. *Deinde* quęlibet creatura plus dependet à Deo, quàm vllæ creaturæ dependeant ab alijs; sed reperiuntur creaturæ, quæ ab alijs dependent *in fieri & in conseruari*, vt lumen à sole, visio ab oculo, & accidentia à subiectis: ergo multò magis creatura pēdere debet à Deo *in conseruari*. *Tandem* ratio cur Deus possit creaturam annihilare,

est quia ab illa suum influxum conseruatiuum substrahere potest: ergo omnis creatura pendet ab illo D. influxu conseruante; vnde Aug. *lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 12.* ait *mundum non esse similem structuræ domus, quæ stare potest cessante fabricatore*. His potest addi dictum *D. Bon. in 1. dist. 37. art. 1.* Vbi ad confirmationem veritatis prædictæ comparat creaturam corpori ponderoso in aere existenti, cui si non supponatur manus sustentantis, illud mox cadit deorsùm; sic omnes creaturæ euanescerent, ac in suum nihil reuerterentur, si vel momento quidem influxus Dei conseruatiuus abstraheretur illis.

Obijcies. Quędam sunt creaturæ, quæ perire nequeunt, vt Angeli, animæ rationales, & corpora cœlestia, quæ omnia corruptioni non subiacent: ergo omnes creaturæ non conseruantur à Deo in suo *esse*. *Resp.* Quod Angelus & anima non possint corrumpi ab *intrinseco*, quia non constant materia, quæ est principium internum corruptionis; possunt tamen annihilari à Deo, si illis suum influxum conseruantem denegaret: vnde dicit D. Greg. ib. Mou. cap. 18. *Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam author omnium manu regiminis retineret.*

CONCLVSIO SECVNDA.

INfluxus, *quo Deus conseruat creaturas, est illemet, quo ipsas anteà produxit*. Sicut enim se habet sol respectu luminis ab illo exeuntis ad illuminandum aerem, sic se habet Deus ad creaturas productas à se, sed eadem actione, qua sol lumen producit, eadem istud lumen conseruat, cùm vtraque sit illuminatiua: ergo influxus & actio qua Deus creaturas conseruat est eadem cum illa, per quam antea illas creauit. Ob hoc dicitur communiter, *Conseruationem nihil aliud esse præter continuatam creationem*; ista quòd differant tantùm per instantia temporis, quæ connotant: quatenus, si illa actio Dei comparetur ad primum instans quo existit creatura, dicatur *creatio*. Si comparetur autem ad alias temporis partes in quibus creaturæ durant, dicatur *conseruatio*.

Obijcies. Realiter possunt separari creatio & conseruatio, quia Deus potest hac die creare vnam animam,

mam, quam annihilabit in eodem die, & sic esset creatio sine conseruatione: ergo influxus creatiuus & conseruatiuus non sunt vnum & idem. *Resp.* Non posse dari aliquod instans, in quo Deus creet & non conseruet animam, aliàs simul existeret, quia crearetur, & non existeret, quia non conseruaretur: potest tamen Deus creare animam pro aliquo tempore, quam non conseruabit pro alio, sed propterea non est creatio sine conseruatione, quia nullum est tempus in quo Deus creet & non conseruet, aut conseruet absque eo quod creet.

CONCLVSIO TERTIA.

QVandoquidem idem est influxus Dei creantis & conseruantis, ideo sicut creatio actiua nihil est aliud, quam volitio Dei efficax, quà vult creaturas produci ex nihilo pro tali differentia temporis: sic etiam conseruatio actiua nihil aliud est præter volitionem Dei efficacem, quo à vult conseruare creaturas in suo esse per tale vel tale tempus. Eodem pariter modo ratiocinandum est de conseruatione passiua creaturæ, ac de creatione passiua eiusdem; quòd scilicet, sicut creatio passiua est ipsamet creatura actu existens & realiter dependens à Deo creante, sic *conseruatio passiua* nihil aliud est præter creaturam ipsam actu perseuerantem in sua entitate, & dependentem realiter ab ipso Deo, vt est conseruans & manu tenens; iuxta dictum Sapientis cap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?*

Si quæratur ergo, in quo consistat dependentia creaturæ à Deo creante & conseruante, imò & operante. *Responderi* debet quòd consistat formaliter in creatione realiter indistincta à creatura, vt innuit Scotus *In* 2. *dist.* 1. *quæst.* 4. Quòd *dependentia sit relatio creaturæ ad Deum*, hoc clarum est. Quia quod formaliter ordinat vnum ad aliud est relatio; sed omnis dependentia ordinat id quod dependet ad id à quo dependet: ergo dependentia est formaliter relatio. *Quod etiam illa relatio sit indistincta realiter à creatura*, colligitur ex hoc quòd non possit intelligi creaturam existere, quin illico intelligatur ipsam dependere à principio, à quo creata & conseruata est.

Si quis *dicat* dependentiam non posse censeri relationem, quia fundamentum est priùs relatione; nihil

verò est in creatura, quod præcedat illius dependentiam: quia illud esset à Deo independens. *Resp.* Quòd creaturæ entitas prior sit illius dependentià, quoniam ex illa oritur; quia tamen illa entitas distinguitur tantùm formaliter à dependentia, ideo diximus in responsione, quòd dependentia consistat in relatione indistincta realiter à creatura. Quando autem dicitur *quòd relatio realiter distinguatur à fundamento*; hoc verum est de relationibus categoricis, non verò de transcendentalibus, maximè de illis quæ terminantur ad Deum; quales sunt relationes creationis & conseruationis passiuæ.

QVÆSTIO V.

De Causa Prima Efficiente vt est ad omnes actiones Creaturarum concurrens.

CAtholicorum nullus negauit aliquando Deum concurrere ad omnes & singulas actiones creaturarum; cùm hoc expresse habeatur in S. Scriptura Isaiæ 26. *omnia opera nostra operatus es Domine*. Iob 10. *manus tua Domine fecerunt me*. Psal. 146. *Qui producit in montibus fœnum*. Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur & ego operor*. Ad Rom. 1. *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Hoc tamen non impedit quin Aureolus & Durandus famosissimi doctores, ille Cardinalis Eminentissimus, & ille sacri palatij Magister & Episcopus, sustinuerint Deum concurrere tantùm mediatè ad actiones agentium creatorum, quatenus in eorum productione omnem virtutem agendi illis indiderit, per quam possent operari pro libito absque nouo influxu Dei: quod euidenter contradicit Augustino lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 20. dicenti. *Sunt qui arbitrantur tantummodò mundum ipsum factum à Deo, & cætera iam fieri ab ipso mundo, sic vt ille ordinauit & iussit, Deum autem nihil operari..... contra quos profertur illa sententia Domini, Pater meus vsque nunc operatur..... non solum magna atque præcipua, verùm etiam ista terrena & extrema*. Quibus verbis exploditur Aureoli & Durandi sententia. In hac autem quæstione tria examinabuntur, *an scilicet Deus actu concurrat immediatè cum causis secundis, an concursus Dei sit Physicè determinans, & in quo consistat ille concursus*.

CON-

CONCLVSIO PRIMA.

D*Eus concurrit immediatè cum agentibus secundis ad omnes omnino operationes*. Ita quòd si suum concursum positiuum illi subtraheret, nullum agens naturale aut liberum quidquam posset operari, imò tota machina mundi & causarum collectio maneret tanquã immobile horologium. Sic Scotus *in 2. dist.* 37. *quæst.* 2. D. Thomas 1. *p. quæst.* 106. *art.* 5. Cum Doctoribus Seraphico, Irrefragabili, Illuminato, & Nominalium Principe.

Ratio assertionis est quòd *in agentibus essentialiter subordinatis inferius non agat independenter à superiore* ex Arist. 8. *Phys. tex.* 41. Sed Deus est prima causa & primum agens, cui essentialiter subordinantur agentia secunda; ergo debet ad illorum actiones concurrere. Nec, sufficit Durando respondere creaturas dependere quidem à Deo quoad modum essendi & quoad modum operandi *mediatè*, quia ipse Deus dedit illis *esse* & virtutem generalem agendi conformiter suæ naturæ, licèt non dependeant ab illo quoad modum agendi *immediatè*, quasi indigeant nouo influxu. Hoc, inquam, *responderi* non debet quia *modus agendi sequitur modum essendi*; & eo modo creaturæ agunt, quo sunt; sed sunt dependenter immediatè à Deo, à quo solo conseruantur: ergo operantur dependenter immediatè ab ipso Deo. Si dicat *Durandus* formas materiales dependere à materia, attamen actiones illarum non dependere ab illa; proindeque actiones creaturarum non debere dici dependere à Deo, licèt existentia illarum à Deo dependeat. *Respondebitur* consequentiam Durandi esse falsam; quia materia in qua existunt formæ non est actiua, & sic actiones earum non possunt esse à materia; Deus autem est actiuus: sicque non mirum est, si nedum det *esse*, sed etiam *operari* immediatum agentibus secundis. Aliter enim non esset primum agens, cùm in actiones agentium particularium non influeret; nec prima & vniuersalis causa, cui cæteræ causæ & effectus essentialiter subordinarentur, si concursum immediatum non haberet in illis: nam sublato ipso per impossibile, & remanentibus agentibus particularibus non minùs ista agerent sine illo; quod est absurdum.

Con-

Confirmatur Conclusio. Si Deus immediatè non concureret ad omnes effectus causarum secundarum, non posset impedire illarum actiones, quando sufficienter applicantur ad agendum, cùm hoc fiat tantùm per subtractionem sui concursus; sed hoc fecit Deus, quando in fornace Babylonica innocentes ab igne illæsi sunt: ergo non potest intelligi quomodo talis ignis non combureret, nisi quia Deus suum concursum illi denegabat; quod euidenter denotat, Deum concurrere *immediatè* ad actiones causarum secundarum. *Deinde* maius est dominium Dei super causas secundas, si ab illo dependeant in essendo & in operando immediatè, quàm si dependeant à Deo tantùm in essendo, ita quòd post adeptam existentiam & virtutem generalem operandi possent ex se ipsis agere sine nouo & speciali influxu D. Sed dominium Dei super creaturas debet intelligi esse perfectissimum: ergo creaturæ dependent à Deo, tum in suo *esse*, tum in suo *conseruari*, tum in suis actionibus, ad quas omnes immediatè concurrit. *Tandem* illi effectus, qui non dependerent à Deo *immediatè*, possent gloriari in se ipsis, & de Deo dicere, *ipse non fecit nos*, sicut nec auus nepotem, nec arbor destructa fructus ortos à recenti arbore, quæ esset progenita ex semine prioris; sed omnis gloriatio auferenda est à creatura; iuxta dictum D. Pauli 1. ad Cor. 4. *quid habes quod non accepisti*; & omnibus modis creatura debet dici à Deo dependere: ergo ipsa debet ab illo habere potentiam agendi, & *immediatam* actionem.

Obijcies 1. Si Deus concurreret ad omnes actiones, concurreret ad peccatum; cuius diceretur causa. *Resp.* Deum concurrere ad peccatum vt est causa vniuersalis *Physica*; quæ debet ex ordinatione suæ voluntatis dare concursum suum, quotiescunque videt causam secundam ad agendum dispositam, concedo: concurrit ad peccatum, vt causa particularis & *moralis*, cui deberet imputari culpabiliter talis actio, nego. Quando enim Deus concurrit cum homine committente adulterium, talis actio est culpabilis & peccaminosa respectu hominis; quia infringit legem quâ adulterium sibi prohibetur: non verò est culpabilis respectu Dei, imò est iusta; quia iustum est quòd Deus sequatur determinationem suæ voluntatis, quæ statuit ab æterno concurrere in tempore ad omnes creaturarum actiones, siue necessarias, siue liberas. *Quando autem*

tem dicitur Deum esse causam peccati ; responderi debet hoc esse verum materialiter , quia est causa actionis quæ est peccatum respectu hominis ; non verò est causa peccati *formaliter* , quia non est causa actionis , quæ sit peccatum respectu Dei. Alij respondent Deum concurrere ad entitatem peccati , sed non ad malitiam & deformitatem eius; sicut anima concurrens cum tibia curua, concurrit quidem ad motum tibiæ, non verò ad claudicationem eius;quæ tota procedit à curuitate tibiæ: vt ait Scotus in 2.*dist.37.quæst.*2.videatur instantia quæ habetur in obiectione sequenti.

Ostenditur hęc responsio per exemplificationem. Si Deus præcepisset Euæ vt manducaret de ligno vitę, & prohibuisset Adamo nè manducaret, pro tunc Adamus mandueando peccasset , & non peccasset Eua manducando , esto posset dici commisisse actionem materialiter peccaminosam ; quia fecisset id quod esset peccaminosum respectu Adami : non verò commisisset actionem peceaminosam formaliter, quia talis actio respectu sui non fuisset peccaminosa . Sic in proposito dicunt Theologi *Deum concurrere ad materiale peccati , non ad formale* ; quia licèt concurrat ad actionem ; quæ est peccaminosa respectu hominis, non tamen concurrit ad actionem, quæ sit peccaminosa Deo , qui benefacit concurrendo ad actionem quamlibet ; quia sequitur regulam suæ voluntatis,quæ ab æterno decreuit concurrere ad omnes actiones creaturarum. Si dicatur quòd Deus debeat denegare suum concursum hominibus quos videt malè operaturos , aliàs diceretur peccare ; quandoquidem ille qui potest impedire peccatum alterius , & non impedit , censetur peccare . *Resp.* Deum ad talem denegationem concursus non teneri , imò suauitas prouidentiæ illius dictat illi , vt suum concursum præbeat creaturæ , quoties illam videt dispositam ad agendum . Cum autem dicunt , *illum peccare , qui peccatum alterius non impedit* ; hoc verum est de causa *particulari* , quæ ex charitate malum proximi impedire debet ; falsum verò de causa *vniuersali* , quæ tenetur non impedire peccatum ; quia se obligauit sponte ad concurrendum cuilibet actioni : & proinde etiam ad actionem materialiter peccaminosam.

Obijcies 2. Dum homo peccat , non aliâ ratione est causa malitiæ peccati , nisi quia causat entitatem ma-

materialem actionis cui malitia annexa est ; sed Deus concursu suo eandem entitatem efficeret : ergo esset & causa peccati, si ad entitatem actionis peccaminosæ concurreret immediatè. *Resp.* Negando maiorem non enim homo est causa peccati, quia producit entitatem materialem ; sed quia per illum stat, nè producatur honestas & rectitudo actionis, quæ deberet esse conformis voluntati D. non sic autem de Deo, qui ex parte sua paratissimus est concurrere ad rectitudinem actionis : & qui proinde non debet dici peccati causa. Quotiescumque enim aliqua forma à duobus principijs producenda, non producitur ; illud principium, per quod non stat, quo minus forma producatur, non debet dici causa priuationis eius, sed illud tantùm per quod stat, quominus illa forma producatur ; sed Deus qui decreuit concurrere cum omnibus creaturis est semper paratus ad productionem rectitudinis in actione facienda, & solus homo est ille, qui impedit rectitudinem actionis illius ; sese determinando ad faciendum id quod legi D. aduersatur : ergo de solo homine dicendum est, quòd sit causa peccati, non autem Deus. *Quòd si obijciatur* vulgare istud effatum, *quidquid est causa causæ est causa causati* : hoc verum est, quando causatum est quid positiuum naturaliter & necessariò sequens ad causam ; peccatum autem est quid priuatiuum, quod in sua formalitate nihil aliud dicit, quàm *priuationem rectitudinis.* Hoc idem respondendum est ad istud, *qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse*. Ineptè ergo propter hanc duplicem rationem negauit Durandus Deum concurrere *immediatè* ad actiones creaturarum.

Obijcies 3. Si ex textibus Scripturæ allatis in annotatione deberet colligi, *Deum immediatè concurrere ad omnes & singulas actiones*, sequeretur opinionem Aureuli & Durandi esse hæreticam ; quia contradiceret Scripturæ : quod tamen nullus amodò dixerit. *Resp.* quòd licèt Suares in Metaphysica asserat horum Doctorum sententiam esse hæreticam ; hoc tamen non sit conforme Scoto, nec alijs, qui dicunt præalegatos Scripturæ contextus posse explicari de concursu Dei mediato ; ita quòd si Deus dicatur *operari omnia in omnibus*, *producere in montibus fœnum*, *sine ipso factum est nihil*, & similia : hoc ideò dicatur quia Deus dedit omnibus virtutem producendi, montibus fœnum,

num, arboribus fructum, & terræ herbas, & segetes. Licet autem illa Doctorum opinio non sit hæretica, quia non videmus eam damnari expressè à Scriptura, quę explicari potest, nec à sacro sanctæ Ecclesiæ determinationibus: nihilominum ea quam sequimus maiorem habere videtur conformitatem cum Scriptura, Patribus, & ratione, vti videri potest in decursu conclusionis; vnde dicitur communiter ab authoribus, quòd mens talium Doctorum *erronea* videatur. Hoc autem asseruit Durandus non valens conciliare sanctitatem Dei cum concursu eius ad omnes actiones creaturarum, pręuidens scilicet quòd si concurreret ad quoscumque actus, concurreret proinde cum voluntate humana ad peccatum, & sic esset causa peccati, quod repugnat sanctitati D. vnde asseruit creaturas pendere quidem à Deo, quoad motum essendi, & operandi *mediatè*; illis præbendo virtutem operandi generalem, non verò quoad modum operandi *immediatè*; qui totus erat à sola creatura, vt nullo modo à Deo, nec secundùm entitatem materialem, nec formalem; ex quo colligebat Deum nullo modo esse causam peccati.

Obiic. 4. Deus concurrendo ad actiones creaturarum vel produceret totum effectum, & protunc, illi frustra adderetur creatura; vel produceret vnam partem effectus, & creatura aliam, & tunc non concurreret Deus ad illam partem quam operaretur creatura: ergo dici non debet, quòd Deus concurrat in omnibus: *Resp.* Deum & creaturam producere totum effectum inadęquatè, quemlibet nimirum in genere suo. Deum videlicet in ratione causę *vniuersalis*, & creaturam in ordine causæ *particularis*. Si autem Deus non producat adæquatè totum effectum, hoc non fit ex imperfectione Dei agentis sed quia decreuit vti causa secunda. Si etiam creatura exigat Deum concurrentem, hoc non impedit quin virtus agendi creaturæ sit perfecta in suo genere; nempè in genere causæ secundæ, quæ habet virtutem completam agendi, supposito concursu causæ primę. *Dices*, Si Deus concurreret ad productionem effectus, vel Deus produceret effectum per eandem *numero* actionem cum agente naturali, vel per diuersam; sed non eadem actione concurrit, quia non est eadem *numero* virtus in Deo, & in creatura; nec etiam diuersa, quia protunc Deus non concurreret ad actionem illam,

crea-

creaturæ. *Responsio* dabitur ad hanc obiectionem in conclusione tertia.

CONCLVSIO SECVNDA.

Concursus Dei non determinat physicè causas secundas. Sic Doctor noster *in 4. dist. 1. quæst. 1. & dist. 12. quæst. 3.* contra Thomistas existimantes causam primam ita præmouere, & prædeterminare secundam, vt absque illa pręmotione agere nequeat; siue Deus præmoueat agens creatum per aliquam qualitatem realem, & physicam in ipso receptam per quam redditur ad operandum potens, vel impotens, si illam non habeat, vt voluerunt Bannes, Aluares, & alij quidam: siue nihil reale præuium ponatur in creatura, sed tantum quid extrinsecum, quod est prædeterminatio D. voluntatis pręmouens physicè causam secundam ad agendum.

Probatur conclusio nostra ex hoc, quod illa *prædeterminatio physica*, siue consistat in qualitate præuia, siue in sula actione D. voluntatis prædeterminantis, semper auferat libertatem voluntatis humanæ, quę in hoc consistit quòd positis omnibus ad agendum necessarijs voluntas possit agere vel non agere; sed posita pręuia prædeterminatione, voluntas non posset non operari id ad quod prædeterminaretur, nec operari id ad quod non determinaretur, quia in his consistit prædeterminatio: ergo concursus Dei non determinat physicè causas secundas, siue sint liberæ, siue sint naturale. *Non determinat*, inquam, *causas secundas liberas*, quia non manerent ampliùs *libera*, vt mox probauimus. *Nec* etiam *prædeterminat causas naturales*, quia causa secunda habet in suo genere, & in suo ordine virtutem sufficientem operandi effectus, ad quos ex natura sua determinata est, ver. gr. sol ad illuminandum, ignis ad comburendum, grauia ad tendendum deorsum, & leuia ad sursum.

Obijcies ex Doctore nostro: causa prima agit priùs natura quam secunda, vnde Arist. 8. *Phys, text.* 33. asserit *secundum mouens prius moueri à primo, quàm alia moueat* sed non potest causa prima priùs causare, nisi prædeterminet secundam motione sua: ergo concursus Dei est prædeterminans. *Resp.* Ad Arist. Primum mouens priùs mouere secundum quàm agat, illi dando virtutem

tutem agendi, & ipsum applicando ad passum concursu *simultaneo*, non verò concursu *prædeterminante physicè*. Quantùm ad Scotum, ipse vult tantùm, causam primam priùs agere naturà, quàm secunda agat, prioritate dignitatis, & perfectionis, quia est independens in essendo, & in operando; non verò proprietate operationis, quia non præcurrit creaturam agentem, sed cum ea concurrit: nullum enim intelligitur instans, in quo causa prima agat non agente secunda. Concedimus quidem decretum Concursus D. esse antecedens ad actionem creaturæ: actualis tamen concursus nequidem naturà procedit creaturæ actionem. Quod Doctor noster non velit determinationem D. voluntatis esse naturà priorem determinatione agentium inferiorum, probatur sufficienter ex hoc quòd dicit *in 2. dist. 37. quæst. 2.* vbi expressè negat causarum efficientium subordinatarum vnam prius naturà causare altera: vnde ait, *non est ordo in causis, vt causant effectum communem; sed simul causant. Sicut enim loquendo de diuersis generibus causarum, non priùs materia materiat, quàm efficiens efficiat; sic in eodem genere causa, causa subordinata licèt habeant ordinem secundùm perfectiùs, & imperfectiùs causare, non tamen habent prioritatem naturæ; quasi vna causet in vno instanti naturæ effectum communem, quam alia non causet in eodem instanti*. Ex his ergo patet quòd si Scotus dicat in ordine causarum efficientium primam prius naturà causare quàm secundam; hoc debeat intelligi de prioritate perfectionis, non de prioritate operationis, & causalitatis.

Obijcies 2. Causæ naturales prædeterminantur à Deo in actionibus suis, sicut, & voluntas creata, quæ cùm sit ex sua natura differens, à Deo determinatur vt agat; sicuti videtur insinuare Doctor subtilis *in 4. dist. 48. quæst.* 2. dicens voluntatem posse prædeterminari àb obiecto beatifico. *Resp.* Negando Ant. causæ enim naturales non prædeterminantur à prima, cùm Dei concursus non sit *prauius*, sed tantùm *simultaneus*, identificatus realiter cum actione causæ secundæ. Idem dicendum est de voluntate nostra, quæ non determinatur à Deo per præmotionem *præuiam, & antecedentem*; quia talis præmotio tolleret libertatem illius, vt probatum est. Quantùm ad Doctorem nostrum, euidentissimum est illum semper toto conatu hanc præmotio

nem-

nem reprobasse; cùm nullus vnquam tam acriter pugnauerit pro libertate voluntatis. Quòd si dicat voluntatem beatorum aliqualiter prędeterminari ab obiecto beatifico: intelligendus est de pręmotione morali, & obiectiua, cuius vis tanta est in obiecto beatifico, vt voluntatem fortiùs alliciat, quàm cætera obiecta creata. *An autem debeat admitti prædeterminatio illa moralis in actionibus moralibus, quas eliciunt viatores*; ad hoc respondimus in theologia maiori, tractatu de Gratia pag. 371.

Obijcies 3. Vel Deus prædeterminat voluntatem, vel illam expectat; sed illam non expectat ex Can. 4. Concilij Arausicani 2. *Si quis contendit Deum expectare voluntatem, resistit Spiritui S.* ergo illam prędeterminat, iuxta id quod habetur Iob. 12. *qui immutat cor principum*. Prouerb. 21. *Cor regis in manu Dei, & quocunque voluerit vertet illud*. Philipp. 2. *Qui operatur in nobis velle, & perficere*. Resp. Deum non expectare voluntatem nostram, sed potiùs ipsum esse qui eam anticipat & præuenit per inspirationem, quæ à nostra voluntate non dependet; supposita tamen illa inspiratione, & veniente gratia expectat aliquo modo consensum hominis vt cooperetur gratiæ: iuxta id quod habetur Apocalyp. 3. *ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit intrabo*. Si autem Concilium dicat *Deum non expectare voluntatem* Patres illius Concilij agebant contra Pelagianos dicentes Deum expectare consensum voluntatis creatæ per solas naturæ vires; quod hæresim sapit. Quantùm ad allegatos contextus, qui dicunt *Deum immutare cor hominis, & vertere illud quocumque voluerit*; hoc fit non per motionem prædeterminantem, sed per inspirationem suauiter allicientem. Si dicat Paulus, Deum *operari in nobis velle*; non propterea prædeterminat voluntatem: sed dicitur *operari velle*, quia dat principium supernaturale, quo velimus. Plura de his habentur in nostra Theologia loco præcitato.

CONCLVSIO TERTIA.

Concursus Dei cum causa secunda non consistit in prædeterminatione physica respectu actionum naturalium, vt probatum est in conclusione præcedenti: *nec in prædeterminatione morali, qua antecedenter ad actiones*

nes liberas voluntatem praemoueat ad agendum, vt praecitauimus ex Theologia; *sed consistit in causalitate simultanea causa prima cum secunda, ita quòd harum causarum qualibet totum effectum producat in suo genere, siue per concursum generalem pro actionibus naturalibus, siue per concursum specialem gratia pro supernaturalibus, & meritorijs*. Hęc veritas ex antedictis patet. Si enim negetur praedeterminatio *antecedens*, vt conseruetur libertas humanae voluntatis; remanet vt admittatur tantum concursus Dei *simultaneus*, seu concausalitas causę primę cum secunda. Cùm enim ratione subordinationis essentialis, quam habet causa secunda ad primam, ista non possit agere independenter ab illa, Deus qui praeuidet creaturam velle operari hoc vel illud, si fulciretur suo auxilio, praestò est creaturę, cui prębet suum concursum, seu suam concausalitatem; ita quòd actio procedat ab vtraque causa.

Si quaeratur autem *vtrùm concursus D. sit ipsamet creatura actio, prout dependet à causa prima, tam in fieri quam in conseruari*: Respondebitur affirmatiuè, iuxta mentem Scoti *in 4. dist. 1. quaest. 2.* Si enim actio creaturae esset alia *numero* ab actione Dei, vel Deus concurreret ad illam, vel non; quòd si concurreret ad illam, hoc esset per alium concursum, & postea per alium, & sic in infinitum: si verò ad illam actionem creaturae non concurreret, talis actio esset independens à Deo, contra id quod diximus multoties; *omnia entia creatà à Deo dependere, tum quoad esse, tum quoad operari*: ergo Deus, & creatura agunt eadem *numero* actione. Actio enim suam desumit vnitatem à termino; sed vnus est *numero* terminus, seu vnus effectus dependens à Deo, & à creatura: ergo erit vna, & eadem numero actio. Nec hoc debet videri absurdum, quia licèt vnus effectus non possit esse à pluribus causis totalibus non subordinatis; potest tamen esse à pluribus causis totalibus subordinatis: quoniam vna, & eadem numero sectio est ab homine, & à securi. Quando ergo dicitur, *quod duae causae habeant diuersas causalitatis, & actiones*; hoc verum est, quando non sunt *subordinatae*. Quod si Scotus alicubi videatur dicere actiones Dei, & creaturae esse diuersas respectu eiusdem effectus; debet intelligi Doctor de diuersitate desumpta ex parte principij, quod est extrinsecum actioni, cùm se teneat ex parte efficienti; est tamen vna,

ex

ex parte termini, à quo denominari debet actio. Si etiam *dicatur* quòd actio fit in agente, & quòd proinde sint duæ actiones; cùm sint duo supposita agentia, Deus scilicet, & creatura: antecedens verum est de actione *Metaphysica*, *& prædicamentali*; non verò de actione *Physica*, quæ ab agente prodiens recipitur in passo, nec in Deo subiectari potest, cùm illa sit contingens.

Quæres *vtrùm causa prima determinet secundam, vel secunda primam*. Resp *in genere* causam primam determinari à secunda; quando enim Deus videt causam secundam esse paratam vt agat, si Deus illi præbeat suum concursum, sine quo operari non potest ratione essentialis dependentiæ, quam habet creatura à Deo secundum *esse*, & secundùm *operari*, tunc Deus prębet illi suum concursum ex suauitate suæ prouidentiæ, per quam statuit adiuuare creaturas quotiescumque suo indigent auxilio, quod euidenter indicat causam secundam determinare primam. Quia autem triplex est indifferentia in causa secunda, nempè *quoad actum*, quatenus potest agere vel non agere; deinde *quoad specificationem actus*, in quantum potest elicere actionem huius vel illius speciei, iustitiæ scilicet vel prudentiæ respectu voluntatis: ac denique quoad *indiuiduationem*, *& singularitatem actus*, prout potest hunc vel illum actum producere hic, & nunc: Sic etiam triplex potest intelligi determinatio, quę tollit triplicem illam indifferentiam, nimirum determinatio quoad actum, quoad specificationem actus, & quoad indiuiduationem, & singularitatem actus.

Resp. Ergo in particulari quòd causa secunda possit dici determinare primam quoad actum simpliciter; quatenus Deus videns dispositionem quam habet creatura agendi, determinat dare illi concursum suum. *Quoad specificationem actus* similiter causa secunda eodem modo determinat primam, quatenus Deus videns quòd causa secunda se determinaret ad actionem talis vel talis speciei v. gr. sol ad productionem ranæ, si haberet suum concursum; tunc decernit concurrere cum illo. *Quoad indiuiduationem actus* denique idem potest asseuerari, quòd Deus videns ignem paratum ad comburendam stuppam sibi applicatam, si haberet concursum causæ primæ; tunc Deus se determinat ad concurrendum cum igne ad hanc *numero* combustionem. Quare autem ex pluribus combustionibus possibili-

bilibus hanc potiùs quàm illam producat ignis; Raconius existimat hoc procedere ex circumstantijs loci, temporis, materiæ, & similibus: Scotus verò *in 4. dist. 43. quæst. 3.* docet hanc determinationem oriri à causa prima, nempè à Deo, qui videns ignem determinatum vt producat ignem ex subiecta sibi materia, determinat quod ex innumeris ignibus possibilibus producat hunc potius quam alium; sed illa controuersia parùm vtilis videtur.

QVÆSTIO VI.

De Causa Secunda vt Principalis est.

IN præcedentibus examinatum est, quid dicendum sit de causa prima, vt est creans, vt est conseruans, & vt est concurrens cum agentibus creatis, nunc ordo doctrinæ postulat, quòd loquamur etiam de causa secunda sub triplici diuersa ratione; vt est *principalis*, vt est *instrumentalis*, & vt est *exemplaris*: quod fiet in triplici quæstione sequenti. Causa autem *principalis* est ea, quę agit virtute propria, sibi tamen communicata à Deo, à quo dependet omnis agendi virtus, & hoc modo arbor est causa principalis alterius arboris. quia virtus generatiua est propria arbori producenti, quamuis eam obtinuerit à causa prima, à qua omnia dependent in *esse*, & in *operari*. Causa *instrumentalis* verò est ea quæ agit virtute alterius; vnde non sibi operatur, sed alteri; sicut seruus non sibi laborat, sed domino: ob hoc penicillus pingens imaginem est causa *instrumentalis*, quia motio illius, quà imago delineatur, non est propria ipsi penicillo; sed tantùm dictori. In quæstione sequenti sermo erit de *instrumentali causa*, in ista autem agimus de *principali*; de qua tria possunt quæri, *an causa secunda habeat veram rationem causæ actiuæ, quomodo causa secunda substantiam, & accidens producat, & an causa secunda immediatè attingat effectum.*

CONCLVSIO PRIMA.

CAusa secunda est verè, & propriè actiua. Sic Scotus cum cæteris philosophis, qui defendunt causas secundas, siue spirituales, siue corporales, verè, & pro-

priè

priè operari. Contra Gabrielem Biel in 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *dubio* 3. & quosdam antiquorum philosophorum, quorum mentionem fecit Albertus Magnus 2. *Phys.* qui à causis secundis omnem efficientiam auferentes docebant res creatas nihil prorsus agere, sed Deum ad earum præsentiam operari; ita vt ignis in eorum sententia non combureret, sed Deus ipse ad præsentiam, & applicationem ignis materię combustibili: ita quòd actio attribueretur vel igni, vel aquæ, & similibus, tantummodo propter apparentiam externam. Carthesius non tollit quidem vim operatiuam, & virtutem agendi omnibus causis secundis, sed eam aufert à substantijs corporeis, dicens Deum aut aliquas substantias spirituales omnia efficere ad præsentiam corporum, quod videtur absurdum, & sensuum experientiæ repugnans. Opinio autem communis est ea, quam attulimus, causas secundas verè, & realiter esse actiuas, & producere effectus suos iuxta id quod habetur Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*: Deus autem non daret præceptum operandi rebus creatis, nisi haberent virtutem operatiuam, & sic res creatæ sunt verè, & propriè actiuæ, vnde mox sequitur præcepti exequutio, *& protulit terra herbam virentem, &c.* Idem habetur in nouo testameeto pluribus in locis, sed præsertim Luc. 6. & Math. 7. *arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor males fructus facit: igitur ex fructibus illorum cognoscetis eos.* Quod denotat euidenter creaturas esse verè actiuas, & *actu* operari; non verò Deum ad illarum præsentiam.

Probatur conclusio authoritate Arist. qui lib. huius cap. 2. docet expresse *solem, & hominem generare hominem*; quod dicere est *vtrumque operari*. Huic authoritati accedit experientia, per quam sensibiliter videtur causas secundas agere; cùm sol illuminet, ignis calefaciat, frigefaciat aqua, & sic de cęteris, quòd si hoc negaretur ab aliquo, proijciendus esset in ignem, donec fateretur ignem comburere, inquit Scotus *in* 1. *dist.* 39. Quantùm ad rationem conclusionis, hæc potest allegari; quòd *esse sit propter operari*, seu quòd *vnum quodque sit propter suam operationem*, plantæ videlicet ad florendum, arbor ad fructificandum, homo ad laborem, & res naturales ad operationes sibi connaturales eliciendas; sed nullus dubitat quin plura

entia

entia sint à Deo condita : ergo non possunt illis denegari operationes, cùm *esse sit propter operari* 1. *Ethic.* 7. *&* 2. *de cælo* 17. Tandem si nulla esset actio in entibus creatis, nullas homo exerceret liberas operationes laude vel vituperio dignas : nullaque ab hominibus haberi posset rerum naturalium scientia. Cùm enim res creatæ non innotescant nobis, nisi ex proprijs earum effectibus & operationibus, si res naturales non agerent, sed solus Deus ad earum præsentiam, nemo posset ex calefactione ignis cognoscere ignem esse calefactiuum ; quoniam si ignis per se non calefaceret, benè autem Deus ad præsentiam ignis, nullus posset colligere ignem esse productiuum caloris, quandoquidem calefactio non esset ab igne, cui non esset magis naturale calefacere, quàm frigefacere.

Obijcies ex 1. ad Cor. 12. *Deus operatur omnia in omnibus* : ergo creaturæ nihil agunt. *Resp.* Ex hoc contextu & similibus colligi tantùm, quòd Deus concurrat cum agentibus creatis ad omnes & singulas actiones illorum ; hoc tamen non excludit actionem illorum: quandoquidem vt causæ secundæ subordinatæ Deo producunt in suo ordine eosdem effectus, ad quos Deus concurrit. *Dices* perfectissimus agendi modus conuenit Deo ; sed perfectiùs est agere sine ope alterius, quàm exigere alienum auxilium : ergo melius est quòd Deus dicatur agere se solo ad præsentiam creaturæ. *Resp.* Quòd reuerà perfectissimus agendi modus possibilis debeat Deo attribui, non propterea tamen Deus solus agere debet, supposito quòd decreuerit in suis actionibus ad extra agere concomitanter cum creaturis : hoc enim non facit Deus ex indigentia & debilitate virtutis suæ, sed tantùm ex decreto D. voluntatis, quæ statuit non agere se sola, sed vti creaturis in actionibus ad extra. Licèt enim Deus posset illuminare sine sole, calefacere sine igne, & frigefacere sine aqua, sicut se solo produxit ex nihilo cœlum & terram ; attamen quia produxit creaturas vt operarentur, ideo per illas & cum illis agit, sicut & illæ operantur cum Deo.

Quando autem *dicimus creaturas esse actiuas*, per hoc intendimus dicere quòd habeant rationem causæ *principalis* respectu effectuum quos producunt. Causa enim principalis ea est quæ concurrit ad productionem effectus, per virtutem sibi innatam ; sed ignis

producit ignem & homo hominem per virtutem sibi inditam à natura : ergo causa secunda debet dici causa principalis & non instrumentalis tantùm. Quòd si creaturæ dicantur instrumenta Dei; hoc debet intelligi respectu actionum naturæ vires superantium, ad quarum productionem eleuantur à Deo, vt instrumenta, sicuti patet de sacramentis, quæ dicuntur causæ *instrumentales* gratiæ, sicut & sancti homines qui dicuntur causæ *instrumentales* miraculorum, quæ per illos producit Deus, *qui facit mirabilia solus*.

CONCLVSIO SECVNDA.

QVantùm ad secundam difficultatem, quæ est de principio productiuo substantiæ & accidentium multiplex est doctorum opinio. Quoniam Aresius apud Poncium nostrum contendit *Substantias de nouo productas à solo Deo ducere* ortum. Auicenna vult *eas produci ab intelligentijs separatis, quæcumque sint*. Ragusa existimat *eas produci à solis substantijs cœlestibus*. Pereyra existimat *substantiam produci, non ab alia substantia, sed ab accidenti, tanquam à causa principali*. D. Thomas 1. *p. quæst.* 34. *art.* 3. docet *substantiam sublunarem dici quidem causam principalem productiuam alterius substantiæ sublunaris, non tamen attingere immediatè productionem illius; sed tantùm mediantibus accidentibus, quæ agunt in virtute substantiæ*. Suares tenet *substantiam sublunarem attingere immediatè productionem substantiæ*, sed *accidentia eam similiter attingere æque immediatè, sicut eam attingit substantiam*. Scotus denique *in* 1. *dist.* 37. *&* *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. probat *solam substantiam immediatè attingere productionem nouæ substantiæ, quam non attingunt accidentia, nisi dispositiuè*; ita quòd accidentia substantiæ producentis præparent quidem subiectum ad receptionem formæ nouæ: quando tamen sic præparatum est subiectum, vt recipiat nouam formam; tunc substantia agentis introducit formam substantialem in *passum*: vnde dicit Doctor noster, & nos cum illo, *quod sola substantia immediatè producat substantiam*, & proinde dicitur *causa principalis substantiæ*; vbi accidentia sunt tantùm causæ *dispositiuæ* & *instrumentales*.

Quòd *sola substantia immediatè producat substantiam* probatur. Quia *operari sequitur esse*, vt principium es-

sendi sit etiam principium operandi ; sed forma substantialis est principium *quo* essendi : ergo eadem forma substantialis est principium operandi, & sic sola substantia producit immediatè substantiam . *Deinde* quod producit aliud debet illud continere *formaliter* vel *eminenter*; sed accidens non præcontinet substantiam formaliter, quia accidens esset substantia, nec etiam eminenter, quia accidens est imperfectius substantiâ, & nullum imperfectius potest continere perfectius : ergo accidens non potest attingere *immediatè* substantiæ productionem . *Tandem* virtus principalis agendi est id secundùm quod agens sibi assimilat effectum, cùm dicatur communiter *omnes agens formaliter vt agens continere & sibi assimilare effectum*; sed agens substantiale sibi assimilat effectum substantialem secundùm formam substantialem, non verò secundùm formas accidentales, vt patet de sole producente ranas & metalla, & de patre producente filium sibi similem in natura, & non in accidentibus : ergo substantia est virtus principalis agendi, seu est principium *quo* producitur effectus substantialis.

Obijcies ex Arist. 2. *de anima text.* 5. calor naturalis est id quo anima agit ; sed calor naturalis est accidens: ergo accidens producit substantiam ex alimento quod digeritur. *Resp.* Distinguendo Philosophum: calor est id quo anima agit : *dispositiuè*, concedo : *formaliter* & *immediate*, nego : calor, inquam : est instrumentum dispositiuum, quia alterat alimenta, vt cùm plenè alterata fuerunt, substantia hominis manducantis conuertat alimenta in se ipsam : ita quòd, vt inquit Arist. præcitatus, in nutritione sint duę actiones, quarum vna est *alteratio prævia*, quæ fit à calore naturali, alia verò est *productio substantiæ*, & istius principium est anima . Non negamus ergo quin accidentia concurrant ad productionem substantię ; sed hoc fit tantùm *dispositiuè*, quatenus præparant subiectum per contrariorum accidentium expulsionem : non verò *effectiuè* & *formaliter*, quasi ipsa accidentia substantiam attingant . Licèt enim calor ignis disponat lignum vt formam ignis suscipiat, expellendo ab eo humidum & frigidum ; non tamen ille calor introducit formam substantialem ignis, sed est ipsamet forma substantialis ignis generantis, quæ immediatè introducit formam substantialem ignis in lignum dispositum ad illam.

Quòd si contra conclusionem afferatur: quòd radij solares, qui sunt accidentia, collecti in speculo producant ignem in materia combustibili, appropinquata; & quòd ex motu & collisione duorum lapidum producatur similiter ignis, qui motus est accidens: Ad hæc omnia afferri debet præmemorata distinctio, quòd radij solares & motus lapidum producant ignem *dispositiuè*, qui effectiuè & formaliter generatur à forma substantiali solis & lapidum. *Si dicatur* similiter *quòd in sacramento Eucharistiæ accidentia vini conuertant guttam aquæ in vinum de nouo productum in calice*: Responderi potest in hoc casu non accidentia vini conuertere illam aquam in vinum, sed *Deum* esse, qui post alterationem & dispositionem aquæ per accidentia vini introducit formam substantialem vini. Nec hoc mirum videri debet aduersarijs, quòd recurratur ad potentiam Dei; quandoquidem ipsimet negantes esse plures formas substantiales in homine, dicunt quòd quando desinit forma substantialis hominis & succedit cadaueris forma, ista forma cadaueris introducatur à Deo. Non mirentur ergo, inquit Scotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. si Deus author & rector naturæ suppleat defectus causarum naturalium, & producat ex se formas substantiales in subiecto disposito, quas accidentia non possunt producere, quandoquidem ipsemet Deus reperiens corpus hominis *perfectè organisatum* introducit in illud animam rationalem, quam non potest producere homo.

Si etiam aduersarij *instent* dicendo accidentia posse destruere substantiam, ergo & illam posse producere: Negari debet antecedens. Licèt enim calor & siccitas ignis possint destruere frigiditatem & humiditatem aquæ, quia tamen non possunt producere formam substantialem ignis, sic nec poterunt destruere formam substantialem aquæ; quia *accidentia nullam habent actionem immediatam circa substantias*. In hoc ergo casu, destructis frigiditate & humiditate aquæ per calorem & siccitatem ignis, forma substantialis ignis destruit formam substantialem aquæ, & formam substantialem ignis de nouo producti introducit in materiam primam, quæ antea erat sub forma aquæ. Ob hoc Doctor noster *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. *num.* 22. ait, quòd si totus calor possibilis separatus ab omni substantia esset in vno loco, vbi reperiretur gutta aquæ,

ista

ista gutta non posset corrumpi à toto calore, propter rationem allatam; quòd *accidentia nihil possint in substantiam*, quandoquidem *substantiæ nihil est contrarium*, & *omnis destructio sit à contrarijs*: vnde in suppositione Scoti recurrendum esset ad causam vniuersalem substantialem, quæ post destructionem qualitatum aquæ ab illo calore summo, substantiam aquæ destrueret: accidentia ergo ignis possunt quidem destruere accidentia conseruatiua aquę, sed substantia aquę non potest destrui, nisi per formam substantialem ignis, aut per potentiam Dei in casu quem antea supposuit Doctor noster.

Quantùm ad productionem accidentium, substantia potest producere in seipsa aliqua accidentia immediatè, & etiam in alieno subiecto. Potest, inquam, substantia in se producere aliqua accidentia, quoniam Angelus, & animę rationales ex Doctore *in 2. dist. 16. quæst. 1.* per suam substantiam, seu per intellectum, & voluntatem, quæ non distinguuntur realiter, sed tantùm formaliter, ab essentia Angeli, & animæ, producunt intellectionem, & volitionem, quæ sunt accidentia. *Deinde* per experientiam habetur quòd aqua intęnsè calida expellat à se calorem, & reproducat in se frigus, quod est accidens. *Tandem* si substantia possit producere immediatè substantiam, vt antea probatum est: ergo à fortiori poterit producere accidens, cùm accidens produci queat ab accidente. His addi potest ex doctore *in 4. dist. 12. quæst. 3.* quòd primum accidentium compositi, nempè *quantitas* necessariò productum fuerit immediatè à substantia; aliàs esset æternum, & independens. Ob hoc dicitur communiter *quamlibet substantiam immediatè post sui creationem producere in se accidentia sibi sympathica*, vt ignis calorem, aqua frigus, &c. quæ accidentia non debent dici tantùm emanare à substantia, quia emanatio propria est solummodo respectu eorum, quæ non distinguuntur realiter à subiecto à quo fluunt, vt risibilitas à natura hominis; pręcedentia autem accidentia realiter distinguuntur à subiectis eorum: ergo producuntur propriè. Quòd si nihil propriè dicatur agere in se ipso; hoc verum est de actione *vniuoca*; quia scilicet non potest agens producere in se ipso terminum eiusdem naturæ: hoc non impedit tamen, quin actione *æquiuoca* agens possit producere in se ipso, quando sci-

connaturaliter, faciliùs elicit operationes sibi proportionatas: & sic verum erit dicere, quòd accidentia possint producere alia accidentia realiter & intẽtionaliter, siue sint vnita substantię, siue sint separata à subiecto. Quòd si dicatur accidentia vnita substantiæ nihil posse producere, quia cùm accidentia producibilia possint produci à substantia producentis, melius est dicere ea produci à substantia producentis, quàm ab accidentibus illius. *Resp.* Accidentia vnita substantiæ producere immediatè formas accidentales effectus producti, quos nullo modo attingit substantia. Quando enim vniuntur duę causæ ęquè capaces producendi vnum effectum, quarum vna est vniuoca, & altera est æquiuoca, tunc effectus debet attribui causæ vniuocæ, quæ est magis determinata ad producendum hunc effectum sibi similem in natura, quàm causa æquiuoca ad producendum effectum dissimilem, vt optimè docet Doctor fundatissimus noster *Frasſen*.

CONCLVSIO TERTIA.

QVantùm ad tertiam difficultatem, quæ est de modo, quo causa secunda attingat suos effectus producendos, aliter responderi debet de causa secunda, quàm de prima: & aliter adhuc dicendum est de causa secunda vniuersali, & de causa secunda particulari. *Primò enim de causa prima dicendum est, quod attingat effectum immediatè, immediatione suppositi & immediatione virtutis*, sic Doctor *in 2. dist.* 37. *quæst. vn.* Attingit, inquam, effectum immediatè immediatione suppositi, quandoquidem suppositum Dei agentis intimè coniungitur propter immensitatem suam cum omnibus effectibus suis, iuxta id quod habetur Act. 17. *Non longe est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*. Attingit etiam prima causa suos effectus immediatè immediatione virtutis, quia omnia operatur per virtutem sibi propriam, & non aliunde emendicat potentiam, qua omnia operatur: in quibus constat *immediatio suppositi & immediatio virtutis*. Tunc enim agens agit immediatè *immediatione suppositi*; cùm inter agens & passum nullum interponitur suppositum; quo pacto orbis lunæ agit immediatè immediatione suppositi in sphæram ignis sibi contiguam. Agens verò agi

immediatè *immediatione virtutis*, quando agit in passum virtute propria sibi inexistente: quo pacto ignis calefacit lignum sibi approximatum per calorem sibi intrinsecum. Quòd si agens agat in passum mediante aliquo supposito intermedio, tunc dicitur agere mediatè *mediatione suppositi*, vt quando homo per baculum seruum percutit. Cùm verò agens operatur mediante virtute aliundè emendicata, tunc dicitur agere mediatè, *mediatione virtutis*; vt quando virtute actiuorum naturalium applicatorum passiuis efficiuntur opera naturæ.

Secundò dicendum est de causa secunda vniuersali, quòd attingat effectus immediatè, non quidem immediatione suppositi, sed immediatione virtutis; quia suppositum solis non coniungitur plantis nec herbis, nec visceribus terræ, sed suas diffundit virtutes & influentias in effectus suos quantumcumque distantes. *Tertiò dicendum est de causa particulari, quòd debeat semper attingere effectum immediatè, vel immediatione suppositi, vel immediatione virtutis*. Debet, inquam, semper attingere effectum immediatè, quia necesse est vt mouens coniungatur mobili, vel per se, vel per suam virtutem in spatio medio diffusam. *Deinde* quoniam *operari sequitur ad esse*, ideo *operari* in hoc loco exigit esse in illo loco; & proinde agens debet immediatè attingere passum. *Tandem* virtus actiua proportionatur essentiæ cuius est virtus; sed essentialis substantiæ cuiuslibet rei determinatur ad certum locum: ergo virtus actiua cuiuscumque rei ad certum locum ita determinatur, vt non posset agere extra illum. Aliquando tamen causa particularis agit immediatè immediatione suppositi, quando scilicet ignis comburit lignum sibi approximatum; aliquando verò tantùm immediatione virtutis, cùm homo per calorem ignis calefacit suas manus. Est ergo hæc differentia inter causam primam, secundam vniuersalem, & secundam particularem; quòd prima semper agat immediatè, tum immediatione suppositi, tum immediatione virtutis; causa vniuersalis secunda agit immediatè, immediatione virtutis; & causa secunda particularis aliquando agit immediatè immediatione suppositi, & aliquando immediatione virtutis.

Obijcies experientiam docere, quòd aliqua entia agant in distans non diffundendo virtutem suam per me-

medium; ſicut dicitur de torpedine, quæ ſtupefacit manum piſcatoris, quam non tangit; de ſole, qui producit aurum in profundiſſimis locis terræ, vbi non perducitur illius calor aut influentia; de magnete, qui ferrum attrahit etiam interpoſita tabula; de tuſſientibus & oſcitantibus, qui diſtantes prouocant ad tuſſiendum & oſcitandum; ac denique de puluere ſympathico, qui hominis abſentis curat vulnera. Reſp. hæc omnia non probare actionem *in diſtans*, quia tales effectus fiunt per diffuſionem virtutis, quæ tranſeundo per medium attingit loca vbi fiunt prædictæ operationes; quę ſi non fiant in medio, hoc eſt, quia ad hoc non eſt diſpoſitum: vt apparet de igne, qui comburit ſtuppam; & non ferrum interpoſitum; quia ſcilicet iſtud non eſt combuſtibile, ſicut & illud.

Quando ergo torpedo ſtupefacit manum piſcatoris: hoc fit per venenum quod tranſiens per hamum & arundinem perducitur ad piſcatoris manum. Quantùm ad ſolem generantem metalla in viſceribus terræ, illius calor aut influentiæ occultæ pertinguntur ad fodinas etiam profundiores; vnde Pythagoras dicebat calorem ſiderum in centro terræ eſse vehementiorem; quia ibi concentrantur omnes eorum radij. Quantùm ad magnetem, attrahit ferrum per diffuſionem virtutis cuiuſdam particularis illi ad hoc inditæ; ſi enim inter magnetem & ferrum interponeretur tabula lapidea, non ita promptè moueret ferrum; ſed expectanda eſſet quædam ſucceſſio temporis; vt ſubtiliſſima virtus attractiua magnetis penetraret poros lapidis interpoſiti. Quantùm ad prouocationem tuſſiendi & oſcitandi reſpectu illorum qui longè diſtant, hoc fit non per actionem phyſicam, ſed per intentionalem: quatenus intentionales ſpecies immittuntur à tuſſientibus & oſcitantibus, quæ receptæ per aures & oculos excitant tuſſim & oſcitationem in phantaſią & imaginatione videntium & audientium; vnde qui non audiunt tuſſientes, nec vident oſcitantes, non prouocabuntur ad tuſſim & oſcitationem.

Quantùm ad puluerem ſympathicum, quem alij *vnguentum armarium* vocant; non ſatis conſtat de experientijs illius in magna diſtantia factis: & ſi conſtaret de aliqua earum dubium aliquod remaneret, an hoc fieret virtute naturali. De illo puluere narratur quòd breuiſſimo tempore miniſterię illius curentur vulnera

hominum, non quidem illum applicando vulneribus, sed armis tantùm, quibus aliquis vulneratur, vel potius linteis sanguine vulneratorum madefactis. Non desunt plurimi, vt diximus in Theologia nostra 3. *p. pag.* 153. qui existiment virtutem illius vnguenti esse naturalem; cùm Maximilianus Imperator vir sane Catholicus seculo præcedenti vteretur communiter illo puluere ad sanandos absentes vulneratos: & nuperis annis religiosus quidam virtute & eruditione clarus in Idea scientiarum, quam dedit p~ælo, asserat se affuisse colloquio peritissimorum medicorum super hanc difficultatem differentium coram doctissimis Theologis; qui tandem dixerunt talis pulueris aut vnguenti vsum sine præiudicio fidei esse tolerandum. In communibus tamen philosophiæ principijs longè probabilius est, quòd tales experientiæ de illo vnguento factæ, vel commentitiæ sint, vel huius pulueris effectus non esse naturales, iuxta tria argumenta quæ attulimus loco citato, vbi videri possunt, & responsio habetur ad præællegata. Paracelsus à pijs viris damnatus author hoc vnguentum adinuenit, quòd ideo denominationem accepit *vnguenti armarij*, quia applicatum armis dicitur curare vulnera.

QVÆSTIO VII.

De Causa Secunda vt instrumentalis est.

QVia sub diuersis rationibus, rebus diuersis conuenit nomen *instrumenti*: ideo iure Scotus ait instrumenti nomen esse æquiuocum. Primò enim attribuitur cuilibet causæ secundæ, ministerio cuius causa prima operatur; & sic à D. Damasc. *cap.* 9. suæ physicæ, *Deus vtitur causis secundis tanquam instrumentis eius*: Vnde Deus hoc sensu solus dici potest causa principalis, & omnia alia erunt causæ instrumentales. Secundò *instrumentum* sumitur pro parte corporis viuentis, seu pro facultate per quam viuens operatur: & sic organa sensuum & potentiæ sensitiuæ dicuntur ab Arist. 2. de anima *instrumenta*, quibus anima sua vitalia opera exercet. Tertiò instrumentum sumitur pro qualitate praua disponente subiectum ad recipiendam formam, licèt ad illam effectiuè non concurrat; & sic in quæstione præcedenti diximus quòd calor ignis sit *instrumen-*

tum præparans lignum, vt recipiat formam substantialem ignis. Quartò sumitur instrumentum alio modo, pro ea præparatione cui forma debetur moraliter;& sic merita & sacramenta dici possunt *instrumenta*, quibus acquiritur gloria & gratia infunditur, ex pacto scilicet Dei cum creatura. Quintò denique & ad propositum, *instrumentum sumitur pro illo omni, quod ab agente principali assumitur ad opus artificiale condendum*; vt serra, ensis, malleus. De instrumento autem sic sumpto tria dicenda sunt, *quid sit*, *quotuplex sit*, & *an sit quid actiuum*.

CONCLVSIO PRIMA.

Instrumentum est causa agens in virtute causæ principalis, non verò in virtute propria. Sicut enim causa efficiens principalis est ea quæ per vim naturalem & sibi propriam producit effectum, vt homo hominem, sol lucem; & ignis ignem; sic causa *instrumentalis* est ea quæ effectum attingit in virtute causæ principalis, quæ eam mouet ad operandum: sic ensis est instrumentum quo homo occidit inimicum, & serra est instrumentum quo secatur lignum per motionem causæ principalis. Ideò autem inter causas efficientes reperiuntur *instrumenta*, quia sicut in vita ciuili & politica vnus homo vtitur alio homine sibi necessario ad sua negotia; sic inter causas vna vtitur aliâ ad suos effectus producendos, artifex nimirum malleo vt cathedram efficiat, arbor semine vt producat arborem, anima manu vt homo manducet, & Deus Sacramentis quibus animas nostras sanctificat.

Sic autem debet explicari definitio præcedens, quòd dicatur *causa attingens effectum*; & hæc particula est genus definitionis, in quo conueniunt causa principalis & instrumentalis; cùm vtraque attingat effectum. Quando autem dicitur, quòd causa instrumentalis producat effectum, *non in virtute propria, sed alterius*; ista particula tenet locum differentiæ, per quam causa instrumentalis, quæ non agit nisi mota ab alia, distinguitur à principali, quæ seipsam mouet ad effectum, saltem posito concursu Dei, qui necessarius est ad actionem omnium causarum.

Obijcies. Ex allata definitione indicatur, quòd causa *instrumentalis* non agat nisi vt mouetur à principali,

quod falsum est; si enim moueretur lignum super serram, secaretur lignum, & serra immota maneret: ergo causa instrumentalis non semper mouetur vt agat: quod etiam apparet de sigillo, cui manenti immoto, si applicetur cera, fiet impressio. *Resp.* hæc fieri per accidens, quia non solet applicari materia instrumento, sed in instrumentum materiæ; quod quidem instrumentum ordinariò mouetur ab agente principali: & sic instrumentum nunquam agit sine motu, vel in se recepto, vt fit communiter; vel in subiecto, vti habetur in allatis exemplis.

CONCLVSIO SECVNDA.

I*Nstrumentum primò diuiditur in instrumentum quod, & in instrumentum quo.* Instrumentum *quod* est suppositum quoddam seruiens superiori à quo mouetur; vt baculus respectu hominis percutientis. Instrumentum *quo* est virtus agentis principalis, quæ à causa principali deriuatur in instrumentum; vt motio mallei ab artifice impressa in malleum, per quam ipse malleus agit. Instrumentum potest secundò diuidi in naturale, supernaturale, & artificiale. Instrumentum *naturale* est illud quod inseruit causæ naturali principali; vt intellectus, voluntas, manus, lingua, & pedes quibus vtitur anima ad actus spirituales corporales obeundos.

Instrumentum *supernaturale* illud est quod per potentiam obedientialem Deo & hominibus inseruit ad effectus supernaturales producendos; sic sacramenta inseruiunt ad producendam gratiam, ignis inferni ad torquendos dæmones, & lutum ad illuminandos cæcos. Instrumentum *artificiale* illud est quod inseruit artificibus ad efficienda opera suæ artis; vt malleus ad faciendam cathedram, & serra ad secandum lignum.

Instrumentum vlteriùs diuidi potest in coniunctum & separatum. Instrumentum *coniunctum* est illud, quod vnitur causæ principali; & sic manus dicitur instrumentum *coniunctum* animæ: quia anima est vnita manui quam informat. Instrumentum *separatum* est illud quod emissum à causa principali producit suum effectum mediante virtute sibi communicata; sic semen emissum ab arbore dicitur instrumentum *separatum*, quan-

quando gignit arborem, non propria virtute, sed virtute sibi impressa ab arbore, à qua decisum est. Pro instrumento coniuncto dicunt Theologi *humanitatem Christi fuisse instrumentum coniunctum respectu miraculorum, quæ Deus operatus est*; quia personaliter coniungebatur Verbo D.

CONCLVSIO TERTIA.

QVantùm ad tertiam difficultatem *an instrumentum sit actiuum propriè*, videtur Scotus inclinare in partem negatiuam; quia in hoc causa instrumentalis à principali distinguitur, quòd illa non agat ex se & virtute quæ sit illi propria, sed ex actiuitate à causa principali emendicata: quod denotat ipsam ex sua natura non esse actiuam propriè. Deinde si instrumentum esset actiuum ex seipso, in *esse quieto* existens haberet potentiam agendi; sed instrumentum nullam habet actiuitatem, quandiu remanet in statu quieto, vt patet de serra, quæ in angulo quiescens nihil agit, nisi præmoueatur ab artifice ad scindendum lignum. Tandem instrumentum nihil habet præter quantitatem & figuram, quæ sunt de genere passiuorum. Si enim quantitas vt quantitas posset agere, omnis quantitas posset assumi ad eosdem effectus producendos; & sic clauis posset scribere & baculus scindere lignum. Si etiam instrumentum ratione figuræ posset agere, gladius ex charta figuratus æque posset secare, ac si esset ferreus.

Hoc non obstat quin possit etiam dici, quòd instrumentum dicatur etiam aliqualiter actiuum; quandoquidem penna est instrumentum scribendi, quæ concurrit actiuè ad scriptionem: ratione suæ figuræ, serra secans lignum expellit corpus ligni à loco quem permeat, quod est *agere*: Sigillum etiam imprimit suam figuram in subiectum dispositum. Adde quòd instrumentum reuocetur ad causam efficientem, quæ diuiditur in principalem & instrumentalem: ergo debet habere aliquam efficiendi virtutem, quod vltrò non negat Scotus; qui tantùm contendit actiuitatem non esse necessariam ad rationem instrumenti vt sic: quandoquidem aliqua sunt instrumenta, quæ sunt *actiua*, vt vidimus; licèt dicantur maiori ex parte *passiua*, quia subsunt actiuitati causæ principalis, quæ illis vtitur ad effectus sibi proportionatos.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

De Causa Secunda vt est Exemplaris.

EXemplar apud Latinos, idem est ac Idea apud Græcos; & per *exemplar* seu *ideam* intelligi debet *similitudo quædam in mente existens, quæ ipsum artificem dirigit, vt quid simile producat ad extra*; vnde causalitas exemplaris consistit in directiuitate artificis. Existentiam causæ exemplaris probat præceptum Dei ad Moysem. Exod. 25. *Inspice & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est*. Quod confirmat Boetius *metro* 9. *de consol.* dicens.

Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens.

Cui veritati subscribit Aug. 1. *de Retract. cap.* 4. vbi constituit mundum intelligibilem in mente D. tanquam exemplar, ad quod respiciens Deus ipse sensibilem hunc mundum produxit intelligibili prorsus similem. Ab hac assertione stat Philosophus 7. *Metaph. cap.* 7. vbi constituit sanitatem mentis pro exemplari sanitati corporis. Ratio huius veritatis petitur ex discrimine inter agentia naturalia & intellectualia, quò *naturalia sint ad vnum determinata*, vt ignis ad calefaciendum, & homo ad generandum hominem; *Intellectualia* verò *non sunt determinata ad vnum, sed determinantur ab exemplari*; vt patet de pictore, qui indifferens est ad pingendum hominem vel leonem, determinatur tamen ab idea quam habet de pingendo homine. Sicut agendo de alijs causis necessaria diximus de singulis per tres conclusiones, sic per totidem pronuntianda sunt quæ sciri debent de causa exemplari; *quid* scilicet *sit causa exemplaris, an sit conceptus formalis vel obiectiuus, & ad quod genus causa debeat reduci.*

CONCLVSIO PRIMA.

E*Xemplar est forma quam efficiens imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem*, vt loquitur August. 12. *de Ciuit. Dei cap.* 24. quæ definitio coincidit cum alia, quà dicitur quòd idea sit id ad quod respicit causa efficiens, dum operatur, vt ad eius imita-

rationem producat effectum. Licèt autem hæ definitiones videantur legitimæ, quia constant suo genere & sua differentia, & sufficienter explicent naturam ideæ seu causæ exemplaris; quia tamen non omnia exprefſè designant, quæ concernunt exemplaris rationem, quoniam quæri posset vlteriùs *ad quodnam genus causæ spectet exemplar*, *& vtrum influat penes esse obiectiuum*, *vel penes esse formale*: iure merito noster Columbus aliam definitionem attulit continentem omnes rationes causę exemplaris, dicendo scilicet quòd *exemplaris* causa sit *principium effectiuum per se influens in exemplatum penes esse obiectiuum*, *quod artifex in mente gerit*, *instar cuius producit ipsum exemplatum ad extra*. Licèt hæc definitio non sit expressis verbis apud Aristotelem, aut Scotum; euidenter tamen colligitur ex Arist. 7. *Metaphys. text.* 30. & ex Doct. Subtili *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 2.

Causa exemplaris primò dicitur *principium*; & est genus definitionis, in quo causa exemplaris conuenit cum efficiente principali. Dicitur 2. *effectiuum*, quod denotat *exemplar* debere reduci ad causam efficientem, non verò ad causam formalem; vt dicitur in 3. Concil. Dicitur 3. *per se influens*, & hoc distinguit causam *exemplarem* à causis per accidens, quæ non influunt nisi accidentariò in effectus, vt casus, fortuna & fatum, de quibus postea. Dicitur 4. *in exemplatum*, quia exemplatum seu ideatum producitur suo modo ab exemplari seu idea: vnde Arist. dicit domum ad extra fieri à domo ad intra. Dicitur 5. *penes esse obiectiuum*, vt denotetur ideam esse conceptum obiectiuum rei, quæ producitur ab efficiente. Dicitur 6. *quod artifex in mente gerit*, quia in intellectu artificis existit idea, quæ dirigit artificem in productione *ideati*. Hoc non impedit tamen quin idea sit aliquando extrinseca & extra intellectum agentis: quando scilicet pictura regis inseruit ad faciendam alteram regis picturam. Additur denique *instar cuius producit ipsum exemplatum ad extra*; quia agens intendit producere aliquid simile *exemplari* quod habet de effectu producendo: vnde si eueniat vt præter intentionem agentis aliquid producatur simile; hoc non debet dici oriri à causa *exemplari*. Porrò exemplaria dantur tantùm respectu rerum artificialium, non verò respectu naturalium: quando enim homo producit hominem, non dirigitur à causa

exem-

exemplari: benè autem quando efficit domum vel cathedram. Hoc tamen intelligendum est tantùm de causis secundis, non de Deo, qui entia naturalia producens habet ideas illarum: vnde de Deo dicit Boetius lib. de Consol. metro 9.

Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens.

CONCLVSIO SECVNDA.

IDea seu exemplar non est conceptus formalis, quem habet agens, sed est conceptus obiectiuus, ad quem terminatur conceptus formalis, quo efficiens cognoscit obiectum. Sic Scotus *in 1. dist. 35. quæst. vn.* contra Alensem & duos ex eius discipulis præcipuos D. Thomam, & S. Bonau. Probatur ex Arist. 7. *Metaph. text.* 23. sanitas & domus extra mentem artificis fit ex sanitate & domo extra intellectum; sed ista domus non efficitur similis cognitioni, sed domui obiectæ cognitioni artificis: ergo idea non est conceptus formalis, sed conceptus obiectiuus rei quæ efficitur. Experientia hoc comprobat. Posito enim quòd pictor viderit regem, species illius remanet intra mentem pictoris, cùm autem pictor vult delineare imaginem regis, non respicit ad suam cognitionem, quæ est conceptus formalis, sed respicit ad speciem derelictam in sua phantasia, quæ est cònceptus obiectiuus: ergo idea rei efficiendæ est conceptus *obiectiuus*, non verò formalis. *Deinde* idea est idolum & exemplar rei faciendæ, quod aspiciens artifex intendit producere rem illi similem, sed conceptus formalis non est id quod aspicit artifex sed id quo artifex respicit obiectum; ergo idea non est conceptus formalis, sed obiectiuus. *Tandem* ita se habet exemplar externum sicuti internum, id est ita se habet species regis existens in imaginatione pictoris, sicut se habet alia pictura regis, dirigendo pictorem, in pictione recenti ipsius regis; sed exemplar externum est quid obiectiuum: ergo exemplar internum erit etiam obiectiuum, proindeque idea est conceptus *obiectiuus*, seu obiectum quod dirigit pictorem & artificem ad faciendum quid simile ad extra.

Maneat ergo quòd exemplar non sit ipsamet cognitio quam habet artifex exemplariter agens, vt volunt Thomistæ cum suo Doctore 1. *p. quæst.* 25. *art.* 5. sed

quod

quod sit *obiectum* talis cognitionis; ita quòd idea designet rem ipsam, idea scilicet hominis hominem, & idea equi equum; non quidem in se realiter existentes, sed in mente artificis: vnde vocantur obiecta intentionalia. Hoc videtur conforme D. Paulo ad Heb. 11. dicenti *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*; quod denotat obiecta intentionaliter contenta in D. mente fieri existentia realiter per actualem eorum existentiam: quod præsupponit ideas in Deo sicut in creaturis non esse intellectionem D. *vt sic*, nec intellectiones creaturarum intellectualium, sed illarum *obiecta*.

Obijcies. Idea ex Arist. 7. *Metaph. text.* 23. dicitur esse forma in anima; sed forma redolet conceptum formalem: ergo idea est conceptus formalis. *Resp.* Ideam non esse formam informantem, sed formam repræsentatiuam, & obiectiuam, ad cuius similitudinem efficiendam artifex laborat; vt patet de domo in mente artificis existenti, quæ est *obiectum* ad quod artifex respiciens efficit domum ad extra. Si quis dicat *exemplar esse expressiuum rei*, & *exprimere* spectare ad conceptum formalem: *Resp.* ideò exemplar dici *expressiuum*, quia est obiectum dirigens artificem, vt efficiat ad extra aliquid simile operi existenti ad intra. *Dices.* Si idea esset conceptus obiectiuus, vel esset conceptus rei quæ fieri debet, vel alterius; quod vtrumque dici nequit. *Resp.* Ideam esse conceptum rei eiusdem quæ fieri debet, sed diuerso modo se habentis; in mente enim artificis res est tantùm intentionaliter, & repræsentatiuè; in se autem est entitas realis actualis.

CONCLVSIO TERTIA.

Exemplar reducitur ad causam efficientem, & *non ad causam formalem*, vt volunt aliqui. Sic Scotus *in 1. dist. 35. quæst.* 1. conformiter ad Arist. 2. *Phys. text.* 33. Idem admittunt D. Dionys. 4. *de Diu. Nom.* Et Aug. 12. *Ciuit. cap.* 25. affirmantes *ideas esse rerum existentium causas effectrices*. Ratio nostra est quòd causa efficiens diuidatur in *naturalem*, quæ absque ideis operatur, qualis est ignis, leo, & homo, producentes ignem, leonem, & hominem, & in *intellectualem*, quæ ideis vtitur, vt efformet certos quosdam effectus, quos intendit producere: ergo ex hac diuisione colligitur,

gitur, causam *exemplarem* debere reuocari ad efficientem. *Deinde* forma naturalis est causa effectrix suorum effectuum, vt patet de anima rationali, quę producit effectus spirituales, & corporeos: ergo idem dicendum est de forma artificiali, quę est idealis, & exemplaris causa. *Tandem* causa exemplaris non pertinet ad materialem, cùm illa non sit in Deo nec in Angelis, in quibus est illa; non spectat etiam ad causam formalem, quæ ob sui imperfectionem non est in Deo, nec ad finalem reducitur, quoniam exemplatum non dependet ab exemplari tanquam à fine, sed tanquam à principio concurrente ad ipsius exemplati existentiam, ergo superest, vt *causa exemplaris reducatur ad causam efficientem*.

Obiicies. Idea est forma extrinseca rei faciendæ in mente agentis intellectualis præexistens: ergo debet reduci ad causam formalem. *Resp.* Ideam posse dici formam respectu efficientis quod informat, non verò respectu operis producti; talis enim forma non existit in effectu, nec illum informat: quod tamen requiritur ad veram rationem formæ. *Quòd autem exemplar debeat dici informare causam efficientem*, patet ex hoc quòd exemplar nihil aliud sit quàm species intelligibilis impressa intellectui, quæ illum informat: licèt autem idea sit forma respectu agentis, non tamen est forma operis, & sic non debet reduci ad causam formalem, sed ad causam efficientem: quia concurrit cum efficiente vt producat effectum talis vel talis artificii. Dices *forma dat esse rei*, sed idea dat *esse tale* effectûi: ergo idea ad formam pertinet. *Resp.* ad minorem. Idea facit effectum esse talis vel talis artificii: *remotè*, & *antecedenter*, quatenus determinat causam efficientem ad tale vel tale opus, vnde diximus, quod idea possit dici forma efficientis: non tamen hoc facit proximè, & formaliter; cùm enim idea non sit in effectu, non tribuit illi *esse*.

CAPVT IV.

De Causa Finali.

QVi intentionis ordinem sequeretur, prępontere deberet explicationem *causę finalis*, quia finis mouet efficiens vt educat formam de sinu materiæ, &

com-

compositum constituat: quod indicat causam finalem in intentione præsupponi ad alias causas. Quia tamen physicus principaliter se applicat ad existentiam, & executionem rerum, ideo cùm in ordine executionis finis sequatur ad omnia causarum genera, vt communi fertur axiomate, *quod est primum in intentione est vltimum in executione*; proinde non immeritò iuxta communem methodum prius instituere debuimus examen aliarum causarum, quàm istius: vnde de fine agentes in hoc capite vltimo sex obiter dicemus; nimirum *quid sit finis, quotuplex sit finis, an finis sit vera, & realis causa, an causet secundùm esse reale, & intentionale, quænam sit finis causalitas, quænam denique agant propter finem*: & hęc omnia expedientur quæstione vnica per diuersas assertiones.

QVÆSTIO VNICA.

Quænam dicenda sint de Causa Finali.

DIuersimodè sumitur nomen *finis*. 1. scilicet pro termino continui, & sic punctum dicitur finis lineæ. 2. Pro limitibus alicuius loci, & sic vrbs vltima, quæ terminat Galliam, dicitur finis regni. 3. Pro completione operis, sicque finita dicitur domus quæ suum habet complementum. 4. Pro consumptione cuiuscumque rei, & sic pecunia, & vinum dicuntur finita quando consumpta sunt. 5. Pro desitione durationis, & sic mors dicitur finis vitę. 6. Denique, & ad propositum nostrum, finis sumitur pro illa causarum quæ excitat agens ad operandum, & de causa sic accepta sermocinandum est.

Dico 1. finem definiri ab Arist. 2. *Phys. text.* 29. *Id cuius gratia aliquid fit*. Quantùm ad etymologiam huius nominis, finis dicitur à fune; olim enim metæ & termini terrarum constituebantur funibus, iuxta id quod habetur Psal. 16. *funes ceciderunt mihi in præclaris*: Et alio in loco, *diuisit terram in funiculis distributionis*. Cuius ratio potest assignari, quòd sicut trahimus fune quod optamus; ita ob finem consequendum multa operamur etiam difficiliora. Quantùm verò ad ipsius naturæ explicationem, non immeritò diximus; quòd sit illa causarum, propter quam, & cuius gràtia effectus producitur; si enim quæratur cur

homo

homo laboret, cur ſcholaſticus ſtudeat, cur calefaciat ignis, cur denique homo generet: in promptu reſpondetur hæc fieri, vt pecuniam acquirat, vt euadat doctus, vt comburat materiam ſibi applicatam, & vt effectum producat ſibi ſimilem. Quod legitima ſit præcedens definitio, patet ex hoc quòd conſtet ſuo genere & ſuà differentià, & quòd aſſignet proprium caracterem cauſæ finalis. Quando enim dicitur, quòd ſit *id*, id eſt, quòd ſit cauſa; quæ particula induit rationem generis: in quo finis conuenit cum materia, forma, & efficiente. Quando etiam dicitur, *cuius gratià aliquid fit*; hoc importat differentiam cauſæ finalis: ſicut enim efficiens eſt *id à quo*, materia eſt *id ex quo*, & forma eſt *id per quod*; ſic finis eſt id *propter quod*, ſeu cuius gratià, aliquid fit.

Dico 2. Finem diuidi in finem *cuius gratià*, & in finem *cui*. Finis cuius gratia eſt bonum quod volumus; finis verò *cui* eſt perſona cui volumus tale bonum: ſic quando pater laborat ad ditandum filium, diuitiæ ſunt *finis cuius gratià* pater laborat, & filius eſt finis *cui* laborat pater. Finis diuiditur ſecundò in *finem operis*, & *in finem operantis*. Finis operis eſt ille ad quem opus ex natura ſua tendit: finis verò operantis ille eſt quem ſibi præfigit operans pro libito; ſic finis architecturæ eſt habitatio, & finis architecti eſt lucrum aut vana gloria. Licèt autem hi duo fines ſint diuerſi in agentibus liberis, attamen in naturalibus idem eſt finis operis & operantis. Finis tertiò diuiditur *in vltimum* & *intermedium*. Finis vltimus ille eſt propter quem cætera volumus, ipſum verò propter ſe tantùm: finis autem intermedius eſt ille propter quem volumus aliquid, & iſtum vlteriùs ordinamus ad aliud; ſicut quando aliquis ſuum corpus macerat, vt acquirat virtutem continentiæ, quam continentiam vult ſibi comparare propter Deum. Quartò finis diuiditur in finem *obiectiuum* & *formalem*. Finis obiectiuus eſt res quam volumus nobis vel alteri; finis autem formalis eſt actus quo poſsidemus rem volitam, ſic Deus eſt finis obiectiuus beatorum, fruitio verò eſt finis eius formalis; ſic etiam pecuniæ ſunt finis obiectiuus auari, poſſeſſio verò diuitiarum eſt finis formalis auari. Quintò finis diuiditur in *primarium* ſeu principalem, qui primariò & directè intenditur; & in *ſecundarium*, ſeu minùs principalem, qui intenditur quaſi conſequenter: ſic quan-

quando ſacerdos celebrat, finis præcipuus ſacrificij debet eſſe cultus Dei; finis verò ſecundarius eſt ſtipendij perceptio. Sextò finis diſtribuitur in *naturalem* & *ſupernaturalem*; finis naturalis ille eſt, qui poteſt obtineri viribus naturæ, vt patet de ſanitate, quæ eſt finis naturalis medici; quoniam illam cauſare poteſt per remedia naturalia: finis ſupernaturalis eſt ille, qui naturæ vires ſuperans non poteſt acquiri per media naturalia, ſic iuſtificatio ſeu ſanitas ſpiritualis animæ eſt finis ſupernaturalis hominis: quia non poteſt obtineri, niſi per gratiam, quæ eſt ſupernaturalis ordinis. Finis denique poteſt conſiderari, vel *in ordine ad agens*, quando ipſum mouet ad ſimpliciter operandum; vel *in ordine ad media*, quando ex pluribus medijs poſſibilibus mouet agens vt hoc vel illo medio vtatur.

Dico 3. quòd finis ſit vera & realis cauſa. Sic docetur communiter contra Hurtadum. Illud enim eſt cauſa realis & phyſica, quod phyſicè mouet efficiens ad agendum, ſed finis mouet propriè & realiter efficiens ad efficiendum compoſitum, quod ab ea fine dependet, tanquam à cauſa *cuius gratià* fit: ergo finis eſt vera & realis cauſa phyſica. *Deinde* finis propoſitus per intellectum voluntati mouet propriè voluntatem vt agat, & non fictè aut immaginariò: ergo finis eſt cauſa realis, quoniam realiter cauſat, & mouet ad actionem realem & phyſicam. *Tandem* Philoſophi admittunt quatuor vera & realia cauſarum phyſicarum genera; ſed finis eſt vnum ex illis: ergo finis eſt vera, & realis cauſa. *Dices* 1. Cauſa realis debet exiſtere realiter vt cauſet; ſed ſæpiſſimè nondum exiſtit finis, quando mouet ad agendum, vt patet de ſanitate, quæ non exiſtit, quando ægrotus ſumit pharmacum: ergo finis non eſt cauſa realis & phyſica. *Reſp.* ad cauſam realem non requiri, quòd ſemper realiter exiſtat: ſed ſufficit, quòd realiter cauſet: poteſt autem cauſare antequam exiſtat, modò cognoſcatur ipſius realis poſſibilitas, & illius conuenientia & bonitas innoteſcant. *Dices* 2. Finis non eſt principium, nam *finis & principium opponuntur*: ſed quod non eſt principium, non poteſt eſſe cauſa, quandoquidem cauſa eſt principium: ergo finis non eſt propriè cauſa. *Reſp.* diſt. maj. Finis non eſt principium, ſumendo *principium* pro inchoatione rei: concedo; quia finis & principium ſic ſumptum opponuntur; finis non eſt principium, ſumendo *principium*

pro

pro causa rei, & pro eo à quo res proficiscitur, nego.

Dices 3. Causa est id ad cuius *esse* sequitur aliud; sed ad *esse* finis non sequitur actio, imò cessat actio, quando finis incipit existere: ergo finis non est causa. *Resp.* dist. mai. causa est id ad cuius *esse* sequitur aliud; ad cuius *esse* possibile vel præsens, concedo: ad cuius *esse* præsens, nego. Quando enim ægrotus sumit pharmacum propter sanitatem recuperandam, sanitas nondum est præsens; quia tamen illa sanitas est possibilis, & speratur futura, ideò est causa sumptionis pharmaci. *Dices* 4. finis mouet tantùm metaphoricè excitando voluntatem efficientis, vt agat: ergo finis non est causa realis. *Resp.* motionem metaphoricam hic non excludere realitatem, sed Philosophi vocant motionem finis metaphoricam, quia excitat tantùm ad agendum, & non mouet sensibiliter, sicut efficiens mouet baculum: ista tamen motio verè realis dici potest, quia à parte rei, & imaginariò excitat voluntatem, vt producat veram, & realem actionem. Si Aristoteles 1. *de Gener. text.* 55. dicat causam efficientem esse veram causam, finalem verò esse causam translatitiam, & metaphoricam. *Resp.* Philosophum loqui, non absolutè, sed comparatè; quòd scilicet finis non habeat influxum ita sensibilem, qualem habet causa efficiens, quæ ob hoc dicitur antonomasticè causa; hoc tamen non impedit quin sit realis, quoniam ab ente rationis non fit ens reale; sed à fine est effectus realis, nempè sanitas causata.

Dico 4. *quantùm ad causalitatem finis, quòd illa nihil aliud sit, quàm ratio formalis per quam finis dicitur causare*; ita quod posita illa ratione finis causet, & illa ablata non causet: *quid autem sit illa ratio formalis* seu causalitas finis, diuersa est authorum opinio. Soncinas enim, & Medina cum Thomistarum plurimis existimant cognitionem seu apprehensionem finis esse causalitatem illius. Faber, & Scotistarum aliqui tenentes cognitionem finis esse tantùm conditionem necessariò requisitam vt finis causet, volunt bonitatem vel malitiam finis esse illis causalitatem; quia in illorum mente voluntas vtramque appetere potest: quod tamen maioris notæ Theologi, & philophi repudiant, afferentes voluntatem non posse velle malum *qua malum*; vnde ad quæstionem de causalitate finis in actu secundo

Respondeo primò quòd sola bonitas, quę apprehen-

henditur in fine, sit causalitas finis in actu primo, seu ratio formalis motiua, propter quam obiectum possit mouere agens vt illud prosequatur. Dixi *sola bonitas*, quia malitia obiecti non potest voluntatem mouere ad sui prosequutionem: quoniam *in malo nulla est appetibilitas*, aut *conuenientia*, vt aliquando dicetur. Quòd si aduersarij dicant aliquem posse velle malum vt malum est ad exercendam suam libertatem; hoc potest negari, quia voluntas non habet libertatem aut indifferentiam circa malum: cùm malum sit extra sphæram suæ actiuitatis, quæ limitatur ad id quod est sibi conueniens & bonum, nec vllo modo se potest extendere ad malum. Adde quòd si voluntas ad exercendum actum suæ libertatis prosequeretur malum tunc in illo actu aliquid boni quæreret, exercitium scilicet suæ libertatis, quod sibi videretur conueniens: nec ampliùs proinde esset malum. Dixi etiam, *quæ apprehenditur*; quia non sufficit quòd obiectum sit bonum, vt moueat voluntatem; sed bonitas illius debet cognosci: quia cùm voluntas ex natura sua cæca sit, non potest prosequi obiectum quantumcumque sit bonum, nisi præcognoscat illius bonitatem, quoniam *ignoti nulla cupido*. Vt obiectum ergo possit mouere voluntatem ad agendum, requiritur quidem apprehensio bonitatis obiecti; sed talis cognitio non est causalitas ipsius finis, sed est tantùm conditio sine qua obiectum bonum non excitaret voluntatem ad agendum.

Respondeo secundò, quòd causalitas finis in actu secundo consistat in actuali motione metaphorica, per quam obiectum cum bonitate sua cognitum & apprehensum mouet voluntatem ad agendum. Hoc intelligi potest ex antecedenti assertione. Si enim causalitas in actu primo consistat in hoc quòd bonitas apprehensa obiecti possit excitare voluntatem ad agendum, causalitas in actu secundo consistere debet in actuali motione: quod vt intelligatur faciliùs, quinque notari debent in causa finali. Primum est *entitas rei* quæ dicitur finis, secundum est *eius bonitas* quæ est principium finalisandi seu mouendi agens, tertium est *cognitio finis* quæ est cognitio sine qua finis non causaret, quartum est *effectus* finis seu id quod propter finem factum est, quintum denique est *causalitas ipsius finis*, per quam finis constituitur formaliter in *esse* causæ finalis, quam diximus consistere in motione ac determinatione *obie-*

ctiua,

ctiua quæ mouet voluntatem ad agendum. Illa autem motio eſt quidem realis, quia voluntas mouetur realiter ab obiecto reali, vt producat actionem realem, & ab his tribus illa motio poteſt iure dici realis, dicitur tamen etiam *metaphorica*, quia non mouetur eodem modo realitatis, quo manus mouet lapidem, ſed ſimili modo mouet, quo bonum mouet agens, vt agat; quæ motio dicitur *moralis, & metaphorica*; cum tamen realitatem abſolutam non excludat.

Dico 5. *Affirmari poſſe, quòd finis cauſet ſecundùm eſſe intentionale, & ſecundùm eſſe reale*, diuerſimodè explicando hos terminos; Si enim per *eſſe intentionale* intelligatur obiectum cognitum, & apprehenſum mouere agens ad operandum, reuerà obiectum cauſat, & finaliſat per ſuum *eſſe intentionale*; quia bonitas obiecti non moueret agens ad operandum, ſi non præcognoſceretur talis bonitas finis, vt antea dictum eſt, quoniam ſcilicet *voluntas non fertur in incognitum*. Si verò per *eſſe intentionale* intelligatur quod illa cognitio obiecti ſit id quod *obiectiuè* excitet agens ad operandum, tunc finis non cauſat per ſuum *eſſe intentionale*; quia non eſt cognitio quæ mouet: ſed eſt tantùm conditio ſine qua finis non moueret *actu*, vt antea dictum eſt. *Quòd autem cognitio obiecti non cenſeatur mouere, & finaliſare agens*, patet ex hoc quòd finis moueat formaliter per id quod agens prætendit obtinere; ſed agens non contendit obtinere cognitionem bonitatis obiecti, nec ægrotus cognitionem ſanitatis, benè autem obiectum ipſum bonum, ſeu ſanitatem: ergo cognitio obiecti ſeu eſſe illius intentionale non cauſat, ſed illius eſſe reale.

Hoc vt euidentius pateat, tria deſignari poſſunt in cauſa qualibet, vtpotè in igne, nempè principium *quod*, ſcilicet ignis, principium *quo*, ſeu calor, & conditio *ſine qua* ignis non poſſet calefacere, quæ eſt approximatio. In cauſa finali ſimiliter principium *quod*, eſt obiectum quod mouet agens, principium *quo* eſt bonitas obiecti per quam agens ad agendum mouetur, *conditio* verò neceſſaria eſt cognitio ſeu apprehenſio obiecti, *ſine qua* obiectum quamtumuis bonum non moueret agens ad operandum. Difficultas præcedens intelligitur de principio *quo* cauſę finalis, *vtrum bonitas v. g. obiecti cauſet, moueat, & finaliſet, per ſuum eſſe reale, vel per intentionale*, & ad hoc reſponde-

demus quòd propriè loquendo moueat per suum *esse reale*, nempè per ipsam bonitatem obiecti: licèt ad talem motionem concurrat cognitio talis bonitatis, quod est obiecti *esse intentionale*: non quod cognitio sit principium formaliter & intrinsecè influens in effectum sed quia est conditio sine qua obiectum nòn influeret *actu*, nec voluntas prosequeretur illud, nisi ipsius bonitatem cognosceret.

Dico 6. quæstioni vltimæ de agentibus, quæ agunt vel non agunt propter finem, diuersas deberi responsiones, pro diuersitate agentium, quæ sunt in rerum natura, vtpote Deus, Angeli, homines, bruta, & insensibiles naturæ. *Agere propter finem* nihil aliud est quàm habere aliquod bonum suæ operationi præfixum, quod mouet agens ad operandum. Dupliciter agens potest intelligi agere propter finem, materialiter nimirum & formaliter. *Materialiter* aliquid agit propter finem, quando tendit in id quod est sibi conueniens, non cognoscendo illam conuenientiam, nec proportionem mediorum, quæ adhiberi debent ad attingendum finem. *Formaliter* verò aliquid agit propter finem, quando tendit in bonum cognitum, & cognoscit proportionem seu aptitudinem mediorum, quæ ad attingentiam talis finis sunt propria. Cùm ergo entium quę sunt in natura aliqua cognoscant finem, media, & proportionem mediorum cum fine; alia verò non cognoscant ista: ideo pro diuersitate agentium afferendæ sunt diuersę responsiones: vnde.

Respondeo 1. *Deum agere propter finem propriè.* Sic Scotus *in 1. dist. 1. quæst. 5. non quidem ratione sui sed ratione aliorum à se.* Non agit, inquam, Deus propter finem *ratione sui*; quia sicut non habet causam efficientem ratione suæ *ineffectibilitatis*, quæ impedit quòd possit esse ab alio; sic non habet causam *sui* finalem, ratione suæ *indefectibilitatis*, cum finis dirigat agens, & Deus nō possit dirigi, quia est regula sui ipsius. *Quod autem Deus agat propter finem ratione aliorum à se*, habetur ex Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Apocalyps. 1. *Ego sum α & ω, principium & finis.* Ratio ex hoc desumitur, quòd agens propter amorem alicuius agat propter finem: sed Deus agit propter amorem hominum, & homines amat propter se ex 1. ad Cor. 13. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*: ergo Deus agit

propter finem reſpectu aliorum, vnde probat Doctor *in 1. diſt. 2. quæſt. 2.* cauſam finalem nullam inuoluere imperfectionem, imò eſſet maxima imperfectio, ſi aliqua non ordinaret ad bonos fines.

Reſpondeo 2. *Angelos & homines agere propriè & formaliter propter finem.* Quia *agere propter finem formaliter* eſt cognoſcere finem, cognoſcere media, cognoſcere proportionem ſeu vtilitatem aut neceſſitatem mediorum ad finem attingendum, & illa ordinare eligendo aptiora, & reſpuendo ea quæ minùs apta ſunt; ſed ea poſſe facere Angelum & Hominem, qui pollent intellectu, patet ex hoc, quòd medicus ægrotum ſanare tentans ex pluribus remedijs illa applicet, & reſpuat alia: ergo Angelus & homo agunt propter finem formaliter: cùm Angeli poſſint hoc facere quòd facit medicus: imò dæmones *applicando actiua paſsiuis* certos quoſdam morbos expellunt. Deinde conſultatio de medijs adhibendis vel reijciendis denotat quòd homines agant formaliter propter finem.

Reſpondeo 3. *Bruta animantia ab aliquibus ex noſtris exiſtimantur agere propter finem formaliter*, quia per operationem ſenſitiuam apprehendunt quod ſibi bonum eſt, & ad id proſequendum quod ſibi bonum videtur applicant media. Quod patet ex pluribus exemplis animalium domeſticorum, quæ apprehendunt ea quæ ſibi ſunt conuenientia, illa quærunt, & applicant media ad eorum obtentionem. Hoc mirabile videtur in formicis, quæ opportuno tempore congerunt grana, *illis cor abrodunt ne germinent*, quandoque ea ventilanda exponunt aeri *ne putreſcant* nimio calore aut humiditate: quæ ſanè ſicut & ea quæ videntur communiter de apibus, araneis, & multis animantibus denotare videntur talia *agere propter finem*. Attamen meo ſenſu meliùs eſt dicere bruta agere quidem propter finem perfectiori modo quàm agentia naturalia cùm per ſenſus apprehendant finem ſuum, exequantur opera in illum tendentia & ſuauitate illius electa ſe moueant in ipſum per aliqualem cognitionem, quidquid dicat Carthesius, qui vitam, & omnimodam cognitionem adimens brutis, ea cenſet nihil aliud eſſe, quàm ſecretas machinas elaterijs agitatas, horologiorum ad inſtar: non tamen propriè & formaliter agere propter finem. Nam ad talem modum agendi non ſufficit cognitio finis, aut cognitio mediorum, vel etiam

ap

applicatio mediorum conuenientium ad finem, quæ proportionis cognitio est opus intelligentis.

Agens dicitur cognoscere proportionem mediorum cum fine, quando ponderat merita finis, quando examinat mediorum vtilitatem, quando illa respuit & ista eligit, quando proprio consilio agens se regit per consultationem, per experientiam, per instructionem, per exemplaria, & per similia quæque, nec eodem modo agit, sed vsu proficit, ac varijs circumstantijs variè operatur: hęc omnia contingunt in hominibus, qui non omnes eodem modo se regunt, sed excogitant diuersas inuentiones viuendi, ædificandi, se vestiendi. & alia exequendi opera. Bruta verò animantia eiusdem speciei semper eodem modo agunt, pariter quot annis nidificant, congregant grana, mella conficiunt, & similia operantur simili modo, quod denotat manifestè, illa *non agere ex consilio*, sed *ex solo impulsu naturæ*; quandoquidem à natiuitate omnem suam obtinent industriam: ergo probabilissimum est bruta animantia omnia facere per solum instinctum naturalem, quo feruntur in ea quę phantasia illis exhibet esse conuenientia, non verò propter finem formaliter operari, vti faciunt homines quod satis declarat Aug. 11. *de Ciuit. cap.* & Scotus, *Metaph. quæst.* 3.

Respondeo 4. *Res naturales ratione carentes agunt quidem in finem, sed formaliter & propriè non agunt propter finem*, quod est proprium agentium rationalium, vt diximus: quod dicere est agentia destituta sensu agere tantùm in finem materialiter. Non quòd intendant finem in seipsis, sed quia tendunt in finem sibi præscriptum à natura, vel potiùs à Deo, qui est author naturæ, quod est contra Democritum, Leucippum, ac Epicurum postea: qui volentes omnia agi & agere temerarijs & fortuitis concursibus, negabant naturæ motum tendere determinatè in aliquem finem. Euidenter probari potest hæc veritas ex hoc quod omnia fiant in naturalibus, vel à casu & fortuna, vel ad aliquem finem determinatum à Deo; sed agentia naturalia non agunt à casu, quia semper eodem modo operantur, quoniam ignis semper calefacit, leuia semper ascendunt sursum & grauia deorsum semper mouentur: ergo entia naturalia agunt in finem, non quidem formaliter & propriè, quia non cognoscunt fines suos, sed materialiter & passiuè, quia operantur ea ad quæ sunt determi-

nata à Deo, qui cum sit agens præstantissimum nihil per se aut per causas secundas operatur temerè, sed propter aliquem finem, quem sibi præfixit prouidentia.

Obiicies. Si naturę præesset ratio quædam omnia ordinans in finem, nihil superfluum, ineptum, & defectiuum fieret in operibus naturę; sed multa in naturalibus sunt superflua, inepta, & defectiua: ergo. Probatur minor, ex bestiolis pluribus, quæ superfluæ sunt & importunæ, vt serpentes, vermes, muscæ, & pulices; itemque ex hoc, quòd lingua detur piscibus mutis, genitalia mulis sterilibus, & mamma viris; quæ omnia denotant superfluitatem in naturalibus. Ipsius naturæ ineptas productiones ostendunt monstra. Et eiusdem naturæ defectus patent ex hoc quòd effundat è suo sinu teneros infantes qui nudi sunt, inermes, egentes, teneri, & omnibus viribus destituti. *Respondeo* propter pauca quæ præter rationem videntur, non esse calumniandam Dei prouidentiam, quam vniuersa creaturarum familia magnificè demonstrat; maximè cum allegata, nec superflua sint, nec inepta, nec defectuosa. Bestiæ enim illæ non carent suis finibus, quandoquidem mundum populosiorem reddunt, vt plebecula ciuitatem; specierum suarum varietate complent vniuersum, inseruiunt medicinæ pro variis vsibus, perfectiora alunt animantia, authorisque sui solertiam commendant in minoribus; vndè hec dici non debent superflua: sicut nec quòd dentur linguę piscibus mutis ad gustatum, genitalia mulis ad emittendum vrinam, & mammæ viris ad ornatum, & pręsidium pectoris. Productio etiam monstrorum, quæ aduenit tantùm pręter intentionem naturæ, non est inepta; quia sicut vmbræ in picturis, non mediocriter illustrant alia opera, quæ sunt conformia intentioni naturæ. Nec denique infantes teneri & inermes arguunt naturam esse defectuosam, quòd enim non habent ex se obtinere possunt à duobus parentibus, quibus eò chariores efficiuntur quò infirmiores sunt in seipsis.

Quæres *quinam sint effectus finis*. Vt compleantur omnia, quę scitu sunt necessaria respectu *finis*, non prætermittendum est id quod duobus verbis egregiè colligit doctissimus noster Frassennus, hunc ordinem reperiri in agente intellectuali propter finem. Primò intellectus proponit voluntati agentis rem conuenientem, deinde voluntas illam desiderat, ex desiderio

procedit intentio acquirendi finem per media, dehinc fit consultatio de medijs, ad hanc sequitur electio alicuius præ cęteris, facta electione voluntas imperat potentijs executiuis vt applicent media ad opus, ex hac applicatione resultat finis consequutio, & ad consequutionem sequuntur amor, gaudium, fruitio, & delectatio, quibus voluntas quiescit in fine obtento.

SECTIO III.

De Causis per accidens Rerum Naturalium.

CAusa per accidens tribus modis contingit. Primò *priuatiuè*, per sui absentiam; sic sol dicitur causa per accidens tenebrarum. Secundò *ratione alicuius accidentariò coniuncti cùm causa per se*; sic musicus est causa per accidens sanitatis: quando coniungitur cum medico, qui est causa per se illius. Tertiò causa per accidens dicitur illa, *quæ est quidem causa per se alicuius effectus, sed quia aliquid coniungitur effectui, quod non intendebatur ab agente, ideo illa causa dicitur causa per accidens respectu illius effectus, qui rarò contingit*: sic tegula cadens è tecto est causa per se descensus, sed quòd sit causa læsionis hominis alicuius transeuntis per illum locum vbi cadit, hæc est causa per accidens. Cùm autem loquuti fuerimus in prima sectione huius disputationis de *natura* & *arte*, quæ præsupponuntur ad compositionem rerum naturalium & artificialium; & in secunda de *causis per se*, quæ naturaliter concurrunt ad constitutionem corporis naturalis: superest vt in ista loquamur de *causis per accidens*, quæ communiter dicuntur esse *Casus*, *Fortuna*, & *Fatum* de quibus dicetur immediatè per quæstiones, quibus subiungemus aliqua de monstris.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sint Casus & Fortuna.

ANtiquorum plurimi impietate & errore pleni, præsertim Cicero ab Aristotele designatus, fortunam faciebant tanquam numen aliquod diuinum, cui multa templa consecrabant, tanquam Deo alicui in hæc inferiora suum dominium exercenti, iuxta id quod

habetur apud Iuuenalem *Satyr.* 10. Sed quia diuinitatem inconstantem, planè cæcam, & ita mobilem, vt eam depingerent antiqui super volubilem globum altero pede stantem, agnoscere ridiculum est; ideò christiana philosophia aliter ratiocinatur de *fortuna* & *casu*, quæ interdum sumuntur promiscuè, distinguuntur tamen aliqualiter, vt patebit.

CONCLVSIO.

Casus est causa per accidens in ijs quæ agunt ex determinatione naturæ, ad quam rarò sequitur effectus, vnde si regula è tecto decidens hominem occidat, tunc est *casus*: quia tegula fertur deorsum ex determinatione naturæ, *fortuna est causa per accidens in ijs quæ agunt ex electione, ad quam rarò etiam effectus sequitur*; & ob hoc si quis intenderet fodere terram ad plantandam arborem, & fodiendo terram inueniret thesaurum; quem nec intendisset antea, nec de eo cogitasset, tunc esset *fortuna*; quia homo fodiens terram agit ex electione.

Licèt confundantur interdum casus & fortuna, & in eo sensu *fortuna* dicatur promiscuè de animatis & inanimatis, de naturalibus & liberis; vnde lapides templi & altaris denominabantur aliquando *fortunati*; attamen, si sumantur propriè, in hoc distinguuntur, quòd *casus* latiùs pateat fortunà: cùm casus conueniat agentibus liberis & necessarijs indiscriminatim, vbi fortuna competit tantùm agentibus per electionem. Quando enim causa naturalis deficit à fine, & deflectit ad effectum minimè intentum, tunc est casus. Dum verò causæ liberæ, vt homines, in suis negotijs deficiunt à fine proposito, & impingunt in aliquid aliud inopinatum, siue bonum, siue malum, tunc dicitur *fortuna*.

Ex hoc patet quòd iuxta mentem Doctoris nostri & Aristotelis lib. de bona fortuna cap. 1. *fortuna* præscindat à bona & mala, veluti genus abstrahit à suis speciebus. Cùm enim fortuna idem sit ac causa, quæ effectum producit non intentum; si effectus sit bonus, fortuna perhibetur esse bona: si malus, mala. Sciri tamen debet quòd nullus debeat dici benè aut malè *fortunatus* in his quæ non sunt in manu sua, vt sanitas, pulchritudo, & similia; quoniam fortuna propriè est de

ijs quæ agimus præter noſtram intentionem. Si etiam aliquis vnum euentum bonum aut malum habeat, non propterea debet dici *fortunatus* aut *infortunatus*; quia ſicut vna hirundo non facit ver, ſic nec vna beata dies hominem efficit beatum.

Vt euentus cenſeantur fortuiti & caſuales, debent quidem aduenire præter intentionem agentis, ſi tamen aliquis intendat in communi aliquem effectum, qui poſtea aduenit ex actione per quam non ſperabatur talis euentus non minus debet dici *fortuitus*: vt patet de illo, qui in communi decreuiſſet occidere inimicum, quem poſtea per ictum impræuiſum occideret: & ratio huius eſt, quòd non intenderet inimicum occidere per talem ictum particularem. Sic pariter, quando ex aliqua actione particulari & impræuiſa oritur bonus effectus, qui in communi deſiderabatur & quærebatur, non minus cenſeri debet fortuitus & caſualis; vt patet de illo, qui vulneratus per enſem inimici, curatus fuit ab apoſtemate quod habebat in inteſtinis: quia ſcilicet talis non intendebat ſanari per illum ictum, eſtò in communi ſperaret ſalutem.

Fortuna & caſus locum habere poſſunt reſpectu Angelorum & cœlorum, quoniam in illis plura poſſunt euenire præter eorum intentionem. Angelus enim poteſt inſpirare ſuo Clienti inclinationem bonam adeundi templum, non præuidendo, quòd cliens ille obuium haberet inimicum, à quo occideretur; vbi talis euentus eſſet fortuitus reſpectu Angeli, qui non præuidiſset aut intendiſset talem occaſionem clientis. Cœlum ſimiliter naturaliter poteſt attrahere ſulphureas exhalationes, quæ accenſæ poſsunt comburere ſyluam, & condenſatæ cadere poſſunt ſuper caput tranſeuntis qui occidetur; & tunc illę combuſtio & occiſio erunt *caſuales*. Eclipſes verò ſolis & lunæ, etiamſi rarò accidant, non tamen attribui debent caſui aut fortunæ; quia tales effectus ſunt à cauſa determinata, qua poſita, ponuntur neceſsariò: effectus autem fortuiti per ſe non intenduntur, nec determinantur à cauſa, ſed ex quibuſdam accidentibus impræuiſis oriuntur.

Reſpectu Dei nihil eſt caſuale aut fortuitum. Quia illud ſolummodò eſt caſuale aut fortuitum, quod euenit præter intentionem agentis; ſed nihil euenit præter intentionem & cognitionem Dei, qui cùm ſit cauſa vniuerſalis agens per intellectum omnia præui-

det, cuncta intendit, & singula operatur cum omnibus: ergo nihil est fortuitum & casuale respectu Dei, licèt aliquid sit fortuitum respectu agentis secundi cum quo Deus concurrit; vt patet per hoc exemplum. Quod si aliquis dominus posuerit nummum aureum in aliquo loco horti sui, ad quem suum seruum in eodem loco fossurum mittit, tunc illa inuentio nummi aurei, quem reperiet seruus, erit quidem *casualis* respectu serui, quia euenit præter intentionem illius non tamen erit fortuita respectu domini, qui talem præuidit inuentionem.

Quòd si in ea quæ dicta sunt obijciatur Augustinus, qui *lib. retract. cap. 2.* corrigit se quòd vsus fuerit nominibus *casus* & *fortuna*: ergo neutrum deberet admitti à nobis, *Resp.* Aug. illa vocabula retractare in sensu gentilium, qui vsurpabant fortunam pro *numine* quodam fortuitis euentibus præsidentem. Si quis dicat in superius allegata, lucrum à ludente intentum dici fortuitum; & sic non omnes euentus fortuitos esse præter intentionem agentis, vt diximus. *Resp.* Talem lucri consequutionem non esse propriè fortuitam sed ancipitem; quia fortuita non debent tantùm contingenter accidere, sed præter intentionem agentis. Deinde talis consequutio lucri aduenit vt plurimùm; & proindè non est propriè *fortuita*.

Si quis probare velit casum & fortunam competere Deo, quia competit creaturis, dicendo scilicet Deus se accommodat causis secundis, & agit vniformiter cum illis; sed causæ secundæ non intendunt omnes casus fortuitos: ergo nec Deus. *Resp.* Deum suo concursu se accommodare causis secundis, illas iuuando modò consentaneo ipsarum naturis, concedo: consentiendo imperfectioni illarum, nego. Licèt ergo causæ secundæ non intendant aut cognoscant effectus fortuitos, propter imperfectionem & finitatem sui intellectus; Deus tamen, quem nihil latet, euidenter cognoscit omnia: & sic quod est casuale respectu creaturæ, non est tale respectu Dei. Quod declarari potest per exemplum Domini, qui mittit duos seruos per diuersas vias ad eundem locum, vno ignorante de altero; si talis occursus referatur ad seruos, qui ipsum nesciunt, ille est casualis: si verò referatur ad dominum, non est fortuitus; quia intentus est & præuisus ab illo.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quid dicendum sit de Fato.

QVi existentiam Fati negarent, vt astruerent omnia temerario concursu euenire, fidei christianæ opponerentur, cùm similiter reuocarent in dubium gubernationem D. prouidentiæ, quæ fortiter attingit à fine vsque ad finem, disponit omnia suauiter, & cuncta dirigit in fines debitos. Qui etiam fatum reducerent ad corpora cœlestia, dicentes sub nomine *fati* intelligi ineuitabilem astrorum impressionem, cui omnia, etiam humana negotia, subijcerentur indispensabiliter; in alium errorem impingerent: cùm per illud lęderetur humana libertas, tolleretur consultatio, hominesque laudandi aut vituperandi non essent, sicut nec afficiendi pręmio, aut plectendi pœna, si cuncta acciderent necessariò & ineuitabiliter. Hæ ergo opiniones extremæ repudiari debent, & media tanquam catholica sectanda est, de qua erit

CONCLVSIO.

SI per fatum intelligatur ordo causarum secundarum præuisus à Deo, per quem Deus sinit res agere & euenire contingenter & liberè, infallibiliter tamen, nil magis catholicum. Talis enim definitio *fati* nil continet quòd non sit conforme principijs fidei catholicæ, quę solemniter commendat Prouidentiam D. Sapientiam eius in regendo, libertatemque hominis in operando. Quando enim de *fato* dicitur, quòd sit ordo & connexio causarum secundarum; hoc denotat Prouidentiam D. quæ causas particulares subordinauit vniuersalibus, & vniuersales secundas ipsi Deo, à quo omnia dependent, tanquam à supremo & sapientissimo moderatore omnium. Quando additur *quod illa connexio causarum secundarum sit præuisa à Deo*; hoc indicat omnia & singula quę eueniunt in tempore, esse ab æterno manifesta Deo ipsi. Quando denique subiungitur *quòd illa connexio causarum præuisa à Deo sit talis, vt Deus sinat res agere proprios motus*; istud manifestè demonstrat, quòd præuisio Dei respectu futurorum nullum afferat præiudicium agentibus liberis,

quandoquidem Deus finens omnia agentia obire fines suos conformiter illorum naturæ, permittit vt naturalia agant naturaliter, necessaria necessariò, contingentia verò & libera contingenter & liberè.

Valeant ergo qui finxerunt *fatum* esse necessitatem quandam ipsismet Dijs ii adominantem, vt illius fatalem necessitatem mutare non possent: vnde Homerus inducit Thetim & Iouem deflentes futuram Achillis mortem; quam nequibant auertere, propterea quòd in fatis esset exarata, & cum alijs euentibus descripta in tabulis æneis, quas dij poterant quidem nosse, sed emendare nullo modo. Abeant, inquam, tales & tam fabulosæ Poetarum fictiones, fidesque sola adhibeatur Patribus Catholicis, qui per *fatum* nihil aliud intelligunt quàm ordinationem causarum secundarum ad effectus diuinitùs intentos, salua semper libertate hominum, & immutabilitate D. præscientiæ, quarum conciliationem vidimus in logica, *ostendentes durarum propositionum de futuro contingenti vnam esse determinate veram, & alteram determinate falsam.*

QVÆSTIO III.

Quid dicendum sit de Monstris.

LIcèt non immeritò posset reseruari hæc materia ad libros de generatione, cùm inter generandum adueniant sæpius defectuositates naturæ; quia tamen hoc in libro explicantur ab Aristotele, & aliquo modo sunt à fortuna & à casu, cùm rarò eueniant & præter intentionem naturæ, quę non agit nisi vt suam formam effundat in materiam, & sibi simile producat: ideo non à ratione alienum videtur hic breuiter in tribus conclusionibus dicere, *quid sit monstrum, in quibus rebus accidat, & quænam sint monstrorum causa.*

CONCLVSIO PRIMA.

MOnstrum etymologiam sui nominis desumit à monstrando inquit Aug. 21. ciuit. Dei cap. 8. ue quia futurum aliquem euentum monstrat & prędifit, iuxta Ciceronem 2. *de natura Deorum*; siue quia cis insolitę ab omnibus spectantur & monstrantur multis,

tis, quia monstrum est effectus deficiens ab aliqua lege, quod Aristoteles vocat *peccatum naturæ 2. phys. tex. 82.* Cum lex sit triplex, nempè moris, naturæ, & artis, triplex constituitur monstrum. Vnum est *morale*. quod in moribus occurrit, quando aliquid fit contra legem moralem; cuiusmodi est peccatum. Aliud est monstrum *artificiosum*, quod nihil est aliud, quàm error & defectus in operibus artificiosis. Tertium denique est monstrum naturale, quod à lege naturali deflectit; & illud est de quo intendimus loqui impræsentiarum.

Monstrum secundùm rem definitur *effectus naturalis à recta & solita secundùm speciem dispositione degenerans*; vt colligitur ex 2. *phys. tex.* 82. & 4. *de generat. animalium cap.* 4. Dicitur primò *effectus*, & est genus definitionis, in quo conuenit *monstrum* cum alijs effectibus benè ordinatis. Dicitur secundò *naturalis*, quia in artefactis si aliquis defectus contingat, non monstrum, sed error, appellatur. Dicitur 3. *à recta dispositione degenerans*, quia vbi nullus error intercessit, non est monstrum; sed necesse est, quòd effectus monstruosus deflectat ab ordine & lege quam præscripsit natura operibus suis. Dicitur 4. *à solita dispositione deuians*, quia id quod iam est in vsu non dicitur *monstrum*; vt quando pigmæi generantur à pigmæis, & gigantes à gigantibus. Dicitur 5. *Secundùm speciem*, quia fieri potest vt aliquod corpus habeat omnia membra benè figurata, si tamen illa figura non sit secundùm naturam specificam ad quam pertinet indiuiduum, tunc erit monstrum; vt si homo nascatur cum pede vituli quantumcumq; benè formato: quia hæc figura pedis non debetur naturæ humanæ, vnde pes ille erit monstruosus in homine, sicut pes hominis monstruositatem efficeret in corpore vituli.

CONCLVSIO SECVNDA.

M*Onstra eueniunt maximè in rebus quæ plura ad sui productionem & perfectionem requirunt*. Vbi enim plura requiruntur, ibi faciliùs contingunt defectus; vnde in elementis nulla sunt monstra, quia illorum natura est simplex & vniformis. In mixtis inanimatis, puta in lapidibus & metallis, possunt interuenire *monstra*, quando scilicet deuiant à natura aut

proprietatibus vel figuris quas debent habere; quia tamen in talibus non apparent defectus, ideò facilè non possunt percipi illorum monstruositates. In plantis clarum est reperiri posse monstra, quoniam à via communi præter intentionem naturæ possunt habere aliquando defectus. Clarius verò in animantibus, quæ cùm sint perfectiora, plura existunt ad sui complementum; in quorum aliquo deflectere & aberrare potest natura. Imò partus hominum, cæteris paribus, frequentiùs monstruosi nascuntur, quàm ferarum; cùm homines libertate sua sæpiùs naturæ leges turbent, aut vi imaginationis multum valentis in corpus virtutem formatricem peruertant, aut peccatis suis has speciei suæ prouocent contumelias: vbi bruta, quæ magis viuunt secundùm naturam, & quæ imaginationis impetu non plurimùm turbantur, tales defectuositates non admittunt; nisi aliquando per quædam accidentia à naturæ legibus cogantur declinare: vt leæna, quæ inopia proprij masculi pardum admittit, ex quo leopardus monstrum quoddam in Africa satis frequens procreatur.

Si quæratur autem *cur Deus in mundo permittat nasci monstra*; cùm per prouidentiam suam omnia gubernet, & debeat dirigere agentia & causas ad effectus suos conformiter regulis quibuslibet speciebus præfixis: *Resp.* hoc permittere Prouidentiam D. propter ornatum mundi, vt fieret magis spectabilis ex deformium & elegantium varietate. Deinde vt prædictum est, ad peccata punienda terroremque incutiendum improbis & nefarijs hominibus. Tandem vt agnoscat creatura se indigere ope & præsidio Dei, sine quo semper deficit. Quibus addi potest Deum defectus pati inter homines, vt illi qui sunt integro corpore, & elegantiam formæ habent, grâtias Deo rependant, quòd nullam in se ipsis habeant monstruositatem, quam habent alij; & ex hoc occasionem sumant gratias agendi Dei, ipsiusque laudandi bonitatem.

CONCLVSIO TERTIA.

V*Aria monstrorum causa assignantur*. Primò vel ob *materiæ redundantiam*, quæ membra multiplicat; vel ob *materiæ penuriam*, quæ aliqua membra distrahit aut minuit; vel ob eius commixtionem, quando se-

mi-

mina diuersa speciei confunduntur : vnde in Africa sæpissimè reperiuntur *monstra*, se commiscentibus belluis ad aquas quæ ibi raræ sunt ; & ideò communiter dicitur, quòd *semper Africa aliquid noui habeat*. Secundò ex *parte virtutis seminalis*, quæ ita aliquando debilis est, vt perfectum fœtum efformare non valeat. Tertiò ex *parte secundinæ*, quæ est pellicula fœtum inuoluens ; & quæ ob angustiam ita aliquando materiam coarctat, vt Pigmæi procreentur ; vel ob amplitudinem ita materiam extendit, vt fiant gigantes. Quartò ex *parte influentiarum*, quarum impressiones ita malignæ sunt, vt tenero fœtui maximè noceant. Quintò ex *parte quatuor qualitatum*, quarum vna alteram nimium excedit ; & ob hoc ex nimio calore aliqui infantes barbati nati sunt, & alij canescunt in puetitia ex nimia humiditate. Sextò ex parte imaginationis matris actu concipientis, quæ interdum tanta est, vt mulieres fœtui suo impresserint figuram eorum, quæ firmiter in tempore conceptionis apprehenderunt. Septimò denique *propter parentum occulta crimina*, quæ Deus vindicare peroptat in fœtibus.

Quia aliquando visi sunt infantes habentes biceps caput cum vno tantùm corpore, vel duplex corpus sub vno capite tantùm, vel duplex caput & duplex corpus simul vnita, dubitarique possit, sit ne vnus homo, vel multiplex : Ad hoc respondet Arist. 4. *de gener. animalium*, quòd si talis fœtus vnicum habeat cor, tunc erit vnicum animal ; & duplex, si corde geminato constet : quia cor, vt inquit Philosophus, est origo & sedes vitæ : vnde ex vnitate vel duplicitate eius debet statui vnicum vel duplex animal. Dignosci autem poterit, an cor sit vnum vel duplex, si infans habeat vnicum & vniformem pulsum, aut varium & difformem, inquit Scotus *in 4. dist. 6. quæst. 2.* Quòd si partus ille adolescat, apparebit euidenter an sit vnus homo vel duplex, ex identitate vel diuersitate intellectionum & volitionum ; quia vnitas vel multiplicitas animalis desumitur à rationali anima.

DISPVTATIO TERTIA.

De Proprietatibus Rerum Naturalium.

CVm proprietates subiecti sequantur ad essentialem illius constitutionem per principia & causas, ideo postquam egimus in prima disputatione de rerum naturalium principijs, & in secunda de causis illarum, tum per se, tum per accidens, quod facit Aristoteles in duobus primis libris physicorum; superest, vt in hac disputatione agamus de *rerum naturalium proprietatibus*, quas in sex vltimis physicorū libris tradidit idem philosophus. Hanc autem disputationem per tot capita absoluemus, quot proposuit libros Aristoteles, nimirum sex; in quorum primo agetur de *quantitate*, in 2. de *infinito*, in 3. de *loco*, in 4. de *vacuo*, in 5. de *tempore*, & in 6. de *motu*, quem ad calcem huius disputationis reseruamus: cùm plura de illo dicere necessaria sint: quandoquidem ipsemet Aristoteles in omnibus libris physicorum, deptis primo, secundo & quarto, aliquid dicit de *motu*.

CAPVT PRIMVM.

De Quantitate.

SI disputatio ista instituta sit de proprietatibus rerum naturalium, in ea tamen proprietates non sumuntur rigorosè, pro eo quod fluit essentialiter & intrinsecè à subiecto, & quod solum formaliter ab illo distinguitur; quantitas enim, locus, tempus, & motus, de quibus sumus principaliter acturi, realiter à corpore naturali distinguuntur: & sic non sunt illius proprietates strictè sumptæ, sed potiùs videntur esse accidentia quædam inseparabilia à rebus naturalibus, quæ non possunt esse sine quantitate, sine loco, tempore, & motu, vt probat experientia. Loquuturi autem de istis exordium sumere debemus à quantitate, quæ primum est inter accidentia absoluta, quæ compositum naturale sequuntur. Porrò quia in logicis plura iam præfata sunt de quantitate, quæ hic resumi non debent; ideo quatuor tantùm examinanda supersunt. An scilicet *quantitas*

titas distinguatur realiter à substantia. *An in continuo, seu in quantitate continua sint indiuisibilia positiua*. *An continuum componatur ex indiuisibilius*. *An* denique *continuum diuidatur in semper diuisibilia*. Quibus principalioribus quæstionibus quædam minus principales adiungi poterunt, nè inexplicatum aliquid remaneat eorum quæ concernunt quantitatem.

QVÆSTIO PRIMA.

An Quantitas realiter distinguatur à Substantia.

VIsis in logica quid sit quantitas, quæ sint illius species, quænam sit ratio formalis quantitatis, quas habeat species quantitas continua permanens, quòd tempus & motus sint legitimæ species quantitatis continuę successiuæ, quasdam species habeat discreta quantitas, ac tandem quæ sint proprietates quantitatis; nunc opere pretium est, vt videamus *an quantitas distinguatur realiter à substantia*. Nominales cum Ochamo *in 4. dist. 4.* & *quodlib. 4. quæst. 29.* sentiunt quantitatem non distingui à substantia, sed esse ipsammet substantiæ entitatem, quę quatenus est *ens per se subsistens*, dicitur substantia, & quatenus *habet partes extra partes* vocatur quantitas. Contrarium tuentur vtriusque scholæ discipuli.

CONCLVSIO.

QVantitas *realiter distinguitur à substantia*. Sic Scotus *in 4. dist. 10.* §. ad quæstionem ergo. Cum D. Bonau. Ibidem art. 1. quæst. 1, ad 2. Sic etiam antea Arist. in logica cap. de quantitate. In met lib. 1. cap. de quanto, & explicitis verbis 7. met. tex. 8. vbi ait; *longitudo, latitudo, & profunditas, quantitates quædam sunt, sed non substantia, quantitas enim non est substantia.* Ratio nostra est quia ens distribuitur in substantiam & accidens, tanquam in membra opposita sed vnum membrum non potest realiter identificari cum alio; ergo quantitas, cùm sit accidens, realiter distinguitur à substantia. Imò sunt diuersi generis, & proinde diuersæ speciei; cùm iuxta regulam Antepradicamentalem, *diuersorum generum diuersa sint spe-*

ſpecies, *differentia*, *& indiuidua*. Deinde *ea diſtinguuntur realiter, quorum vnum perſiſtit alio pereunte*; ſed fides catholica docet quantitatem panis in Euchariſtia remanere ſeparatam à pane, qui poſt conſecrationem non amplius remanet: ergo quantitas diffidet à ſubſtantia. Tandem *non ſunt multiplicanda entia ſine neceſsitate*; ſed ſi quantitas non diſtingueretur realiter à ſubſtantia, multiplicarentur entia ſine neceſſitate: ergo admittenda eſt diſtinctio realis inter quantitatem & ſubſtantiam.

Probatur minor per explicationem mentis Nominalium, qui dicentes quantitatem non diſtingui à ſubſtantia: tot ponunt in vna & eadem re quantitates, quot ſunt entitates in illa; ita quòd in pomo ſit vna quantitas ſubſtantiæ pomi, alia quantitas coloris pomi, alia ſaporis, alia odoris, & ſic de alijs accidentibus quæ ſunt in pomo; ſed multiplicare quantitates pro multiplicatione entitatum, eſt *multiplicare entia ſine neceſsitate*, quoniam vna quantitas ſufficit ad extenſionem ſubſtantiæ pomi, & omnium accidentium eius: ergo ſi quantitas non diſtingueretur realiter à ſubſtantia, entia multiplicarentur ſine neceſſitate. Adde quòd ſi ſubſtantiæ & accidentium darentur plures quantitates, deberet etiam admitti naturalis dimenſionum penetratio, quandoquidem quantitas ſaporis pomi penetraret quantitatem coloris, odoris, & ſubſtantiæ pomi, quod non admittent aduerſarij, qui negant poſſibilem eſse talem penetrationem dimenſionum. *Quod autem in eo caſu deberet admitti penetratio quantitatum*, patet ex eo quòd ſicut color, ſapor, & odor pomi penetrant pomi ſubſtantiam, ſic etiam quantitas ſaporis penetraret quantitatem odoris & ſubſtãtiæ eiuſdem pomi.

Obijciunt Nominales argumentum ex fide deſumptum contra illos eſse nullum, quia facta conſecratione non remanet quantitas panis, ſed ſola quantitas accidentium, nimirum quantitas ſaporis, quantitas albedinis, &c. *Reſp.* hoc eſse falſum, quia Patres aſserunt expreſsè veram quantitatem panis remanere. Deinde iam antea oſtendimus non remanere quantitatem accidentium, quia accidentia non habent quantitatem particularem; aliàs fieret *penetratio dimenſionum*, quæ reſultat ex poſitione plurium quantitatum in eodem loco & in eodem ſitu: vnde opinio communis eſt *quòd in quolibet compoſito ſit tantùm vna*

quan-

quantitas, per quam, tum materia, tum forma, tum alia accidentia extenduntur.

Obijcies 2. quę habent easdem proprietates, eandem habent essentiam; sed substantia, & quantitas easdem habent proprietates, cùm vtraque suscipiat contraria, albedinem scilicet, & nigredinem: ergo realiter, & essentialiter non distinguuntur. *Resp.* mai. esse veram de proprietate *quarto modo* sumpta, quæ conuenit omni, soli, & semper; falsam verò de aliis. *Suscipere autem contraria* non est proprietas *quarto modo*, quoniam conuenit omni, sed non soli; substantia enim, & quantitas contraria suscipiunt, cum hoc discrimine, quòd substantia sit subiectum *quòd* contrariorum, mediatum scilicet, & remotum; quantitas verò est subiectum *quo*, immediatum, & proximum.

Obiicies 3. non potest separari quantitas à substantia: ergo non distinguitur realiter ab illa. *Probatur ant.* Si quantitas posset abstrahi à substantia, abstracta quantitate, corpus esset adhuc diuisibile, & proinde extensum, & quantum, & sic esset simul quantum, & non quantum, quod repugnat; *Resp.* antecedens negandum esse, cùm antea dixerimus quantitatem panis esse separatam in Eucharistia à substantia panis. Quando autem dicitur *quòd abstracta quantitate corpus remaneret adhuc diuisibile* hoc distinguendum est, & dicendum quòd substantia corporis esset diuisibilis in partes entitatiuas, quia earum quælibet esset ens; non esset autem diuisibilis in partes quantitatiuas, quæ essent extensæ in ordine ad locum: quandoquidem hoc habetur à quantitate, quam obiectio supponit esse separatam à substantia corporea.

Quæres *à quo compositum materiale habeat partes*: Ad hoc praenotari debet quòd totum physicum materiale, puta *homo*, quatuor genera partium habeat; quarum primæ sunt *metaphysicæ*, nempè genus, & differentia, quæ sunt animal, & rationale. Secundæ sunt partes *physicæ*, materia videlicet, & forma, seu corpus & anima. Tertię sunt partes *integrantes* vel *entitatiuæ*, vt caput, collum, pectus, pedes, venter, & brachia; quæ corpus humanum integrant. Vltimæ sunt partes *quantitatiuæ*, quæ nihil aliud sunt quam supradictæ partes, prout habent *extensionem*. Hoc posito, *Respondeo* compositum materiale habere partes quantitatiuas & extensas à quantitate; ita quòd si Deus denudaret

cor-

corpus aliquod propriâ quantitate, non ampliùs haberet partes quantitatiuas seu extensas, quia effectus formalis nusquam esse potest sine causa formali; sed extensio partium est effectus formalis quantitatis: ergo separata quantitate, corpus non haberet amplius partes extensas. Quando autem dicitur *supposito quod Deus separaret quantitatem à Petro*, caput illius esset adhuc extra collum, & collum extra humeros; quod denotat substantiam sine quantitate habere adhuc partes extensas, quia partes essent extra partes: *Responderi* debet in tali suppositione Petrum conseruaturum esse partes entitatiuas, quia vna pars non esset alia, quoniam distinguerentur intrinsecè, non esset confusio essentialis partium; attamen Petrus non ampliùs haberet partes quantitatiuas, & extensas: quandoquidem illæ habentur à quantitate.

Resp. 2. Compositum materiale habere partes *entitatiuas* seu *integrantes* independenter à quantitate, vt innuit Doctor in 2. *dist.* 3. *quæst.* 4. ita quòd si quantitas separaretur à Petro, corpus Petri haberet adhuc partes substantiales ita distinctas, vt vna non esset altera; licèt vna esset in eodem loco, vbi esset altera: & hoc immediatè per substantiam illius Petri, quæ cùm sit corporea, & habeat partes integrantes ex quibus componitur, nempè collum, caput, & brachia, ideo censeri debet habere partes independenter à quantitate. Hoc tamen notari debet; quòd si Deus conseruaret substantiam Petri sine quantitate, nullę amplius remanerent partes heterogeneæ in Petro, ossa nimirum, aut nerui, aut sanguis; quia partes non fiunt heterogeneæ, nisi per receptionem diuersarum dispositionum in diuersis partibus materiæ, quæ diuersæ dispositiones recipiuntur, & conseruantur per *quantitatem*. In eo autem casu remanerent tantùm partes entitatiuæ, & substantiales materiæ, quæ omnes homogeneæ essent, & eiusdem rationis, si ab illis tolleretur quantitas. Si Deus autem sine quantitate conseruaret substantiam Petri in eodem loco vbi antea erat cum quantitate, tunc talem substantiam Petri poneret Deus in illo puncto quod eligere vellet illius loci vbi prius erat; vel ipsius substantia Petri cōseruaretur tota in toto loco vbi præfuerat, & tota in qualibet loci parte, vti corpus Christi est in tota hostia, & in qualibet particula hostiæ.

Quæ-

Quæres *an possit extensio externa quantitatis esse sine extensione externa ad locum*. Ad cuius solutionem, notandum est extensionem nihil aliud esse ex *nomine*, quàm extra tensionem, & secundùm *rem* nihil aliud dicere quàm positionem partium, quæ duplex est, interna scilicet, & externa. Extensio *interna* est positio partium in toto, quæ est de genere quantitatis, & illius essentia, vt in logicis diximus: externa verò est positio partium in loco, seu in ordine ad partes loci, quæ est de genere situs. Constat quidem, extensionem internam non posse naturaliter existere absque externa, seu absque locali commensuratione, quia hæc naturaliter sequitur ex illa, veluti effectus à causa, & lumen à corpore luminoso. *An autem hoc fieri possit diuinitus*. Respondeo affirmatiuè contra hæreticos Lutherum, & Caluinum, qui dicunt *repugnare* extensionem externam quantitatis in ordine ad locum posse separari ab interna extensione partium in toto. *Quod* autem *externa quantitas possit separari ab interna*, patet ex hoc quòd Christus ingressus fuerit ad discipulos *ianuis clausis*, & antea ex vtero virginis, *inuiolato* claustro illius; quod vtrumque fieri non potuit, nisi per separationem extensionis externæ ab interna, vt fit quotidie in Eucharistiæ Sacramento, vbi corpus Christi nullam habet extensionem externam actualem ad locum, sed aptitudinalem duntaxat. Ratio huius est quia *in essentialiter subordinatis potest prius virtute D. esse sine posteriori*, sol nimirum sine productione luminis; sed extensio interna quantitatis partium in toto sibi subordinat extensionem externam, & localem, eaque est prior ista: ergo potest interna quantitas separari ab externa. Cum enim præfatæ extensiones spectent ad diuersa prædicamenta extensio interna ad prędicamentum quantitatis, & externa ad prædicamentum situs, proinde separari possunt ab inuicem.

Si in contrarium afferatur D. Augustinus *epist. 49. ad Dardanum* dicens *quòd si locorum spatia tollantur à corporibus, tunc ista non erunt*. Resp. per hæc verba velle tantùm sanctum doctorem, naturali virtute corpora non posse existere, nisi extendantur in ordine ad loca: non negat tamen hoc posse fieri diuinitus. Dices quantitas interna dicit continuitatem, & continuum habet partes extensas, quarum vna est extra aliam, quod non potest esse sine ordine ad locum. *Resp*. negando vltimum.

mum. Licèt enim quantitas dicat continuitatem,& extensionem in ordine ad se, neutram tamen dicit essentialiter in ordine ad locum, si interueniat potentia Dei absoluta. Quòd si dicatur extensionem externam esse proprietatem externę à qua non potest separari supernaturaliter,sicut nec visibilitas à rationalitate. *Resp.* extensionem in ordine ad locum non esse proprietatem internæ, nisi quatenus est aptitudinalis; vnde sicut rationalitas non potest diuinitus separari ab aptitudine ridendi, sic nec extensio interna separari potest ab extensione aptitudinali externa: hoc tamen non impedit quin quantitas interna possit priuari externa extensione actuali, quæ non est proprietas, sed effectus internæ.

QVÆSTIO II.

An in Continuo sint Indiuisibilia Realia Positiua.

SVfficienter dictum est in logica quantitatem continuam illam esse, cuius partes vinculo communi copulantur; sic linea copulatur punctis, superficies lineis, corpus superficiebus, motus *mutatis esse*, & tempus momentis. Illud autem vinculum ideò dicitur indiuisibile,quia caret,& partibus entitatiuis,& quantitatiuis. Duplex enim est indiuisibile, vnum videlicet *substantiale*, quod non habet partes entitatiuas, vt Angelus,& anima rationalis: & aliud *quantitatiuum*, quod partes quantitatiuas, & extensas non obtinet; vt punctum in linea, & instans in tempore. Punctum in quantitate continua duplex etiam est, *Terminans* videlicet extremitates quantitatis ex parte principij, & finis, & *Continuans* partes quantitatis continuæ; quæ talis dicitur, quia partes eius copulantur termino communi, qui est punctum in linea, quod vnam partem lineæ coniungit cum alia. Super quæstionem propositam tres habentur opiniones, quarum *prima* est Ochami, & Nominalium, qui dicunt talia indiuisibilia non esse realia, sed entia purè negatiua, seu negationes vlterioris extensionis. *Secunda* est eorum qui volunt dari quidem indiuisibilia terminantia, non verò copulantia. *Tertia* denique admittit in continuo dari indiuisibilia positiua, tam copulantia, quàm terminantia.

tia. Sic Scotus *in 2.dist.2.quaest.9.* cum maiori philosophorum numero.

CONCLVSIO.

I*Ndiuisibilia quantitatis continuae tum terminantia tum continuantia sunt entia realia & positiua.* Sic Arist. 5. *met. cap.6.* Hoc probat Aug. *lib. de quantitate animae cap. 11. & 12.* vbi loquens de puncto, quod est indiuisibile terminans & copulans lineam, ait *ab ipso incipit linea, ipso terminatur*; & paulo post subiungit, *nulla linea copulatur lineae, nisi per ipsum*. Quod autem dicitur de *puncto* respectu lineae, debet etiam dici de linea respectu superficiei; & de superficie respectu corporis, cùm sit par vtrobique ratio: & proinde qualibet quantitas continua habet realiter & positiuè indiuisibilia, quae extremitates terminant, & copulant partes. *Deinde* Geometria supponit in medio circuli esse punctum vnum, quod *centrum* dicitur *à quo omnes lineae ductae ad circumferentiam sunt aequales*? sed talis scientia est realis: ergo indiuisibilia in quantitate sunt realia. *Tandem* quantitas continua definitur, ea cuius partes termino communi copulantur, qui est *punctum*, & punctum est indiuisibile; sed partes quantitatis continuae sunt reales & positiuae; ergo indiuisibilia quantitatis continuae sunt positiua, quandoquidem continentur in definitione entis realis positiui.

Puncta inquam, tam copulantia quàm terminantia, sunt realia & positiua. Quia sicut partes extremae quantitatis continuae terminantur indiuisibilibus, nimirum punctis: sic etiam partes mediae eiusdem lineae copulantur punctis; alias *quantitas continua*, quae est accidens reale & positiuum, non definiretur *ea cuius partes termino communi copulantur*. Ob hoc Arist. 6. *phys. cap. 1.* discutit *num continuum componatur ex punctis*, quod intelligi debet de punctis *copulantibus*, cùm euidens sit puncta terminantia non componere continuum; sed quae componunt aliquod totum reale & positiuum debent esse realia & positiua; ergo supponit Aristoteles quòd puncta copulātia sint entia realia & positiua. Quòd à fortiori dicendum est de punctis & indiuisibilibus, quae terminant quantitatem continuam; cùm manifestum sit talem quantitatem actu

ter-

terminari per puncta. Videantur quæ addita sunt in 3. obiect. & post eam.

Obijces 1. Ex Arist. 8. *Phys. tex.* 68. punctum non est actu in continuo, sed tantùm in potentia: ergo indiuisibilia non sunt in continuo quid positiuum & reale. *Respondeo* puncta non sunt *actu* penes diuisionem, concedo: penes existentiam, nego. Licèt enim puncta quæ sunt in continuo non diuidant actu continuum, sed tantùm in potentia, si scilicet diuidatur in plures partes, hoc tamen non impedit quin puncta actualiter existant in continuo, cùm semper definiatur à parte rei, *id cuius partes termino communi copulantur.* Quòd si idem philosophus 3. *phys. tex.* 25. dicat punctum cognosci per priuationem: hoc non impedit quin in se sit quod positiuum, quod meliùs dignoscitur per negationem diuisionis. *Si dicatur* vlterius, punctum non habere subiectum in quo sit, quia est indiuisibile, & quilibet locus est diuisibilis, cùm sit quantitas: *Resp.* punctum non esse in loco ratione sui, quia *reuerà omne locatum est diuisibile*; attamen est in loco ratione continui cujus est terminus.

Obijcies 2. Sicut materia & forma in composito seipsis vniuntur, ita partes continui & lineæ seipsis copulantur in continuo. *Resp.* non esse parem rationem, quia materia & forma vniuntur per penetrationem mediam, quoniam forma est in omnibus partibus materiæ, & in omni loco vbi est materia; duæ verò partes quantitatis non possunt se penetrare, immò sese expellunt, & proinde indigent vinculo *communi*, quo iungantur simul. *Dices* quod copulat duas partes, debet partim esse in vna, & partim in alia: sed hoc non potest dici de puncto, cùm sit indiuisibile: ergo linea non copulatur punctis. *Resp.* maj. fore veram, si punctum esset in linea tanquam in loco & tanquam in subiecto, tunc enim vtramque partem lineæ tangeret; punctum autem non est in linea tanquam in subiecto, quia est in vtraque parte lineæ *per se* totum, tanquam terminus indiuisibilis.

Obijcies 3. Partes lineæ & cuiuslibet continui non sunt actu partes distinctæ, quia in continuo esset actualis multitudo: ergo non copulantur actu per puncta: quæ proinde non debent censeri actualia. *Resp.* in quolibet continuo esse partes actualiter distinctas, aliàs continuum non esset totum actua-

le

le *quantitatiuum*;non sunt tamen actualiter diuisæ,aliàs multiplicaretur continuum. Puncta ergo seu indiuisibilia, quæ copulant partes continui, sunt actualia; quia *actu* copulant, & impediunt *actu*, nè diuidatur continuum. Quando autem tale continuum actu diuiditur, tunc illa indiuisibilia quæ antea erant copulantia,fiunt terminantia,non quidem per veram productionem, sed per resultantiam naturalem; quia sequuntur ad diuisionem continui.

Ex his ergo omnibus antedictis patet, contra Durandum indiuisibilia in continuo esse actualia & positiua, non verò esse tantùm negationes vlterioris longitudinis. Patet etiam ineptè alios contra Thomistas & Scotistas reijcere indiuisibilia continuantia, & sola terminantia retinere, cum sufficienter probatum fuerit per plures rationes dari indiuisibilia copulantia; quæ actu & positiuè coniungunt partes quantitatis continuæ. Quòd vlteriùs inuincibiliter confirmatur per hoc quod dicunt Mathematici. *Si corpus perfectè sphæricum vel pyramidale caderet super corpus perfectè planum, illud tangeret istud in puncto?* quia si corpus illud sphæricum haberet aliquam planitiem continuam & diuisibilem in qua tangeret planum non esset perfectè sphæricum, sed illa duo corpora *planum* & *sphæricum* se tangerent in aliquo reali & positiuo: ergo tum in corpore plano, tum in corpore sphærico reperiuntur puncta, quæ actu & positiuè copulant partes continui sphærici & plani.

QVÆSTIO III.

An Continuum componatur ex Indiuisibilibus.

EX antecedenti quæstione probatum est in continuo dari indiuisibilia, quæ actu & positiuè terminant continuum,& copulant eius partes simul. Ita quòd in linea sint puncta, quæ vtrumque faciant, sicut in superficie dantur lineæ diuisibiles in latitudine, quæ terminant & copulant partes superficiei: & in corpore reperiuntur superficies indiuisibiles in profunditate, quæ terminant & copulant eius corporis partes: *An autem indiuisibilia quæ reperiuntur in continuo ipsum componant*, antiquorum plurimi, vt Zeno, Pythagoras, Democritus, & Plato existimarunt continuum compo-

poni ex Indiuisibilibus ;communiter tamen hoc ab alijs negatur.

CONCLVSIO.

Continuum non componitur ex indiuisibilibus. Sic Scotus *in 2.dist 2. quæst.9. & 2.Metaph.quæst.6.* post Arist. *6. Phys. cap.1.* Ratio omnium ferè Philosophorum est, quòd continuum sit diuisibile; sed indiuisibilia, quantumcumque reduplicentur, non possunt efficere diuisibile: ergo continuum non componitur ex *indiuisibilibus*. Licèt igitur linea constet punctis, superficies lineis, & corpus superficiebus, tanquam terminis copulantibus & finienribus partes talium continuorum, non tamen constant illis indiuisibilibus tanquam partibus, quæ componant talia continua; sed linea componitur ex alijs lineis minoribus, istę ex alijs, & sic deinceps in partes semper diuisibiles. *Deinde* continuum est diuisibile in partes æquales iuxta Euclidem *lib. 1. Elementorum*; sed non esset diuisibile in partes æquales, si componeretur ex indiuisibilibus: ergo. *Probatur min.* per exemplum lineæ compositæ ex quinque punctis, quæ si diuidatur in duas partes, vel vna constabit duobus punctis & altera tribus, & protunc partes non erunt æquales, vel vna constabit duobus punctis & dimidio sicut altera, & tunc punctum erit diuisibile; quod est contra naturam puncti, quod definitur, *id cuius pars nulla est*. Tandem quæ componunt continuum se tangunt tactu continuitatis, alioquin non esset continuum, sed discretum; indiuisibilia autem non se tangunt *secundùm totum*, aliàs non facerent quid maius, cum *indiuisibile additum indiuisibili quid maius non efficiat*; nec etiam *secundùm partem*, cùm sint indiuisibilia & impartibilia: ergo continuum non componitur ex *indiuisibilibus*.

Obijcies ex Arist *1. Topic. cap. 14.* sicut se habet vnitas ad numerum, sic punctum ad lineam, sed vnitates componunt numerum, quoniam quinarius componitur ex quinque vnitatibus; ergo puncta componunt lineam. *Resp. ad mai.* punctum se babet vt vnitas, in ratione *principiationis*, concedo: in ratione *compositionis*, nego. Sicut enim numerus ab vnitate sumit exordium, sic linea ducit initium a puncto: vnitas tamen est pars componens numerum, & puncta non com-

componunt lineam. *Dices* corpus perfectè sphęricum tangit planum in puncto ex Arist. 1. *de Anima text.* 13. Ergo si corpus perfectè sphæricum trahatur per planum percurreret ipsius longitudinem tangendo tantùm puncta; & sic planum constabit ex punctis. *Resp.* sphæram dum quiescit super planum tangere illud in puncto, quando verò continuè trahitur & mouetur, non tangit ampliùs in puncto, sed in linea; quia cùm ille motus sit continuus, debet illi respondere subiectum proportionatum, quod continuum sit, & per consequens diuisibile. *Dices*. Puncta lineæ sunt sibi inuicem proxima & immediata: ergo linea fit ex punctis. Negatur antecedens, quia inter duo puncta eiusdem continui sequitur pars lineæ, vt ait Scotus 2. *Metaph. quæst.* 7. sicut post *instans* sequitur pars temporis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Continuum sit in Infinitum diuisibile.

IN hoc differunt Continua, Contigua, & Consequenter se habentia, quòd *continua* sint ea quorum vltima sunt vnum, & copulantur termino communi, qui est finis vnius partis & principium alterius. *Contigua* ea sunt quorum extrema non sunt vnum, sed sunt simul; ita quòd nihil mediet inter vtrumque. *Consequenter se habentia* sunt illa quorum extrema non sunt vnum, nec simul, sed inter ea nihil mediat quod sit eiusdem generis; vtpotè cùm in certa quadam distantia ordinantur arbores. Hìc loquuturi sumus non de contiguo, sed de *continuo*; de quo quærimus *an sit diuisibile in infinitum saltem syncategorematicè*: ita quòd in diuisione ipsius nunquam deueniri possit ad aliquam partem, quæ sit indiuisibilis.

CONCLVSIO.

Continuum est diuisibile in infinitum. Sic Arist. 6. *phys. cap.* 1. & Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. & communiter Philosophi, paucis demptis, qui tenentes continuum componi ex solis *indiuisibilibus*, inferunt ipsum diuidi in diuisibilia certa, determinata, & finita. Ratio nostra est quia *id quod est diuisibile in semper diuisi-*

visibilia, est diuisibile in infinitum; sed continuum est diuisibile in partes semper diuisibiles, quia quælibet pars continui est quantitas, & omnis quantitas est diuisibilis: ergo continuum est diuisibile in infinitum, ita vt quælibet pars illius, quantumcumque minima sit, possit vlteriùs diuidi. *Deinde* vnumquodque resoluitur in ea ex quibus componitur, vt patet de corpore mixto, quod resoluitur in elementa, quæ illud componunt; & de homine qui resoluitur in corpus & animam, quæ componunt ipsum; sed continuum componitur ex diuisibilibus, vt vidimus in præcedenti quæstione, vbi probauimus indiuisibilia non componere continuum: ergo continuum est resolubile in semper diuisibilia, & proinde in infinitum syncategorematicè. *Tandem* si continuum non esset diuisibile in partes infinitas, esset diuisibile in partes finitas, quia *inter finitum & infinitum nil mediat*. Hac autem diuisione facta quæri posset, *an vna illarum partium finitarum esset diuisibilis, vel indiuisibilis*; si est indiuisibilis, continuum componitur ex indiuisibilibus, contra præcedentem conclusionem: Si autem est diuisibilis, pari ratiocinatione arguendum erit de illa; quod sit vlteriùs diuisibilis, & sic semper quælibet pars erit diuisibilis in partes semper diuisibiles: ex quo patet continuum esse diuisibile in infinitum syncategorematicum tam in se, quàm in suis partibus etiam minimulis; cùm nunquam in illius diuisione possit deueniri in aliquam partem ita exiguam, vt non possit ampliùs diuidi: vnde dicit Philosophus quantum esse diuisibile *in ea quæ insunt*, id est, in ea quæ sunt diuisibilia, vt ait interpres.

Obijcies 1. Si continuum esset diuisibile in infinitum granum sinapis esset æquale toti mundo; quia vtrumque esset diuisibile in infinitas partes. *Resp.* negando consequentiam: licèt enim granum sinapis esset diuisibile in tot partes, ac mundus est diuisibilis, non tamen est diuisibile in tantas partes, ac mundus, & hoc est, quod dicunt alij *granum sinapis esse æqualiter diuisibile ac mundus*, quantum ad partes proportionales, non tamen quantùm ad partes æquales. *Dices* non datur infinitum ex Philosopho 3. *Phys. text.* 35. sed quod habet partes infinitas & in infinitum diuisibiles est infinitum: ergo continuum non potest diuidi in partes in infinitum diuisibiles. *Resp.* non dari infinitum

actu

actu seu categorematicum, vt dicetur suo loco; datur tamen infinitum in potentia, seu syncategorematicum, continuum videlicet, quod quantumcumque diuidatur, est semper vlteriùs diuisibile.

Obijcies 2. Si continuum quodlibet esset infinitum diuisibile, Angelus in tota æternitate non posset diuidere folium arboris, quod absurdum, fictum & imaginarium videtur. *Resp.* admittendo consequentiam, quæ nullam absurditatem continet; licèt enim hoc sensus percipere non valeat, hoc tamen intellectus de facili capiet, agnoscendo scilicet, quamlibet partem entis quanti esse quantum, quia pars est eiusdem rationis ac totum; sed omne quantum est diuisibile, cùm diximus in Logicis diuisibilitatem esse proprietatem quantitatis: ergo quælibet pars continui est continua, quantumuis exigua appareat, & proinde diuisibilis in alias partes, quæ vlteriùs erunt diuisibiles pariter, sicut & subsequentes in infinitum, quidquid reclament sensus.

Obijcies 3. Deus cognoscit distinctè continuum, & omnes illius partes; & sic videt continuum finiri per vltimam; sed videt res vti sunt: ergo continuum habet partem vltimam, quæ non est amplius diuisibilis. *Resp.* Deum cognoscere res sicuti sunt, in hoc enim consistit infallibilitas scientiæ D. vt diximus in secunda parte Logices, & sic cognoscens continuum, cognoscit illud esse finitum in existentia sua. Quantum autem ad illius continui diuisibilitatem, illam etiam nouit vti est: vnde quia continuum est diuisibile in semper diuisibilia, nunquam cognoscit, nec cognoscere potest vltimam partem continui; quia nulla datur vltima pars in continuo.

Quæres *quomodo distinguantur diuisibilia à continuo*. Resp. non distingui realiter, sed tantùm formaliter. Non distinguuntur, inquam, realiter à continuo, quia nec continuum potest esse sine terminis, nec termini sine continuo. Non sunt etiam in diuersis suppositis, quia vbi est continuum, ibi sunt termini continui. *Tandem* vnum non est producens & aliud productum, quandoquidem indiuisibilia non sunt partes componentes continuum: ergo cùm vna harum trium conditionum requiratur ad distinctionem realem, proinde continuum & termini in ipso existentes non distinguuntur realiter. Distinguuntur tamen formaliter, quia alia est ratio continui, & alia est ratio terminorum. Quod si termini comparentur inter se, tunc realiter distin-

guuntur, quia situ & loco seiunguntur, quoniam vbi est terminus inchoans lineam, ibi non est terminus copulans, nec finiens; & proinde termi inter se comparati distinguuntur realiter. Indiuisibilium alia sunt *simpliciter indiuisibilia*, vt puncta lineę, quæ diuidi nequeunt in longitudinem, latitudinem, aut profunditatem; alia sunt *indiuisibilia secundùm quid*, quæ sunt quidem diuisibilia in vna dimensione, non verò in alia; vt linea, quæ est indiuisibilis secundùm latitudinem & profunditatem; non verò secundùm longitudinem.

Quæres *vtrùm res naturales habeant terminos suæ magnitudinis & paruitatis, infra quos minui, & vltra quos augeri non possint*; quorum ille vocatur communiter inter Philosophos *minimum quod sic*, & iste *maximum quod sit*: vbi distinguendum est de rebus simpliciter naturalibus, quales sunt lapides, & quæcumque res inanimatæ; & de rebus naturalibus viuentibus, vti sunt plantæ animalia, & homines. Si quæstio intelligatur de facto, de facili *responderi* debet quòd omnia naturalia sint sic ordinata & disposita, vt suis terminis & limitibus coerceantur, iuxta id quod habetur Sap. 11. *Omnia in numero, pondere, & mensura facit Dominus*. Hinc ignis elementaris limitatur ad certam sphæram intra concauum lunæ & conuexum aeris, vltra quam si procedat, diu non conseruatur, sed extinguitur breui. Si verò quæstio procedat de possibili, controuertuntur authores, tum de rebus purè naturalibus, tum de naturalibus animatis; vnde

Respondeo 1. res naturales inanimatas non habere terminum suę magnitudinis, nec etiam suę paruitatis. Vtrumque est Scoti *in 2. dist. 2. quæst. 9.* Primò subscribit Arist. 2. *de anima text.* 41. vbi explicitè affirmat quòd ignis cresceret in infinitum, si ei semper combustibilia apponerentur; vnde Prouerb. 30. habetur, *ignis nunquam dicit sufficit*. Ratio huius est quòd si ignis attingeret *maximum quod sic*, eique apponeretur stuppa, non posset eam comburere, vel ipsam comburendo cresceret. Nec est quod respondeant Complutenses, qui sunt in opinione contraria, in tali suppositione ignem tunc reuerà combusturum esse stuppam sibi applicatam, non verò sibi vniturum ignem de nouo productum, qui foret tantùm præcedenti contiguus, & vnus cum illo per aggregationem. Talis enim responsio est merè elusoria, cum ea quæ sunt eiusdem

ra-

rationis, si accedant adinuicem, simul vniri debeant; vt patet de aqua fluminis, quę iuncta aquæ maris facit vnum *integrale* cum illa, sicut & quęcumque homogenea iuncta homogeneis.

Secundum etiam est eiusdem Scoti loco præcitato, quod illud colligit ex Arist. *lib. de Sensu & sensibili*. contra Thomistas, Complutenses, & plures alios, qui existimant res omnes naturales habere terminum paruitatis suæ, & in illis talem posse dari paruitatem, quà minorem nulla forma naturalis admittat. Ratio nostrę assertionis est, quòd composita naturalia inanimata sint continua; sed omne continuum est diuisibile in semper diuisibilia, vt probatum est in præcedenti conclusione: ergo res naturales non possunt habere terminum suæ paruitatis, quandoquidem sunt semper subdiuisibiles in minores partes. *Si in contrarium dicatur* quòd vnumquodque naturale sit propter operationem, quæ operatio exigit quasdam dispositiones ita extensas, vt si illæ desint operatio sequi nequeat: *Resp.* Quòd si talis res naturalis in minori quantitate non possit ampliùs operari, hoc non proueniet ab *intrinseco*, quasi res illa amittat suam naturam, sed ab *extrinseco* tantùm.

R*esp.* 2. pro rebus naturalibus viuentibus, quòd habeant terminos suæ magnitudinis & paruitatis; sic Scotus *quæst.* 24. *prædicam.* 5. *Metaph. ad cap.* 15. *text.* 21. *& in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. contra Paulum Venetum, & aliquos, qui putarunt viuentia naturalia nullo limite suæ magnitudinis aut paruitatis cohiberi, quod apertè est contra Arist. 1. *Phys. cap.* 4. *text.* 36. vbi docet omnium viuentium natura constantium certum esse terminum augmenti & decrementi. Quodlibet enim animatum exposcit determinata organa ad exercendum suas operationes vitales, quæ organa, si connaturalem extensionem non habeant, non ampliùs possunt concurrere ad tales operationes: ergo viuentia naturalia habent terminos intrinsecos suæ magnitudinis aut paruitatis, quibus coercentur. Hoc experientia comprobat, per quam videmus, viuentia, vt homines, boues, & plantas, crescere vsque ad certam quantitatem, quam vbi attigere, cessat incrementum. Viuentia enim crescunt per vim nutritiuam, quæ paulatim languescit, donec statuto tempore totaliter deficiat ex defectu caloris naturalis & radicalis humi-

di, quæ agendo & patiendo consumuntur.

Quòd si Scriptura *Gen.6.* extitisse gigantes tradat insolitæ magnitudinis, quod designat hominum naturam ad certam quantitatem non limitari. Si etiam dicatur, ex Arist quòd crocodilus semper crescat. Si denique obijciatur, quòd si homo, qui attigisset *extremum quod sic*, manducasset, tunc augeretur, & per nutritionem acquireret nouas partes in sui substantiam conuersas: sicque non haberet *maximum quod sic. Resp. ad primum*, tales homines, quorum meminit Scriptura, non superasse terminum absolutum hominis; sed tantùm superasse terminum communem hominum ordinariorum. Quoad crocodilum, vitem, hæderam, & similia; sit semper viuerent, non crescerent semper, sed haberent eundem terminum magnitudinis & vitæ: quæ vita, si in illis permaneret, quando attigerunt terminum magnitudinis, non ampliùs crescerent; quia virtus conuertendi alimentum in substantiam aliti debilitatur, & proinde nihil facit amplius. Quoad rationem allatam, homo ille qui supponitur attigisse terminum magnitudinis suæ, si vlteriùs manducaret, quando in ætate consistenti versatur, tunc non augeretur, sed tantùm partes substantiæ deperditæ repararentur, & postea deficiente naturali calore & humido radicali, deperiret ille homo.

CAPVT II.

De Infinito.

QVia finitas & infinitas pertinent ad quantitatem; tanquam proprietates eius, vel tanquam modi; ideo præcedenti capiti quod naturam quantitatis examinat, non immeritò subiungitur caput istud de *infinito*; in quo quinque quæstiones proponemus. *Quid & quotuplex sit infinitum. An actu detur infinitum in rerum natura. An ens creatum possit dari, quod sit infinitum in essentia. An possit in creatis dari infinitum in quantitate continua, seu in magnitudine. An tale infinitum dari possit in quantitate discreta, seu in numero & multitudine. An denique possit inter creaturas reperiri aliqua, quæ infinita sit in qualitate.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit Infinitum.

RES aliqua dicitur aliquando infinita quatuor modis, negatiuè nimirum, hyperbolicè, abusiuè, & propriè. Infinitum *negatiuè* sumptum illud intelligitur esse quod caret termino reali & positiuo. Infinitum *hyperbolicè* acceptum illud intelligitur, quod finem reuerà habet, sed cum maxima difficultate potest exhauriri: quo sensu arena maris dicitur infinita. Infinitum *abusiuè denominatum* est illud quod aliquam habet similitudinem cum *infinito*; vt circulus qui in suas partes recurrendo similitudinem infiniti imitatur. *Infinitum* tandem *propriè consideratum est illud quod nunquam exhauriri & absumi potest*; & *in quo semper aliud & aliud remanet accipiendum*. Et de isto loqui intendimus.

CONCLVSIO PRIMA.

EX etymologia nominis *infinitum est id quod non est terminatum aut limitatum,* quo sensu à mathematicis punctum vocatur *infinitum*; quia cùm omni extensione careat, proinde non habet finem & terminum; quoniam finis & terminus dicuntur respectu rei, cuius finitur & terminatur extensio. Secundùm rem infinitum tres communiter patitur descriptiones apud Philosophos. Interdum enim dicitur esse *id cui nulla potest fieri additio vel detractio*. Aliquando definitur *id à quo si aliquid accipiatur restat semper aliquid accipiendum*. Tandem ab Arist. 3. *phys.* dicitur *id esse, cuius aliquid semper est extra*; ita quòd quamuis finitum quodcumque desumatur ab infinito, semper aliquid desumi possit, nec deueniri queat ad vltimam infiniti partem. Descriptiones illę, si benè examinentur, coincidunt; cum hoc tamen discrimine, quòd prima descriptio conueniat propriè infinito actuali & categorematico, quod tale est *actu*, vt nec possit augeri vel minui: secunda verò competit infinito syncategorematico & potentiali, quale diximus esse omne continuum, quod semper in vlteriores partes est diuisibile. Præfatis descriptionibus adiungi potest ea quà

dicitur *infinitum esse id quod superat omne finitum vltra omnem proportionem determinatam vel determinabilem.* Porro omnes illæ explicationes ita patent ex terminis, vt ampliori explicatione non indigeant.

CONCLVSIO SECVNDA.

INfinitum diuiditur in Infinitum in Essentia, in Virtute, in Duratione & in Quantitate. *Infinitum in essentia*, seu in omni genere, est illud quod habet essentiam illimitatam & ornatam omnibus perfectionibus in gradu intenso, & sic solus Deus est infinitus. *Infinitum in virtute* illud est quod habet vim agendi illimitatam, & hanc adhuc infinitatem Deus solus obtinet, qui solus est omnipotens. *Infinitum in duratione* est illud quod non habet initium aut finem, qualis iterum est solus Deus, qui solus habet æternitatem. Si aliquod ens productum fuisset ab æterno, & cessasset in tempore, diceretur infinitum à parte ante, id est, ex parte principij, Angeli verò, & animæ rationales dicuntur esse entia infinita à parte post, seu ex parte finis; quia nunquam desinent, licèt creata fuerint in tempore. *Infinitum in quantitate* duplex est, nimirum in quantitate continua, & in quantitate discreta. Si daretur corpus infinitæ magnitudinis, vel linea infinitè longa talia dicerentur *infinita in quantitate continua*. Si daretur autem infinitus numerus Angelorum, vel hominum, diceretur *infinitus in quantitate discreta*.

Infinitum insuper diuiditur in *Categorematicum* seu actu, & in *syncategorematicum* seu potentia. *Primum* est illud quod secundùm id quod actu habet, nullis finitur terminis, sic Deus est ens actu & *Categorematicè* infinitum, quia eius essentiam totam continet essendi plenitudinem sine vllis limitibus. *Secundum* illud est quod in his quæ actu habet, clauditur quidem terminis, attamen secundùm id quod habere potest, nullos limites agnoscit: sic creaturarum numerus est infinitus *syncategorematicè* & in potentia, quia sine fine crescere potest per potentiam D. licèt actu sit finitus. Ideò autem illud dicitur *categorematicum*, quia sicut termini categorematici res ex seipsis significant absque consortio alterius vocis; sic infinitum categorematicum ex se importat omnem entitatis perfectionem absque adiun-

iunctione alterius; illud verò propter contrariam ratio-nē dicitur syncategorematicum, quia sicut termini syncategorematici, vt omnis, aliquis, nullus, requirunt adiunctionem alterius, vt perfectè significent; sic hoc infinitum non fiet tale, nisi per additionem alterius.

QVÆSTIO II.

An detur in rerum natura Infinitum actu.

HIc non loquimur de infinitate molis seu corporis, quæ in sequentibus examinabitur; sed de infinitate perfectionis: *An scilicet in tota latitudine entium reperiatur aliquod, quod sit infinitum in perfectione*; Infinitum autem in perfectione definitur à Scoto dupliciter, *comparatè*, scilicet & *absolutè*. Priori modo *illud est quod excedit in perfectione quodcumque ens finitum, vltra omnem determinatam & determinabilem proportionem*; & hæc descriptio est relatiua & comparatiua, quia datur per comparationem entis infiniti ad finitum. Posteriori modo *illud est cui nihil entitatis & perfectionis deest, eo modo quo potest habere*: seu ens infinitum est illud quod habet omnes omnium entium perfectiones, siue formaliter, siue eminenter. *Continere formaliter aliud* est essentiam & rationem formalem illius ita habere, vt ab ea denominari queat: sic homo dicitur formaliter continere rationalitatem, nix albedinem, & ignis calorem; quia essentia rationalitatis, albedinis & caloris sic formaliter sunt in homine, niue, & igne, vt ab illis homo, nix, & ignis denominentur rationalis, alba, & calidus. *Continere eminenter aliquid* est posse producere illud, & actiones eius, & esse nobiliori modo in continente, quam in seipso: sic Deus continere dicitur omnes creaturas eminenter, quia eas producere potest, & actiones illarum, & ipsæ creaturæ sunt nobiliori modo in Deo, quàm in seipsis; quoniam in Deo sunt ipsemet Deus, & in seipsis sunt entia creata, finita, & limitata.

CONCLVSIO.

IN *rerum natura datur infinitum actu, nempè Deus, qui infinitus est in substantia & in omni genere perfectionis.* Sic Scotus *in 1. dist. 2. quæst. 2.* post Arist.

 8. *Phys.*

8. *Phys. text.* 78. *& 12. Metaph. text.* 41. Hanc conclusionem docet fides, Baruch. 3. *Magnus & non habet finem, excelsus, & immensus*. Psal. 144. *Magnitudinis eius non est finis*. Reuelationi subscribunt Patres, & præsertim D. Dionys. lib. de DD. Nom. cap. 9. *Magnus est super omnem magnitudinem, omnem transiliens infinitatem*. Ratio nostra est quia nullum datur ens limitatum, nisi habeat aliquam causam suæ limitationis; vnde si entia creata sint limitata, hoc est, quia eorum causa efficiens, vel non potuit, vel non voluit dare suo effectui vlteriorem perfectionem, sed à nullo Deus potest limitari, quoniam est ens supremum, ab omni alio prorsus independens: ergo datur actuale infinitum, nempè Deus. *Deinde* omni ente finito potest dari maius; sed si daretur ens aliquod maius Deo, Deus non esset Deus, cùm per *Deum* intelligatur omnium entium perfectius & præstantius: ergo. *Tandem* nulla est entitas, aut perfectio actualis vel possibilis, quæ in Deo non reperiatur in gradu infinito, quoniam est infinitus in duratione per *Æternitatem*, in existentia per *Immensitatem*, & in Bonitate, Potentia, Scientia, & cæteris perfectionibus, ratione suæ *essentiæ*, quæ dicitur *infinitum essendi pelagus*: ergo in rerum natura datur ens actu infinitum in essentia & in omnibus perfectionibus, nempè Deus.

Obijcies 1. Si Deus esset infinitus esset infinitè perfectus; si esset infinitè perfectus, esset infinitè bonus; si esset infinitè bonus, non sineret in mundo vllum esse malum; quia *si vnum contrarium esset in mundo, non pateretur aliud*; sed Deus permittit malum, quia tolerat peccatum: ergo non est infinitus. *Resp.* Deum esse infinitum, & infinitè bonum, non tenetur tamen malum & peccatum destruere; quia non est agens naturale, sed liberum, quod peccata permittit, vt manifestentur eius iustitia, peccatorum puniendo, & eius misericordia reuocando homines à peccatis eorum.

Obijcies 2. Sicut illud est finitum secundùm locum, quod ita est in hoc loco, vt non sit in alio; sic illud est finitum in substantia, quod est ita sua substantia, vt non sit substantia alterius; sed ita Deus est sua substantia, vt non sit substantia bruti, hominis, aut Angeli, aliàs denominaretur brutum, homo, vel Angelus: ergo Deus non est infinitus in substantia. *Resp.* ad min. Deus est ita sua substantia, vt non sit substantia

alte-

alterius formaliter; tunc enim Deus reverà denominaretur brutum, homo, vel Angelus: hoc non impedit tamen, quin contineat eminenter has substantias, quas producere potest, & quæ sunt nobiliùs in Deo, quàm in seipsis.

Obijcies 3. Si Deus est substantia hominis, vel bruti, potest denominari homo, & brutum; quod tamen absurdum est dicere: ergo nec etiam *eminenter* continet naturam bruti, aut hominis. *Resp.* negando sequelam antecedentis, quia à continentia eminentiali non denominatur subiectum, sed tantùm à continentia formali; licèt enim sol contineat *eminenter* ranam aut vermes, non tamen denominatur vermis aut rana; bene autem ignis denominatur calidus, & nix alba, quia formaliter continet essentiam & rationem formalem caloris & albedinis.

QVÆSTIO III.

An dari possit in Creatis Infinitum actu in Essentia.

HOc existimarunt antiquorum aliqui, quorum meminit Arist. 3. *Phys. text.* 40. imò Democritus ex Fonseca 2. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 1. censuit infinitos actu existere mundos; quod audiens Alexander magnus lacrymatus est, propter quòd vnicum mundum tunc sibi comparauisset. Contrarium tenent Catholici, nullum ens creatum esse actu infinitum; & præsertim Scotus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. post Arist. 3. *Phys. text.* 41. Hanc veritatem docet fides Sap. 11. *Omnia in pondere, numero, & mensura posuisti*. Hoc idem tradit philosophia, quæ omnia entia creata in decem categorijs collocat; sed ea quæ in prædicamentis continentur, sunt finita & limitata, quandoquidem, vel sunt genera, vel species, vel indiuidua, quæ omnia suas habent differentias quibus ita restringuntur ad certam classem entis, vt non progrediantur extra illam. Constat ergo in creatis non dari infinitum actu; an autem per potentiam D. si posibilis creatura secundùm essentiam infinita, negabit etiam.

CONCLVSIO.

NOn potest in creatis dari aliquod ens, quod sit *actu & categorematicè infinitum in essentia*. Dixi *infinitum actu*; quia in rerum natura dari potest infinitum in potentia, tum secundùm magnitudinem, tum secundùm multitudinem, tum aliqualiter secundùm essentiam. Cum enim non possit reperiri tam magna quantitas, cui Deus nouam extensionem addere non valeat, proinde datur infinitum in potentia secundùm magnitudinem. Cum etiam nullus numerus Angelorum vel hominum ita magnus sit, cui Deus non possit adijcere nouas partes, proinde datur infinitum in potentia secundùm multitudinem. Cum denique nulla creatura tam perfecta sit secundùm essentiam. *Quod si dicatur* frustraneam esse potentiam, quæ non potest reduci ad actum, & proinde non debere admitti infinitum potentiale; quoniam nunquam effici potest actuale. *Responderi* debet quòd *infinitum potentiale* non dicat respectum ad *infinitum actuale* quod possibile sit; ad hoc enim nulla datur possibilitas, cùm *nullum infinitum actuale dari queat in creatis*: sed infinitum potentiale tale dicitur per respectum ad gradum vlteriorem, quem recipere potest.

Quòd autem non possit dari infinitum actuale inter entia creata, ex eo probari potest quòd si daretur infinitum actuale in essentia, deberet esse infinitum in omni genere perfectionis, quia proprietates subiecti sequuntur naturam subiecti: sed nulla creatura potest participare essentiam infinitam & infinitas perfectiones, aliàs esset Deus, qui pro caractere suo induit infinitatem essentiæ & perfectionis: ergo inter creaturas nulla potest dari, quæ sit infinita secundùm essentiam. *Deinde* creatura illa, quam à Deo supponimus creari *infinitum*, vel esset dependens, vel independens; sed si esset dependens, non esset infinitè perfecta, quia careret independentia, quæ est perfectio: si verò diceretur independens, hoc repugnat; quia supponimus illam à Deo produci, & quod ab alio producitur, ab alio dependet: ergo non potest dari infinitum actu. *Tandem* omnis essentia creata vel creabilis est determinata vel determinabilis ad certum genus, & ad certam differentiam entis, vtraque non progreditur; ita

quòd

quòd si sit de genere spiritualium, non possit tendere ad entitatem corporalium; sed quod est sic determinatum ad vnum genus & ad vnam differentiam, non est infinitum; quia caret perfectionibus illorum generum & illarum differentiarum, quibus priuatur : ergo nullum ens creatum aut creabile est infinitum actu.

Obijcies. Deus habet potentiam actu infinitam : ergo potest producere effectum infinitum actu. *Resp.* negando consequentiam. Licèt enim Deus sit infinitè productiuus, creatura tamen infinita actu non est producibilis; aliàs esset creatura & non creatura, quod repugnat. Esset, inquam, creatura, quia à Deo crearetur, vt supponimus; non esset verò creatura, quandoquidem esset Deus participando naturam infinitam & perfectiones infinitas, quæ sunt notio Dei. Quando ergo dictum est, *quòd non possit dari infinitum actu*, hoc non procedit ex defectu virtutis ex parte Dei, qui cùm sit omnipotens, producere potest omne possibile; sed ex defectu possibilitatis ex parte obiecti, in quantùm inuoluitur aliqua contradictio in obiecto, nempè in illo infinito, quod esset Deus & non esset Deus, & quod esset creatura & non creatura. *Dices* effectus debet proportionari causæ; sed potentia Dei est infinita, ergo debet illi respondere effectus infinitus. *Resp.* effectus debet correspondere causæ, si sit *possibilis*, concedo : si sit *impossibilis*, nego. Quando autem Deus agit *ad extra* respectu creaturarum, non potest producere effectum infinitum, nisi in potentia; quatenus nihil potest dari in creatis taliter perfectum, quin Deus possit reddere illud perfectius : non potest verò producere effectum actu infinitum, quia hoc repugnat, vt ostensum est. Quando autem Deus producit *ad intra*, tunc terminus productionis est infinitus, sicut & potentia productiua est infinita; quia non repugnat, quod in diuinis dentur productiones infinitæ, sicut hoc implicat in creatis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum possit dari Infinitum in Magnitudine.

Licèt præcedens conclusio probauerit non posse dari in creatis aliquod ens infinitum in substantia & in omni genere; quia scilicet talis entitas repugnat in se : dubi-

dubitari tamen potest *an possit dari ens aliquod infinitum in quantitate continua*, seu in *magnitudine*, quod admittunt recentiorum aliqui, nullam reperientes implicantiam, quod detur linea infinitè longa, superficies protensa in infinitum, & corpus infinitæ longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Sic inter Scotistas noster Poncius, qui existimans Doctorem nostrum nihil positiui determinasse super hanc difficultatem, docet per potentiam D. posse in creatis dari infinitum in magnitudine. Hoc habet *Disp. 3. de Infinito*, vbi soluit quinque implicantias eorum qui negant posse dari actu infinitum in quantitate.

CONCLVSIO.

Dari nequit infinitum actu in magnitudine. Sic Scotus 2. *Metaph. quæst. 6. & in 2. dist. 2. quæst.* 9. post Arist. 3. *Phys. tex.* 37. & 40. Ratio huius veritatis est quòd si daretur linea infinita totum non esset maius suâ parte; posito enim quòd talis linea diuideretur in partes, vel illæ partes essent finitæ, vel infinitæ: si finitæ, linea esset finita, quia ex finitis infinitum resultare non potest: si autem illæ partes essent infinitæ, tota linea non esset maior qualibet parte, quandoquidem infinito nil maius dari potest. *Deinde* omne continuum & quantum est figuratum, quia figura resultat ex terminatione partium quantitatis continuæ; sed quod est figuratum est finitum, quoniam terminatur ab extrinseco nempè à sua figura; ergo non potest dari quantitas aliqua, quæ sit infinita. *Tandem* omne corpus naturale est mobile; sed omne mobile est finitum, quia requireretur spatium infinitum, in quo moueretur illa infinita quantitas, quòd non est dabile: ergo cùm repugnet dari corpus naturale quod non sit mobile, pari iure implicat quod detur corpus *infinitum*. His addi potest, quòd si à linea infinita detraheretur longitudo bipedalis; vel illæ partes essent æquales, vel inæquales; si non sint æquales, vna earum est longior, altera, & proinde ea quæ est minùs longa, non erit infinita: si autem remaneant æquales, euertitur axioma mathematicum, *si ab æqualibus inæqualia demas, quæ remanent erunt inæqualia*.

Obijcies. Deus cognoscit lineam *infinitè* longam; sed quidquid intellectus eius cognoscit, voluntas potest effi-

efficere: ergo Deus potest efficere lineam infinitam? *Resp.* Deus cognoscit lineam *infinitam*, *syncategorematicè possibilem*, concedo: cognoscit lineam *infinitè longam*, *categorematicè possibilem*, nego: non potest enim Deus cognoscere lineam ita longam, quin possit illi addere aliam & aliam longitudinem, aliàs potentia Dei exhauriretur, quod pugnat contra illius infinitatem. *Dices* potentiæ infinitæ debetur effectus infinitus: ergo non debet Deo denegari, quòd possit producere quantitatem infinitam, cùm ex parte sui sit infinitè productiuus, & ex parte obiecti, quantitas semper augeri valeat. *Resp.* Potentiam D. posse spectari, vel ad intra, vel ad extra; si consideretur *ad intra*, habet quidem terminum *infinitum*, quandoquidem Pater in Diuinis producit Filium, qui infinitus est, si spectetur verò *ad extra*, non potest habere effectum infinitum, quia talis effectus non est possibilis, quandoquidem esset Deus & non esset Deus, creatura & non creatura, vt antea dictum est. Si consideretur ergo potentia Dei *ad intra*, non ideo dicitur infinita, quia potest producere *infinitum actu*; sed quia valet producere infinitum in potentia: ita vt quamlibet magnitudinem, quemlibet numerum, & quamlibet qualitatem possit augere & intendere; quod sufficit, vt in creatis possimus colligere *Deum esse infinitè potentem*: cum ius potentia limitari non possit per vllum effectum productum aut producibilem.

QVÆSTIO V.

An possit dari Infinitum actu in multitudine.

Ex antecedentibus, aliud est infinitum *secundùm substantiam*, seu in omni genere entis: & infinitum *secundùm quid*, seu in certo entis genere, nimirum in *quantitate*, vel in *qualitate*. Infinitum in quantitate intelligitur esse duplex, nimirum in *quantitate continua*, si v.g. daretur linea infinitæ longitudinis; & in *quantitate discreta*, si daretur numerus in infinitum multiplicatus. *Infinitum simpliciter seu in omni genere non posse dari inter creaturas*; probatum est in quæstione tertia huius capitis. *Infinitum etiam actuale in quantitate continua seu in magnitudine non posse dari in creatis*, ostendimus per rationes præcedentis conclusionis, contra Epicurum, & quosdam alios, qui putauerunt da-

dari de facto magnitudinem infinitam, dicentes extra hunc mundum esse spatia infinita plena infinitis alijs mundis, modò pereuntibus, modò renascentibus ex varia dispositione atomorum in infinito illo spatio volitantium. Nunc superest vt agamus de infinito actuali in multitudine, seu in quantitate discreta, supra quam difficultatem tantum est diffidium, vt Conimbricenses vtramque partem probabilem censuerint; Ochamus, Gregorius, Ariminensis, cùm Vasquesio & pluribus existimauerint posse diuinitus dari numerum infinitæ multitudinis; D. Thomas verò, D. Bonau. Scotus, Durandus, & alij sustinuerint *repugnare infinitum actu in multitudine*.

CONCLVSIO.

Non potest dari infinitum actu in multitudine. Sic Scotus præ alijs *in 2. dist. 1. quæst. 3. & dist. 3. quæst. 6. & quodlib. 2. & 6.* Contra Mauricium, Canellum, & Poncium, qui existimant in hac difficultate dubium & problematicum videri Scotum; qui tamen, si seriò legatur, in locis præallegatis, & *2. Metaph. quæst. 6.* sicut & in *3. dist. 13. quæst. 4.* apertè patebit Doctorem nostrum negare possibilitatem infiniti actualis in multitudine; vnde in *3. dist. 14. quæst. 2.* addit contrariam opinionem opponi multis authoritatibus Philosophorum, & Sanctorum. Quando ergo Aristoteles *1. Phys. text. 15.* pro quantitatis proprietatibus assignat *finitatem & infinitatem*, hoc non debet intelligi de infinitate *actuali*, sed tantùm de *potentiali*; quandoquidem non potest tanta dari quantitas, quin maior adhuc in infinitum dari possit per respectum ad potentiam D. quæ in effectibus suis exhauriri non potest. Licèt etiam in mente Philosophi *6. & 8. Phys.* motus & tempus sint infinita, quia sunt æterna: hoc tamen non probat dari infinitum actuale: Vltra enim quòd effatum Aristotelis sit contra fidem, quæ *Gen. 1.* docet *Deum in principio creasse cælum & terram*; non propterea daretur *infinitum actuale*: quia præexistenti motui & tempori partes de nouo actuales adiungerentur, quod repugnat infinito actuali, de cuius ratione est quòd non possit fieri maius: quia antequam reciperet talem nouam partem, ea careret, & proinde non esset infinitum. Si denique *num. 10.* mentio

fiat de infinita multitudine, & *Ecclesiastes* 1. numerus stultorum dicatur *infinitus*; hi contextus intelliguntur de ingenti multitudine, & de numero qui valde excedit multitudinem aliarum rerum. *Porrò*, si Aristoteles 6. *topic. cap.* 3. dicat lineam infinitam non habere medium aut fines; ibi loquitur de infinitate *potentiali*, vt interpretatur Scotus; quatenus non potest deueniri in vltimam diuisionem partium lineæ, sicut diximus de omni continuo.

Conclusio nostra probatur ex hoc, *quòd infinito in actu nihil possit addi*; *nec detrahi ab eo*, vt docent Arist. 3. *Phys. text.* 41. & Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 1. sed datâ quacumque multitudine, Deus potest illi addere nouas vnitates, & de præcedentibus aliquas detrahere: aliàs potentia Dei esset exhausta, & proinde non infinita: ergo non potest dari per potentiam D. actuale infinitum in multitudine. Quæ ratio etiam ostendit non posse diuinitùs dari *infinitum actuale* in magnitudine. *Deinde* si posset dari infinita multitudo hominum, talis numerus esset finitus & infinitus, quod repugnat; esset, inquam, infinitus, vt supponitur: non esset verò infinitus, quia *infinito non potest dari maius*, & tali infinito maior numerus daretur, quia plures essent oculi, quàm homines; plures digiti, quàm oculi; & plures capilli, quam digiti; quæ omnia sensatis videbuntur absurda, nisi admittere velint *infinito dari maius*: vel *totum non esse maius sua parte*. Tandem supposito quòd detur multitudo *infinita*, ipsa diuiditur in duas, vel in quatuor, aut decem partes; quælibet earum erit finita, vel infinita; sed si est finita, non faciet multitudinem infinitam; quia *finitum additum finito non facit infinitum*, si autem quælibet pars est infinita, illa totalis multitudo non erit maior qualibet parte, quandoquidem infinito non datur maius; quod adhuc repugnat: ergo dari non potest infinitum in quantitate discreta, seu in multitudine.

Obijcies 1. Deus potest facere nunc, quòd in tota æternitate facere valet: sed in tota æternitate, quæ est *infinita*, potest producere infinitos Angelos: ergo nunc potest producere infinitum numerum Angelorum auctualem. *Resp.* distinguendo maiorem: Deus potest facere nunc, quòd in tota æternitate efficere valet, *diuisiue*, concedo: *collectiuè*, nego. Id est, Deus potest quidem in hoc instanti facere in particulari

lari quodlibet entium, quæ facere poteſt per totam æternitatem, ſed non poteſt ſimul actu omnia entia producere, quæ per totam æternitatem creare poteſt. Nam ſi crearet ſimul omnia entia quæ poſſet creare in tota æternitate, vel Deus poſſet addere aliquid poſtea tali numero, vel non; ſi poſſit, numerus ille non eſt infinitus, quia *infinitum eſt id cui nihil addi poteſt*. Si Deus non poſſit addere illi numero, exhauſta eſt potentia D. ergo non eſſet infinita, quia *infinita potentia exhauriri, & terminari non poteſt*, quandoquidem infinitum eſt id, quod caret terminis actualibus & poſſibilibus. Dicendum ergo eſt, quòd Deus poſſit quidem diuiſiuè producere in vno inſtanti id quod poteſt producere in tota æternitate, non verò collectiuè, propter rationem allatam.

Obijcies 2. In vna hora ſunt infinita inſtantia; ſed in quolibet inſtanti poteſt Deus producere vnum Angelum: ergo elapſa vna hora productus erit numerus Angelorum infinitus. *Reſp* in vna hora reuerà eſſe inſtantia infinita *ſyncategorematicè*, non verò *actu*, & *diuiſim*, & in vnoquoque eorum Deus poſſet producere Angelum, ſi illa inſtantia eſſent actu diuiſa; ſed quia illa inſtantia non poſſunt actu diuidi, alias continuum quod eſt diuiſibile reſolueretur in diuiſibilia, & ex illis proinde componeretur; ideò non poteſt Deus actu in quolibet inſtanti diuiſo producere Angelum, quoniam illa inſtantia actu diuidi non poſſunt, vt probauimus aliàs, dicentes omne continuum eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia, & nunquam deueniri poſſe ad aliquam partem indiuiſibilem.

Obijcies 3. Voluntas, & intellectus in Deo ſunt eiuſdem virtutis; ſed intellectus D. poteſt intelligere *infinitum*: ergo, & voluntas illud velle poterit: & ſic dari poteſt infinitum actu, quoniam voluntas D. eſt cauſa rerum. *Reſp. ad min.* Intellectus D. poteſt intelligere infinitum actu, vt eſt *impoſſibile*; non verò, vt eſt *poſſibile*: & ſic voluntas diuina vult etiam ipſum vt impoſſibile, ſed non vult quod poſſibile ſit. *Si dicatur* effectum debere proportionari cauſæ, & propterea cauſam infinitam reſpicere infinitum effectum. *Reſp. anteced.* eſſe verum in cauſis vniuocis, quæ agentes ad extremum potentiæ producunt effectum ſibi ſimilem; vnde prædiximus in diuinis Patrem Infinitum generare Filium Infinitum: In cauſis verò æquiuocis non eſt neceſſe vt

effe-

effectus infinitus procedat à causa infinita, nec consequenter Deus, qui *ad extra* est causa æquiuoca, potest producere creaturam infinitam, propter rationes allegatas.

QVÆSTIO VI.

An possit dari Infinitum actu in Qualitate.

HVcusque dictum est de infinitate quantitatis, quam negauimus posse dari, tum in quantitate continua, tum in quantitate discreta; quoniam dari nequit extensio infinita, aut infinita multitudo: nunc examinandum est *an etiam repugnet dari inter creaturas aliquod ens, quod sit infinitum in qualitate, seu cuius qualitas sit infinitè intensa*; sicut enim quantitas, dum crescit, augeri dicitur; ita qualitas, dum perficitur, dicitur *intendi*. In hac quæstione controuertuntur authores, propterea quòd gratia Christo concessa dicatur *summa*; ex quo forsan possent inferre aliqui *gratiam Christi; quæ est creata, esse summam*. Quòd vt facilius soluatur, sciendum est gratiam Christi posse intelligi *summam* per respectum ad omnes gratias actuales, quatenus non tanta fuerit gratia in omnibus Angelis, & hominibus, quanta fuit in Christo, qui est Angelorum, & hominum caput: licèt per respectum ad gratias possibiles gratia Christi non fuerit *summa*, quoniam Deus de potentia sua absoluta potuit infundere alteri creaturæ gratiam maiorem illà quam contulit Christo.

CONCLVSIO.

NOn potest dari infinitum actu in qualitate in 3. dist. 13. quæst. 1. cum D. Thom. 2. 2. quæst. 14. articul. 7. Rationes sunt eædem cum illis quas attulimus antea, probantes non posse dari infinitum actu in magnitudine, aut in multitudine. Posito enim, quòd daretur qualitas infinita in aliquo subiecto, posset vlteriùs quæri, *an Deus valeret conferre nouum gradum eiusdem qualitatis, vel non posset*. Si autem Deus posset talem gradum addere, illa qualitas non esset infinita; quia *infinito nihil addi potest*; si verò non posset illi addi nouus gradus, exhauriretur potentia D. quæ proinde non

non esset infinitè productiua. Et sic eadem ratio fundamentalis, quę probat non posse dari infinitum actu in quantitate, suadet etiam non posse dari infinitum actu in qualitate. Adde quòd repugnat dari infinitam essentiam; ergo & infinitam qualitatem; quoniam qualitas infinita exigeret subiectum infinitum sibi proportionatum.

An autem detur aliqua qualitas, quæ in sua finitate sit ita intensa, vt non possit fieri intensior; hoc aliqui attribuunt Scoto sustinenti gratiam Christi fuisse inextensibilem, & inaugmentabilem, cùm sit maxima, sicut, & eius hypostatica vnio: sed hoc facilè solui potest, dicendo scilicet, vt prænotauimus; quòd gratia Christi sit summa positiuè per respectum ad omnes gratias actuales, quas Deus decreuit dare Angelis, & hominibus, licèt non fuerit maxima per respectum ad gratias possibiles, quas potuit dare. Postquam enim Verbum D. incarnatum fuit, potuit Spiritus Sanctus incarnari, & Deus potuit dare Spiritui S. incarnato gratiam maiorem gratia Christi; quia maior absolutè est dabilis. Si enim, vt diximus in Theologia, repugnaret dari gratiam maiorem gratia Christi, vel repugnaret ex parte gratiæ, vel ex parte recipientis; sed non repugnat ex parte gratiæ, quia gratia Christi secundùm omnes, est finita, & omni finito potest dari maius: non etiam repugnat ex parte recipentis, quia anima est in potētia obedientiali ad Deum, & ad quamcumque gratiam ab eo recipiendam: ergo quacumque recepta, potest semper maiorem, & maiorem recipere, modo non sit infinita, & sic non datur qualitas ita intensa in se, vt intensior non possit reddi absolutè per potentiam D.

Obijcies. Vel inter omnes gratias, possibilis erit aliqua simpliciter summa, quà maior dari non potest absolutè, & talis erit in Christo, cui attribui debent omnes perfectiones possibiles, propter vnionem hypostaticam, qua maior non potest dari; vel potest semper alia, & alia fieri perfectior, & tunc admittetur processus in infinitum, in quo vltima gratia infinitè distabit à prima, & proinde erit infinita, quod non potest concedi, quandoquidem in creatis daretur infinitum categorematicum: ergo remanet dicere, quòd gratia Christi ita fuerit intensa, vt ea maior non possit dari,
Resp. quòd dabitur reuerà processus in infinitū syncategore-

gore-

gorematicè,cùm non possit dari talis gratia, quin maior adhuc sit dabilis: negamus tamen, quòd aliqua earum sit infinita, & quòd vltima infinitè distet ab alijs, cùm semper maior, & maior dari possit.

Quæres, *an Deus possit producere speciem in infinitum perfectiorem*. Hoc admittunt omnes, quantum ad intensionem accidentalem, quòd scilicet non possit dari species aliqua creaturæ tam perfecta, quin illi possit superaddi gradus vlterior perfectionis accidentariæ; ità quòd lux solis, fertilitas terrę, & humiditas aeris possint augeri in infinitum. An autem idem possit contingere respectu perfectionum essentialium, non æqualiter admittunt authores; quoniam Alensis 2. *Metaph. text.* 12. D. Bonau. *in* 1. *dist*. 44. *quæst*. 1. cum D. Thoma 1. *p. quæst*. 25. *articul*. 6. & pluribus alijs tenet datà quacumque specie perfecta, Deum posse aliam, & aliam perfectiorem in infinitum producere. Durandus verò, & ex Scotistis Poncius affirmant hoc repugnare, ad suamque mentem adducere tentant Scotum 2. *Metaph. quæst*. 6. sed cum Mauricius noster in annotatione ad prædictum locum velit Scotum non firmiter adhærere huic parti; libenter dicam cum nostris duobus nuperis Scotistis posse sustineri, quòd sicut Deus potest producere creaturam in infinitum perfectiorem accidentaliter; sic etiam valeat producere species semper, & in infinitum perfectiores in essentialibus.

Tale enim infinitum syncategorematicum non repugnat ex parte Dei, qui est omnipotens: nec ex parte creaturæ, quæ cum sit finita in sua specie, potest admittere perfectionem essentialem maiorem in infinitum. Data enim quacumque specie perfecta, vel Deus potest perfectiorem condere in infinitum, vel non potest: si potest, vera est nostra responsio: si non potest, potentia Dei manebit exhausta per productionem effectus finiti, quod imperfectionem redolet in potentia Dei, quæ cùm sit *infinita*, nullos agnoscit limites in essentialibus, sicut nec in accidentalibus, quod tamen admittunt aduersarij. Quòd si in contrarium afferatur Aristotel. 2. *Metaph cap*. 2. dicens, in essentialiter ordinatis non abiri in infinitum; & proinde in naturis specificis debere apponi limites, & terminos: Respondet noster Moestrius Philosophum intelligi debere de causis essentialiter suber-

subordinatis, ad quarum primam deueniendum est, quæ sic alias producat, vt à nulla producatur, non negat tamen Aristoteles quin inter species possit dari processus in infinitum syncategorematicum, in hoc scilicet consistens, quòd non possit dari species ita perfecta, quin perfectior & perfectior in infinitum syncategorematicè possit dari, sicut diximus euenire respectu magnitudinis, multitudinis, & qualitatum, quæ ad tale augmentum non deueniunt, quin possint adhuc augeri, multiplicari, & intendi.

Quantùm ad Scotum pro parte contraria allegatum, sciendum est ex illo *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. potentiam Dei esse duplicem; ordinariam scilicet, & absolutam. *Ordinaria* est ea quà Deus agit in tempore secundùm leges, quas sibi ordinauit, & proposuit ab æterno: sic Deus de potentia ordinaria remunerat virtutem, & punitiones infligit vitio. Potentia verò *absoluta* ea est, quæ à decretis æternis absoluendo respicit simpliciter, & præcisè possibilitatem obiecti: sicque Deus per potentiam absolutam, & extraordinariam potest liberare damnatum ab inferno, annihilare hunc mundum, vel alios creare, quandoquidem in his nulla est repugnantia. Quando ergo Scotus videtur dicere, quòd Deus producere non possit speciem in infinitum perfectiorem, intelligi potest de potentia *ordinaria*; non verò de potentia *absoluta*, Debet, inquam, intelligi de potentia *ordinaria*, quia scilicet Deus attendens ad species, quas potest producere cum tali, & tali perfectione decreuit perfectiorem istà vel illà nō producere: & sic de potentia ordinaria stare debet in aliqua specie talis vel talis perfectionis essentialis determinatæ. Hoc non impedit tamen quin de potentia sua absoluta, quæ solam obiecti possibilitatem respicit, aliam, longè perfectiorem producere valeat.

Quando autem dicit Scotus omne creatum aut creabile residere in prędicamento, in cuius ascensu summum genus tenet supremum locum, vltra quem non potest dari progressus prædicamentalis, hoc non impedit quin sub illo supremo genere, quod est finitum, vt supponitur ex Logicis; possint dari infinita genera subalterna, & species infinitæ, saltem syncategorematicè, quas Deus producere potest, sicut sub aliqua specie talis prędicamenti potest producere indiuidua infinita syncategorematicè. Quòd si Aug. 12. Confess.

cap.

cap. 7. dicat, *Deum fecisse Angelum prope se ita perfectum, vt perfectiorem producere non valeat*; intelligitur sanctus Doctor de *facto*, non verò de *possibili* per potentiam absolutam. Si denique dicant Theologi *vnionem hypostaticam Verbi D. visionem beatificam, & maternitatem B. Virginis esse ita perfectas, vt perfectiores effici non valeant*; hoc verum est respectu termini *quem connotant*, qui cùm sit *infinitus*, non potest effici perfectior; quandoquidem vnio hypostatica Christi, & maternitas Virginis Mariæ terminantur ad *personam verbi D.* & visio beatifica ad *Essentiam D.* quæ cum sint *infinitæ* perfectionis, proinde hęc tria entia non possunt reddi perfectiora, nec intelligi. Hoc tamen non impedit, quin inter creaturas finitas alia, & alia perfectior in infinitum possit produci.

CAPVT III.

De Loco.

NOn sumus hic loquuturi de Loco sumpto formaliter, vt est respectus extrinsecus adueniens locantis ad locatum; qui respectus apud Logicos constituit prædicamentum *vbi*: sed de *loco materialiter spectato*, vt est *superficies corporis ambientis locatum*.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Locus.

LOcum existere præsupponit Scotus *quodlib.* 11. cùm enim experientia demonstret dari locatum, seu corpus in loco existens; negari non potest, quin detur *locus*; quoniam à concreto ad abstractum tenet communius consequentia, quà probatur ex albo albedo ipsa, & vestis ex vestito. *Deinde* grauia descendunt deorsum, leuia sursum, & omnia elementa ad loca quę illis naturaliter competunt. *Tandem* sicut ex transmutatione substantiali perducimur in notitiam materiæ, quæ successiuè recipit formas; sic ex mutatione locali corporum colligere possumus euidenter dari locum, quoniam videmus ad oculos vnum corpus deserere locum in quem aliud subintrat, cùm simul esse in eodē loco nō valeant. Supposita autē loci existentia, explicandū venit *quid sit locus*.

CON-

CONCLVSIO.

LOcus non eſt *ſpatium illud quod intercedit inter latera corporis ambientis*, vt voluerunt veteres illi Philoſophi, quos refutat Philoſophus 4. *Phyſ. text. 36*. Spatium enim illud non eſt aliquid reale, ſed purè immaginarium, & ſic non eſt locus Phyſicus, qui realis eſſe debet: cùm realiter contineat corpora naturalia. Meliùs ergo dici debet, quòd *locus* ſit *ſuperficies vltima, & immobilis corporis ambientis*. Dicitur primò quòd ſit *ſuperficies*, quia cùm linea non ſit diuiſibilis, non poteſt continere corpus, quod eſt diuiſibile. Dicitur ſecundò *vltima*, ſeu concaua; quia non omnis ſuperficies eſt locus, ſed ſolùm illa, quæ in ſuæ concauitatis capacitate continet corpus: vt ſuperficies concaua aeris, quæ quia circumſcribit, & immediatè continet corpus meum, ob hoc dicitur *locus meus*. Dicitur tertiò *immobilis*, quia locus vt ſic non mouetur, niſi per accidens; cum per ſe non moueatur *locus*, ſed corpus moueatur ad locum. Dicitur quartò quòd ſit ſuperficies *corporis*, quia agimur de loco corporeo, in quo corpora actualiter extera ſe locantur. Additur denique ſuperficies corporis *ambientis*: quia talis ſuperficies continet, & ambit locatum; vt ſuperficies conuoca cœli lunaris, quæ immediatè ignem elementarem tangit.

Obijcies 1. Definitio debet conſtare genere, quod participetur à definito, vt patet de definitione hominis, in qua includitur *animal*, cuius rationem participat homo; ſed in definitione præcedenti ſuperficies non poteſt tenere locum generis, quandoquidem locus nequit dici propriè ſuperficies, cùm locus ſit quid relatiuum, & ſuperficies quid abſolutum, de genere quantitatis: ergo præcedens definitio non eſt legitima. *Reſp*. In hoc diſtingui definitionem entis abſoluti à definitione entis relatiui, quòd definitio entis abſoluti detur per proprium genus, quod à definito participetur; vt patet in definitione hominis, in qua includitur *animal*, tanquam genus ab homine participatum; in definitione autem entis relatiui, non reperitur proprium genus, quòd à definito participetur; ſed loco illius ponitur fundamentum relationis; vnde quia locus eſt quid relatiuum, vt paulo poſt dicetur,

ideò

ideò in definitione illius pro genere apponitur fundamentum ex quo resultat illa relatio, nempè superficies concaua corporis continentis, quæ fundat relationem loci ad locatum.

Obijcies 2. Locus ex Arist. 4. *Phys. text.* 41. est *vltimum corporis continentis immobile primum*; sed superficies corporis ambientis non est semper *immobilis*, vt patet de turri existente in superficie aeris; quæ flante vento perpetuò mutatur: ergo non benè definitur locus, quòd sit *immobilis*. Ad hanc instantiam respondent Thomistæ immobilitatem loci repetendam esse ex distantia à terminis & centro mundi: aut quotiescumque locatum mutat eiusmodi distantiam ab illis terminis & à centro mundi, dicatur moueri localiter. Scotus verò respondet locum esse *immobilem* non quidem simpliciter & absolutè, vt patet ex ratione obiecta; sed *æquiualenter*, quatenus nimirum flante vento superficies aeris mutatur quidem, sed illa quæ de nouo aduenit transit in vices præcedentis: vnde cùm semper eadem conseruetur distantia turris ab illo aere priori, vel ab alijs succedentibus, proinde turris illa non dicitur moueri localiter; imò aer illam ambiens censetur esse idem *æquiualenter*, non obstante continuà mutatione illius. Idem dicendum est de illa parte turris, quæ existit in fluuio, cuius partes formaliter fluunt continuò, licèt æquiualenter censeantur manere, quatenus vna succedit alteri.

Ad hanc solutionem Scoti, addi potest conformiter illius doctrinæ, quòd non ideò locus dicatur *immobilis*, quasi omnem mobilitatem reijciat; tunc enim turris non esse in aere, cuius partes continuò fluunt; sed ideo locus dicitur *immobilis*, quia non est necessarium, quòd locus moueatur cum locato, sed quòd corpus moueatur ad locum. In hoc enim distinguitur locus à vase continente liquorem, quòd moto liquore vas moueatur, moto tamen locato non mouetur locus, id est, non est necessarium, quòd moueatur. Non debet ergo negari, quòd locus sit omnino immobilis, sed tantùm negari debet, quòd locus moueatur necessariò ad motum locati: sicuti partes intrinsecæ mouentur ad motum totius, vestis ad motum rei vestitæ, & liquor ad motum vasis in quo continetur. Si ergo quæratur *quænam sit differentia inter vas continens liquorem, & locum ambientem corpus*, cùm vtrum-

que contineatur in alio : Respondetur in ea hoc distingui, quod vas sit necessariò mobile, ad motum liquoris; & locus non sit necessariò mobilis ad motum rei locatæ, imò res locata deserit suum locum, tanquam terminum à quo, vt acquirat nouum locum, tanquam terminum ad quem, in quo consistit ratio motus localis.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit Locus.

EXplicata definitione loci, quem diximus esse superficiem corporis ambientis, non quidem omnem, sed solam concauam; quandoquidem loquimur de loco proprio, qui immediatè cingit locatum, vbi superficies conuexa mediatè tantùm & remotè locatum continet. Explicata etiam ratione generis prædictam definitionem ingredientis, quod non est proprium genus, sed tale quale debet esse genus entis relatiui. Explicata denique ratione immobilitatis loci, per hoc scilicet, quòd non debeat necessariò moueri ad motum rei locatæ: quandoquidem locus ille esset adhuc in loco, & ille in alio, sicque in infinitum. Nunc progrediendum est ad diuisionem loci.

CONCLVSIO.

LOcus diuiditur in Communem & Proprium. *Communis* est ille qui res multas continet; sic templum in quo sunt plures orantes. *Proprius* ille est qui vnicam rem ambit, vt aer, qui meum corpus circumdat.

Locus diuiditur in Naturalem & Violentum. *Naturalis* est ille in quo locatum naturaliter quiescit, & ad quem naturali impetu fertur, quando abstractum est ab illo, sic quando lapis est deorsum, & ignis est sursum, dicuntur esse in loco naturali. *Violentus* est ille in quò locatum vi detinetur; vt si lapis esset suspensus in medio aere.

Locus diuiditur in Internum & Externum. *Internus* est spatium illud, quod à corpore occupatur: vnde corpus aliquod dicitur esse in tali loco, quatenus tale spatium loci occupat. *Externus* verò est superficies externa, à qua corpus locatum continetur, quæ ideo di-

citur locus externus, quia inter locum & locatum non est vnio formalis & intrinseca, licèt sit immediata: Locus intrinsecus est idem cum superficie concaua, & *internus* cum connexa.

Locus diuiditur in Realem & Immaginarium. *Realis* est vera & *realis* superficies corporis continentis corpus reale & verum. *Imaginarius* verò est imaginaria superficies, quà corpus fingitur cingi, à qua tamen non cingitur, cùm nullum sit aliud corpus in quo contineatur: sic cœlum empyreum dicitur esse in loco imaginario, qui tamen non est quid reale, quandoquidem extra cœlum empyreum non est aliud corpus, quo istud vltimum cœlum cingatur.

Locus denique diuiditur in Circumscriptiuum & Definitiuum. *Circumscriptiuus* est ille in quo partes locati correspondent partibus loci: ita quòd pars superior locati sit in parte superiori loci, & inferior in inferiori. *Definitiuus* est ille, in quo totum locatum correspondet toti loco, & cuilibet parti loci, vt ampliùs explicatum habetur in logica, agendo de Prædicamento *vbi*.

Quæres *quænam sint proprietates loci*. Resp. multas afferri communiter à philosophis, quarum prima est *vnitas*; sicut enim quælibet res creata est vnius essentiæ, sic vnum exigit determinatum locum, adæquatum videlicet, quòd non impedit quin eadem *numero* res possit aliquando per partes esse in pluribus locis inadæquatis & partialibus, caput nimirum in aere, humeri in igne, & pedes in aqua: hoc non impedit etiam, quin supernaturaliter vnum & idem corpus possit esse in pluribus locis, vt dicetur. Secunda proprietas est, *quòd locus contineat locatum à quo repletur*; est enim relatio inter locum continentem & locatum in eo contentum, actualis nimirum vel aptitudinalis, si scilicet locatum actu vel aptitudine in loco existat. Tertia proprietas est, *quòd locus sit æqualis locato*; loquimur enim hic de loco adæquato, & locus adæquatus non debet esse maior aut minor re locata. Quòd si continens dicatur maius contento, & quòd proinde locus videatur locato maior: antecedens est verum de loco sumpto materialiter, prout est corpus quoddam physicum diuisibile, & proinde maius contento; falsum verò de loco sumpto formaliter pro superficie indiuisibili, quæ non excedit locatum. Eandem di-

ſtinctionem afferunt alij, dicentes, locans *quod* eſſe maius locato; locans verò *quo* eſſe locato æquale. *Quarta* proprietas eſt, quòd locus ſit terminus motus localis, in quo reperiuntur duo termini, *à quo*, *&* *ad quem*. Aliqui addunt quòd locus generet, conſeruet, attrahat, & perficiat locatum, ſi ſit locus naturalis; & quòd habeat contrarios effectus, ſi ſit violentus: ſed talis proprietas non cenſetur conuenire loco ratione ſui, ſed ratione qualitatum amicarum vel inimicarum locatis; locus enim abſolutè conſideratus dicit tantùm continentiam rei locatæ, quidquid ſit de qualitatibus loci & locati, quæ ſunt illis extrinſecæ.

Quæres *an locus ſit quid abſolutum, vel relatiuum*. Reſp. locum materialiter ſumptum eſſe *quid abſolutum*, quandoquidem per *locum* intelligitur ſuperficies corporis continentis locatum; ſed ſuperficies eſt de genere quantitatis, quæ eſt accidens: ergo locus materialiter ſumptus eſt quid abſolutum. Si formaliter verò ſumatur locus, tunc eſt entitas relatiua, vt docet Scotus 5. *met. quæſt.* 9. poſt Ariſt. 4. *phyſ. text.* 41. vbi, in definitione loci, præter ſuperficiem, ponit continentiam rei locatæ; ſed continentia eſt relatio continentis ad contentum, quoniam locus eſt *locati locus*, & locatum eſt *loco locatum*: ergo locus formaliter ſumptus eſt *quid relatiuum*: vnde Doctor noſter *quæſt.* 23. *&* 24. *prædicam.* Docet locum non reponi in prædicamento quantitatis, ſed in prædicamento *vbi*; quod eſt relatio intrinſecùs adueniens. Nec in hoc diſſentit Scotus ab Ariſt. quidquid reclamet Toletus, quia Philoſophus non dicit ſimpliciter, quòd locus ſit *ſuperficies*; ſed addit, quòd ſit ſuperficies continentis; *continere* autem eſt quid relatiuum pro formali, licèt materiale eius ſit abſoluta quædam entitas, nempè *ſuperficies*, quæ fundat relationem.

Quæres *vtrùm qualibet res exiſtat in loco*. Reſp. hanc eſſe rerum naturalium ſortem, vt ſicut quęlibet producta eſt in aliquo tempore, ſic etiam exiſtat in aliquo loco determinato, quem Deus deſtinauit vnicuique pro ſua dignitate; ita quòd inter elementa inferiorem locum teneat terra, paulò ſuperiorem aqua; deinde aer, poſtea ignis; ac denique cœli; vnuſquiſque in ordine ſuo, vſque ad vltimum, quod omnes globos cœleſtes continet, quorum verè propriè dicitur

citur *locus*. An autem vltimum cœlum dicatur esse in loco, hoc negat Scotus *quodlib.* 11. *& in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 16. Si enim vltima sphæra, quæ à Theologis vocatur cœlum empyreum, esset in loco, contineretur ab alio corpore: sed supra vltimum cęlum non est aliud corpus, quoniam illud vltimum esse supponitur: ergo vltimum cœlum non existit in loco, vt docet Arist. 4. *phys. tex.* 43. Quòd si ibi videatur Arist. dicere cœlum esse in loco per partes; per *cœlum* intelligit Philosophus vniuersum, cuius partes sunt quidem in loco; quia ambiuntur per vltimam sphæram; ita autem nullibi esse censetur, quia vltima est.

Quæres *vtrùm possit aliqua res produci absque præsentia ad locum*. Resp. affirmatiuè, potuit enim Deus creare Angelum, imò & corpus aliquod vnicum sine alio corpore quod illud contineat; sed protunc tale corpus non erit in loco: ergo potest aliqua res produci absque præsentia ad locum. *Deinde* ex præcedenti responsione habetur quòd vltimum cœlum non sit in loco & proinde Deus potest idem facere respectu Angeli, vel cuiuscumque corporis, destruendo scilicet omne aliud à quo inuolueretur. *Si quæratur* autem *per quid res formaliter sit in loco*: respondebitur breuiter hoc fieri per aliquem modum à re locata distinctum, per quem ipsa verè dicitur realiter existere in loco, vbi antea non erat: qui modus dici potest vbi internum rei locatæ, à re ipsa procedens, non per localem motum, sed per emanationem simplicem. Si quæratur autem vlteriùs *an aliqua substantia totalis existens in loco cum suis partibus & accidentibus habeat plures præsentias ad locum*; hoc admittit noster Poncius, quantùm ad partes essentiales substantiæ corporeæ, & quantùm ad quodlibet accidens absolutum, ita separabile ab alijs accidentibus & partibus illis essentialibus, vt posset sine illis esse in toto. Sicut etiam horum quodlibet essentiam habet diuersam ab alio, sic etiam quodlibet eorum potest sibi vindicare præsentiam particularem ad locum; cùm dixerimus antea, vni vel diuersæ essentiæ vnum vel diuersum locum deberi.

QVÆSTIO III.

Vtrum idem corpus possit esse simul in pluribus locis.

Constat quidem quòd vnum corpus possit esse simul in pluribus locis inadæquatis, vt si homo esset in aqua vsque ad caput, & haberet caput in aere; sed quæstio nostra est, *vtrum possit esse totum in pluribus locis adæquatis & totalibus*. Constat etiam idem corpus esse in diuersis locis simul & semel *indiuisibiliter*, & veluti *definitiua* præsentia cùm *fides doceat corpus Christi esse in pluribus altaribus*. Constat denique quòd idem corpus possit esse in vno loco diuisibiliter seu extensiuè & in alio indiuisibiliter & inextensiuè, vt corpus Christi in cœlo, vbi *extensiuè* residet, & in sacramento, vbi existit *indiuisibiliter*. Sed quæstio nostra est, *vtrùm idem corpus saltem de potentia D. possit esse in pluribus locis diuisibiliter & circumscriptiuè*, Petrus v. g. Romæ & Parisiis. Circa hanc materiam admittunt omnes vnum corpus vnicam exigere Præsentiam ad vnum locum, cum enim omnes corpus finitam habeat perfectionem, limitari debet ad vnum locum, vltra quem se extendere non valeat naturaliter: vnde experientia comprobat locum vnum ab vno corpore occupatum aliud non posse capere. Imò si aliquod corpus præoccupauerit illum locum, necesse est vt illud expellatur ab eo, antequam aliud possit in eius loco substitui; quod aliundè procedere non potest nisi quia vni corpori vnus locus debeatur. In eadem hac materia dissentiunt Caluinistæ à Catholicis, & catholici inter se, quòd illi reijcientes præsentiam realem corporis Christi à sacramento Eucharistiæ, velint vnum & idem corpus non posse esse simul in pluribus locis. Thomistæ cum Durando admittunt quidem idem corpus posse existere in pluribus locis *definitiuè*, vel in vno loco *circumscriptiuè*, & *definitiuè* in alio, vt docet fides catholica de corpore Christi, quod extensum & diuisibile residet in cœlo, & *definitiuè* seu sacramentaliter in Eucharistia. Scotus autem cum nostris, quibus subscribunt plurimi, docet communiter vnum & idem corpus posse diuinitus existere in pluribus locis *circumscriptiuè & diuisibiliter*.

CON-

CONCLVSIO.

DE *potentia Dei absoluta vnum Corpus potest esse in pluribus locis simul circumscriptiuè*. Sic Scotus *in 4. dist.* 10. *quæst.* 2. Hanc sententiam vnanimiter amplectuntur Alensis, Ochamus, Parisienses, & eam Richardus vocat tutiorem in fide. Suares dicit eam maximè magnificare potentiam Dei; & Valentia contrariam refellit, tanquam fidei, patribus, & rationi minùs conformem.

Probatur primò. Quod aduenit respectu corporis Christi, idem aduenire potest respectu cuiuscumque corporis, cùm in omnibus sit par & vtrobique ratio; sed *corpus Christi fuit circumscriptiuè in pluribus locis simul & semel*: ergo & idem dici potest de quocumque alio corpore. Probatur minor, quia de fide est corpus Christi ascendisse in cœlum, & exinde non esse egressurum vsque ad diem iudicij, vt habetur act. 3. *quem oportet cælum suscipere vsque ad tempus restitutionis omnium*. Fides eadem docet eundem Christum cum corpore suo apparuisse Paulo eunti in Damascum, vt habetur 1. *ad Cor.* 15. sed in vtroque loco, id est, tum in cœlo, tum in aere, vel in terra Damasci, corpus Christi erat diuisibili & circumscriptiuo modo, aliàs non visus fuisset ab Apostolo, quandoquidem oculi, qui sunt organa diuisibilia, non possunt videre nisi obiecta, quæ etiam diuisibilia sunt: ergo *corpus Christi simul & semel fuit in pluribus locis diuisibiliter & circumscriptiuè*. Nec dicere debent Thomistæ apparitionem Christi ad Paulum factam fuisse, non quidem proprio corpore, sed in quadam similitudine & apparentia corporis Christi. Hoc enim contradicit fidei, quæ docet Paulum fuisse verum & proprium testem Resurrectionis Christi; de qua tamen certò non posset testari, nisi ipsum vidisset in carne propria suscitatum. Quòd si dicant Christum ad breue tempus deseruisse cœlum, vt occurreret Paulo eunti in Damascum; hoc contradiceret eidem scripturæ *Act.* 3. dicenti *quod oporteat ipsum permanere in cælo vsque ad tempus restitutionis omnium*: quòd denotat ipsum nunquam exijsse è cœlo, nequidem pro vno momento. Cum ergo eodem tempore Christus extiterit in cœlo cum sua quantitate diuisibili quam se

cum assumpsit, & in via Damasci, vbi ipsum vidit Paulus; proinde *meritò dicimus ipsum fuisse in pluribus locis simul circumscriptiuè & diuisibiliter.*

Probatur 2. Quidquid potest Deus mediante causa secundâ, hoc idem potest propria virtute, quia potentia D. non alligatur agentibus creatis; sed mediante sacramento Eucharistiæ facit Deus, quòd corpus Christi sit in pluribus locis, vt docet fides: ergo Deus se solo idem facere potest. Si respondeant Thomistæ fieri reuerà posse, quòd corpus Christi sit in pluribus locis *definitiuè*; non verò posse fieri quod sit in pluribus locis *circumscriptiuè* & *diuisibiliter* ; vrgeri debent per hoc, quòd si corpus Christi sit in vno loco *diuisibiliter* nempè in cœlo, & in alio *indiuisibiliter*, nempè in sacramento, à fortiori possit esse in pluribus locis *diuisibiliter*: quia faciliùs est esse diuisibiliter in pluribus locis, quàm indiuisibiliter. Nam ad hoc quòd corpus Christi sit in cœlo extensum, & inextensum in sacramento, requiritur duplex miraculum, per quorum prius idem corpus est in pluribus locis, & per posterius est in vno horum locorum indiuisibiliter, quod est contra virtutem ordinariam corporum, quæ petunt extendi ad locum. Ad hoc autem, vt idem corpus sit in pluribus locis *diuisibiliter*, sufficit vnum miraculum, nempè multiplicatio præsentiæ corporis. Et sic si Thomistæ admittant, iuxta principia fidei catholicæ corpus Christi esse in pluribus locis, in vno quorum est diuisibiliter, & indiuisibiliter in alio, & in cœlo scilicet & in sacramento; proinde negare non debent quin de potentia Dei absoluta idem numero corpus possit esse *circumscriptiuè & diuisibiliter* in pluribus locis.

Probatur 3. ratione Scoti. Cum vnitate prioris potest stare pluralitas posterioris, sed *esse in loco* est quid posteriùs corpore, quoniam est respectu corporis ad locum: ergo loca possunt multiplicari non multiplicato corpore, & sic idem *numero* corpus poterit esse in pluribus locis *simul & semel*. Respondent Thomistæ hoc posse quidem fieri *definitiuè*, non verò *circumscriptiuè*: quia *circumscribi à loco* est ita cingi & determinari à loco, vt non possit existere extra illum. Sed gratis allegatur ista responsio, quia *circumscribi & definiri* à loco dicit quidem *determinari* à limitibus loci per respectum ad potentiam naturalem locati, quod est ita in loco suo, vt non possit naturaliter extendi extra.

tra illud: hoc tamen non impedit, quin de potentia Dei absoluta id quod definitur & circumscribitur à loco, possit extendi extra illud. Non enim in hoc differunt *circumscribi & definiri à loco*, quòd *circumscribere* absolutè determinet corpus ad suum locum, sed quòd partes locati correspondeant partibus loci; vbi aliquid censetur à loco definiri, quod non habet talem correspondentiam ad partes locati. Sicut ergo in mente Thomistarum vnum corpus potest esse *definitiuè* in pluribus locis, sic concedi debet, quòd idem corpus possit esse etiam *circumscriptiuè* in pluribus locis; quandoquidem, vt antea probatum est, minor difficultas interuenit in isto, quàm in illo.

Obijcies 1. quod est in vno loco *circumscriptiuè* est in suo termino; sed quod est terminatum non potest vlteriùs extendi: ergo quod est in vno loco non potest esse in alio. *Resp.* maiorem esse veram, vt diximus, per respectum ad potentiam naturalem locati, non verò per respectum ad potentiam Dei absolutam. *Dices*. Vnum & non vnum sunt contradictoria; sed idem corpus esset vnum, quia loquimur de vno corpore, & non esset vnum, quia esset diuisum à se ipso: ergo non potest fieri, quòd vnum corpus sit in pluribus locis. *Resp.* negando min. Tale enim corpus semper remaneret *vnum*, licèt multiplicaretur illius locatio. Quando autem dicitur, *quod esset diuisum à se*: hoc verum est quantùm ad præsentiam localem, quæ esset diuisa: non verò quoad entitatem locati, quæ semper indiuisa maneret. *Dices* si posset vnum corpus esse in pluribus locis, posset esse in infinitis; proindeque esset immensum, quod repugnat. *Resp.* non propterea foret in infinitis locis, quia infinita loca non sunt dabilia; nec etiam propterea tale corpus esset *immensum*: quia esset in infinitis illis locis contingenter & dependenter à Deo, quod est contra rationem immensitatis, quæ est perfectio qua ens est vbique necessariò & independenter.

Obijcies 2. Si corpus possit esse in diuersis locis simul, poterit esse in diuersis temporibus. *Resp.* negando conseq. quia duo tempora, quæ sunt successiua, non possunt esse *simul*; bene autem duo loca, quæ sunt de genere permanentium. *Dices*. Si corpus sit in duobus locis contiguis vel continuis, erit sibi contiguum vel continuum. *Resp.* erit contiguum vel con-

tinuum ratione loci, quia habebit præsentias diuersas contiguas vel continuas: non verò ratione sui: quia cùm remaneat semper vnum & indiuisum, non poterit esse sibi continuum aut contiguum. *Dices*. Si corpus præsens in vno loco fieret adhuc præsens in alio, non videtur per quam actionem id fieret. *Resp*. Scotum vocare hanc actionem adductiuam, non productiuam; quia non producitur corpus, quod iam existit, sed producitur noua corporis præsentia, sicut quando corpus Christi fit pręsens alicui loco, non acquirit de nouo *esse*, sed tantùm nouam præsentiam. *Dices*. Illud corpus posset dealbari Parisiis & denigrari Romæ, quæ cum sint contradictoria repugnant posse fieri. *Resp*. hoc non fore contradictorium, nisi respectu eiusdem corporis in eodem loco constituti; non verò respectu diuersorum locorum.

Obiicies 3. Si corpus posset esse in pluribus locis, Romæ scilicet & Parisiis, Petrus Parisiis existens posset se mouere versus Petrum existentem Romæ, & vice versa, sicque sibi possent occurrere in via angusta, & protunc vel vnus cederet locum alteri, quod non est verisimile, quia non est maior ratio, vt vnus cedat quàm alter; vel sese inuicem penetrârent, quod adhuc non potest fieri. *Resp*. posse fieri reuerà, quòd Petrus existens Romę se moueat versus Parisios, & vice versa, duplexq; illa præsentia poterit reperiri in eodem loco, sed protunc fieret penetratio vnius extensionis seu vnius præsentiæ cum alia, non quidem viribus naturæ, quia penetratio dimensionum non est possibilis naturaliter, sed fieret talis penetratio per nouum miraculum, Deo scilicet auferente vnum *vbi*, & remanente tantùm altero: & sic protunc Petrus non esset ampliùs in pluribus locis, sed in vno loco duntaxat.

Obijcies 4. Si vnum corpus posset esse in pluribus locis, posset idem corpus simul calefieri & frigefieri, quiescere & moueri, stare in vno loco & sedere in alio, saturari & esurire, viuere & mori, damnari denique & saluari. Ad harum & similium obiectionum solutionem tres assignat regulas doctor subtilis, quarum prima est. *Quæ sunt essentialiter priora ipso vbi, vniformiter insunt corpori habenti tantùm vnum vbi, & habenti plura; ita quod si multiplicentur illa vbi, talia etiam prædicata multiplicentur*: v. g. si ante multiplicationem pręsentiæ corpus sit viuens, aut talis quanti-

titatis, vel qualitatis, erit etiam viuens in omnibus locis, & talis quantitatis, aut qualitatis. *Quæ verò sunt simul naturà, vel posteriora ipso vbi, variari possunt ad variationem ipsius vbi, & reperiri in vno loco, non vero in alio*. Ratio autem huius regulæ est, quia *prius essentialiter non variatur propter variationem posterioris, bene* autem *illud quod est posterius, vel simul naturà variari potest ad variationem prioris*. Secunda regula est; *sicut passum existens in vno loco formam reciperet à duobus agentibus approximatis, sic eandem reciperet in pluribus locis existens*; quod tamen intelligi debet de formis *absolutis*, quæ si recipiantur in vno loco, recipiuntur etiam in alio; vnde si Petrus calefieret Romæ, calefieret etiam Parisiis, licèt ignis non esset illi approximatus Parisiis. Tertia regula; *sicut corpus in vno loco existens se habet in ratione actiui ad diuersa approximata in illo loco, sic ipsum existens in pluribus locis se habet ob illa, & ob hoc, sicut homo existens in vno loco non potest vincere duos homines, sic nec eos vincere poterit in pluribus locis existens: quia nimirum eodem modo se habet, in ratione actiui, in diuersis locis, sicut se haberet tantum in vno*. His positis, ex harum regularum præscripto.

Resp. ad primum *quòd si corpus sit frigidum in vno loco aut calidum, tale erit in alio*; quod fiet hoc modo. Si corpus Petri apponatur frigori Parisiis, & calori Romæ, illa agentia, vel erunt æqualis virtutis, vel diuersæ; si sint æqualis, neutrum aget; quia calor in secundo gradu impedietur à frigore in eodem gradu: si autem vnum sit maioris virtutis quàm aliud, & calor v.g. superet frigus, tunc corpus Petri fiet calidum in eo gradu, quo calor superabit frigus. Et hæc solutio nititur in secunda regula, quæ docet quòd *sicut passum existens in vno loco formam absolutam reciperet à duobus agentibus sibi approximatis, sic eam pateretur in diuersis locis existens*: sicut ergo illud corpus Petri existens in vno tantùm loco calorem vel frigus reciperet iuxta proportionem agentis, sic Romę & Parisiis existens recipiet frigus vel calorem ab illo tantùm agente, quod aliud superabit, licèt non sit approximatum tali loco; quia nimirum approximatum est eidem corpori, quod est vnum & idem in pluribus locis.

Resp. ad secundum *quòd vnum & idem corpus sta-*

bit in vno loco & sedebit in alio, poteritque esse sursum & deorsum; quia sunt relationes loci ad locatum, quæ cùm sint posteriores corpore, possunt variari secundùm diuersa loca, licèt non varietur corpus. Hæc autem solutio fundatur in prima regula doctoris, quæ docet *posteriora ad vbi posse quidem variari, licet non varietur prius*; & ideo licet non varietur corpus, ita tamen variabuntur situationes corporis, vt Petrus v.g. possit stare in vno loco & sedere in alio, quiescere Parisiis & moueri Romæ. Si autem quis vellet colligere hoc esse contradictorium; quia protunc idem corpus staret & non staret. *Resp.* hoc non debere admitti simpliciter, ne detur contradictioni locus; sed semper addi debere, quòd idem corpus sedeat in vno loco & non sedeat in alio: quia affirmatio & negatio non se tenent ex parte locati, sed ex parte loci, qui variatur, vbi corpus inuariatum manet iuxta priorem regulam.

Resp. ad tertium, *quantùm ad famem & saturitatem, quòd si sumantur pro sumptione alimenti, qua est quid relatiuum, possit reuerà idem corpus sumere cibum in vno loco, & non in alio; si verò saturitas sumatur pro nutritione, qua est forma absoluta, sequens ad sumptionem alimenti; tum si corpus aliquod repletum sit in vno loco, erit etiam repletum in alio ratione scilicet identitatis subiecti; quatenus nimirum est idem corpus in vtroque loco*. Licèt ergo Petrus Romæ possit capere alimentum, mediante quo saturabitur in illo loco, & Parisiis se abstinet à cibi sumptione, vbi proinde famescèt; attamen quantùm ad saturitatem, quæ sequitur ad sumptionem alimenti Romæ accepti, quia ipsa saturitas est forma absoluta, ea ad erit tum Romæ tum Parisiis: & hoc iuxta secundam regulam, quę dicit *passum existens in pluribus locis recipere easdem formas absolutas*.

Resp. ad quartum, *quòd vita & mors sint qualitates absolutæ, quæ faciunt vel destruunt hominem*; & proinde si Petrus moriatur Romę, morietur Parisiis: aliàs secundum substantiam esset & non esset. Potest tamen hìc vulnerari, & non alibi; quia vulneratio est actio, & relatio sequens ad corpus: ex vulnere tamen inflicto Romę Petrus morietur Parisiis, quia est idem subiectum, quod non potest simul viuere & mori. Ad id quod aliquando obiicitur *posse vnum hominem simul*

damnari & saluari: responderi debet quòd si per *damnari & saluari* intelligatur esse in inferno & in paradiso, hoc fieri possit sicut in alijs locis; si verò per *damnari* intelligatur habere dolorem quem damnati habent, & per *saluari* intelligatur habere gaudium quod saluati percipiunt: tunc non potest idem damnari & saluari, quia damnatio & saluatio sic acceptæ sunt *formæ absolutæ, quæ non variantur ad variationem ipsius vbi*.

Resp. ad id quod potest colligi ex conclusione, *vnum corpus posse esse in mille locis; & sic vnum solum hominem posse facere exercitum, choreas ducere, & harmoniam edere vocum*. Respondeo, inquam, vnum & eundem hominem posse multoties multiplicari; sed proinde ex tali multiplicatione non consurgeret exercitus; quia non erunt plures homines, sed tantùm vnus homo. Poterit etiam ille in vno loco vocem altiorem emittere, & in alio demissiorem, quia aer aliter mouebitur in vno loco, & aliter in alio; non tamen vlla erit harmonia; cum hæc multiplicationem vocum requirat. Quantùm denique ad *choream*, talis multiplicatio præsentiarum choream non faciet; quia non erit multiplicatio hominum, sed vnitas. Si autem quæratur *num ad multiplicationem eiusdem hominis in centum locis possint plures effectus sequi, quàm in vno tantùm*: respondendum est negatiuè per tertiam regulam, quam attulimus ex Scoto, quæ docet, quòd *sicut corpus in vno loco existens se habet in ratione actiui ad diuersa obiecta, sic se habeat in pluribus locis*.

Ad vltimam instantiam, quà dici potest Petrum Romæ existentem *posse videre Papam, & Parisiis videre Regem Christianissimum; & sic videre & non videre Papam, quæ repugnant*: Responderi debet, quantùm ad *actionem visiuam*, quæ est relatiua; quòd Petrus reuerà vt Romæ existens videbit Papam, & non vt existens Parisiis: quantùm verò ad *visionem*, vt est terminus actionis & qualitas absoluta per visionem producta, talis erit in Petro existente Parisijs & Romæ; sicque Petrus poterit dici Parisiis habere visionem Papæ seu speciem illius, quam tamen non acquisiuit vt Parisiis existens, sed vt existens Romæ. Idem dici debet de visione Regis Christianissimi. Porrò ad id quod dicetur forsan, *vnum & idem corpus posse distare à se ipso, & ad seipsum moueri*. Resp. quòd nulla sit in eo repugnan-

gnantia, si per *distare* intelligatur corpus esse in distantibus locis. Nec etiam repugnat, quòd corpus moueatur, non quidem ad se, quia esset diuisum à se, sed ad locum in quo habet aliam præsentiam.

QVÆSTIO IV.

Vtrum duo corpora possint esse in eodem loco.

VEterum philosophorum aliqui mordicùs asseruerunt duo corpora posse naturaliter reperiri in eodem loco, cum sua propria quantitate; ita quòd sese mutuo penetrarent, quandoquidem penetratio nihil est aliud quàm positio duorum corporum in eodem loco. E diametro Durandus in 4. *dist.* 44. contendit impenetrabilitatem non posse tolli à quantitate, quæ cùm sit conditio essentialis corporum, proinde vult duo corpora non posse existere simul in eodem loco, etiam diuinitùs: quid statuendum sit pro vtraque parte, in duplici conclusione dicitur.

CONCLVSIO PRIMA.

D*Vo corpora non possunt esse naturaliter in eodem loco.* Experientia enim videmus locum ab vno corpore occupatum non posse aliud capere; imò sese inuicem expellunt, aliàs fieret dimensionum penetratio, & quantitas, quæ dicit ordinem ad locum quem replet, priuaretur sua proprietate, si non expelleret aliud corpus à loco vbi se ponere vult. *Deinde* si naturaliter possent existere duo corpora in eodem loco, nulla fieret diuisio continui per impetuosum contactum vnius corporis ad aliud, nec gladius lignum scinderet, nec ensis lateri hominis infixus vulneraret ipsum, cuius tamen contrarium videtur quotidie: quod satis demonstrat duo *corpora* non posse existere simul, sed vnum cedere alteri. *Tandem* licèt non sit formalis oppositio inter duas quantitates, quarum vna debeat expellere aliam, sicuti est oppositio formalis inter calorem & frigus, vel inter humiditatem & siccitatem: attamen inter duas quantitates versatur virtualis repugnantia, nimirum penes effectus suos secundarios, quatenus vnaquæque replet locum cui apponitur; & sic postquam vnum corpus per suam quantitatem repleuit

vnum

vnum locum, alia quantitas non poteſt eundem locum replere, aliàs idem locus eſſet ſimul repletus & non repletus: ergo ex virtuali repugnantia, quæ reperitur inter duas quantitates, oritur incompoſſibilitas naturalis duorum corporum in eodem loco.

Obijcies pro veteribus philoſophis, in ferro candenti ignem non ſolùm meare per poros ferri, ſed etiam ipſius ferri penetrare corpus, quod volunt non poſſe fieri, niſi quia corpora ignis & ferri ſunt in eodem loco. *Reſp.* in candenti ferro ſubſtantiam ignis non eſſe in eodem loco, vbi eſt ſubſtantia ferri; ſed intra ferri poros ſubintrat ignis, qui eſt ſubtiliſſimus. Deinde in ferro candenti reperiuntur quędam partes pinguiuſculę ipſius ferri, quæ conuertuntur in ignem; vnde ferrum candens dum percutitur ſcintillas vibrat, quæ extinctæ vertuntur in cineres. Tandem licèt partes ferri videantur ignis, non tamen ſunt tales à parte rei; ſed ferrum ita incaleſcit, vt ignis videatur.

Ad id quod alij afferunt de vaſe cineribus pleno, quod vlteriùs poteſt maximam aquæ copiam continere. *Reſponderi* debet hoc non fieri, quaſi corpora cinerum & aquæ ſint ſimul, ſed quia granula cineris non ita exactè ſe contingunt, quin ſpatiola quædam aere plena inter ſe admittant; vnde adueniente aqua fortiter compressmento tales cineres reducuntur ad minus ſpatium, quod antea occupabat aer expulſus per aquam; & ſic nil mirum eſt, ſi vas illud, quod antea plenum cineribus videbatur, recipiat inſuper non mediocrem aquæ quantitatem. Idem habetur de vaſe pleno aqua, quod plures adhuc nummos recipit abſque effuſione. Quòd ſcilicet hoc ideo fiat, quia aqua ad iniectos nummos condenſatur, figuramque ſphæricam ſuſcipit, quæ ſibi eſt maximè propria, ad quod iuuat ſiccitas extremitatum vaſis, quæ cùm ſit contraria humiditati, eam fluere non patitur, donec vincatur ab aqua. Idem denique ad id quod afferunt alij panem calidum liquorem plurimum ebibere: hoc enim procedit ex hoc, quòd liquor expellat aerem à pane, cuius meatus occupat.

CONCLVSIO SECVNDA.

PRaallegatæ rationes non impediunt, quin plura corpora cum ſua externa quantitate & extenſione di- *vi-*

visibili possint esse in eodem loco per absolutam Dei potentiam. Sic cum philosophorum & theologorum turmà Scotus *quæst.* 11. *quodlib.* contra Durandum loco præcitato. Hoc primò docet Scriptura, in qua habemus Christum Dominum exisse ex vtero beatissimæ Virginis absque *violatione* pudici claustri: ipsum post resurrectionem sepulchrum *clausum* peruasisse, corpora obstantia penetrando: eum similiter ianuis *clausis* ingressum fuisse ad discipulos tanta cum libertate, vt spiritus putaretur: tandemque ipsum *penetrasse* cœlos, vt habetur ad Heb. 4. *habentes pontificem, qui penetrauit cælos, Iesum*; sed omnia non potuerunt fieri, nisi corpus Christi fuisset in eodem loco, vbi fuerunt claustrum Virgineum, lapides & linteamina sepulchri, ianuæ & parietes cubiculi Apostolos continentis, ac denique cœlorum corpora: ergo non repugnat quin plura corpora possint esse in eodem loco cum sua quantitate extrinseca, quandoquidem corpus Christi extensum remanens prædicta corpora penetrauit.

Deinde si in hoc esset aliqua contradictio, maximè quia quantitas nata est occupare locum: sed talis occupatio loci & expulsio vnius quantitatis ab alia est tantùm effectus secundarius ipsius quantitatis, quem Deus impedire potest, sicut impediuit nè ignis combureret pueros in fornace Babylonica: ergo potest Deus facere, vt duæ quantitates reperiantur in eodem loco, absque eo quòd vna expellat aliam. *Tandem* ideo Deus dedit *impenetrabilitatem* quantitatibus; nè vna quantitas confunderetur cum alia, & ordo *situalis* inter illas seruaretur, sicut qualitatibus indidit contrarietatem, vt seruaretur qualitatum distinctio inter eas; sed Deus, vt supremus naturæ Dominus, potest auferre à qualitatibus contrarietatem, & eas in eodem subiecto conciliare: ergo & ipse poterit auferre impenetrabilitatem quantitatibus, & facere vt vna sit compossibilis cum alia, absque eo quòd sese inuicem expellant ab eodem subiecto: *& sic de potentia Dei extraordinaria duo corpora cum suis quantitatibus erunt in eodem loco*.

Obijcies 1. Expulsio corporis è loco est effectus formalis quantitatis; sed Deus non potest impedire effectum formalem alicuius causæ, si illa causa remaneat: ergo Deus non potest ponere duas quantitates in eodem loco,

loco, quin vna expellat aliam. *Resp.* ad maiorem, quòd expulsio corporis è loco sit tantùm effectus secundarius, & extrinsecus quantitatis, qui ab ea auferri potest per potentiam D. Effectus enim proprius, & formalis quantitatis est extendere partes in ordine ad se, effectus verò secundarius est extendere partes corporis in ordine ad locum, & vlterior adhuc effectus eiusdem quantitatis est expellere vnam quantitatem à loco in quem se vult introducere alia. Primarius ille effectus, qui est extensio partium in ordine ad se, non potest tolli à quantitate quia vt diximus aliàs, est de essentia ipsius quantitatis. Effectus verò secundarius, qui est extensio partium in ordine ad locum, est auferibilis ab illa, vt patet ex corpore Christi, quod in Eucharistia non extenditur in ordine ad locum, quoniam totum existit in qualibet parte hostiæ: ergo expulsio vnius quantitatis ab alia, qui est effectus minùs præcipuus eiusdem quantitatis, potest ab illa auferri diuinitus, & duæ quantitates extensæ in ordine ad locum sese compari poterunt, & manere simul, vt liquet de corporibus gloriosis; quæ cum sua quantitate extrinseca possunt existere in eodem loco.

Obijcies 2. Si vnus locus vna quantitate repletus posset aliam recipere, esset repletus, & non repletus, quod repugnat. *Resp.* talem locum esse quidem repletum per primam quantitatem quæ ipsum ita occupat, vt non relinquat vacuum in illo; hoc tamen non impedit, quin alia quantitas possit introduci ad eundem locum absque eo quòd præcedentem eijciat, Deo scilicet impediente talem effectum secundarium quantitatis. Non propterea tamen locus ille esset simul repletus, & non repletus, quia duo illa locata non extra se inuicem existent, sed se mutuò penetrabunt, vt patet de existentia plurium corporum beatorum in eodem loco. Nec ad ista corpora gloriosa debet respondere Durandus, eorum subtilitatem in hoc consistere, quòd breuissimo tempore se ita colligant, & quasi attenuent, vt plura illa corpora contineri possint in cuspide acus. Talis, inquam, responsio Durandi sustineri non potest, quoniam illa constrictio corporis beati non posset fieri sine graui alteratione, & destructione propria figuræ, & organorum, quæ omnia repugnant impassibilitatis, quæ est altera dos gloriosi corporis: vnde longè melius est, si dicatur quantitatem talium corporum remanere inte-

tegram, vt conseruetur impassibilitas, & vnam quantitatem non expellere aliam, vt conseruetur subtilitas corporis gloriosi.

Si dicat Durandus ex contextibus allegatis Scripturæ non rectè colligi veritatem istius conclusionis; quoniam D. Gregorius homil. paschali scribit *cœlum aperiri ad vocem sacerdotis consecrantis*: & Act. 7. *cœlos fuisse apertos vt Stephanus videre Christum*; quod satis indicat cœlos non *penetrari*, nec proinde plura corpora esse in *eodem* loco. *Resp.* hæc præcedentia potuisse sic fieri; hæc tamen non impedit, cùm Christus *penetrauerit* cœlos, & ad discipulos ingressus fuerit ianuis *clausis* quoniam hæc omnia habentur expresè in Scriptura. Si autem corpus Christi potuerit esse cum alio corpore, hoc idem fieri potest respectu omnium corporum; cùm sit vbique par, & eadem ratio. Si quæritur vlteriùs, dato quod ignis penetraret lignum, *an ignis lignum consumeret*. Respondendum est affirmatiuè quia penetratio non tollit actiuitatem corporum, cùm quodlibet eorum suam extensionem localem retineat, quæ sufficit vt vnum possit agere contra aliud.

CAPVT QVARTVM.

De Vacuo.

CVm vacuum nihil aliud sit, quàm locus non repletus corpore; ideò philosophorum non pauci in eodem capite, vbi agunt de loco, per accidens de vacuo sermocinantur: nos verò maioris distinctionis gratia, hæc duo seorsim examinanda proponimus.

QVÆSTIO PRIMA.

An detur, vel dari possit Vacuum, & quà virtute.

VAcuum potest tribus modis intelligi. *Primò* scilicet pro inani seù pro negatione loci realis, quo sensu extra cœlum vacuum aliquod, seu potius inane quoddam imaginamur; vbi tamen nihil prorsus reperitur. *Secundò* vacuum sumitur pro carentia corporis opaci, solidi, & sensibilis; quo sensu crumena dicitur vacua, dolium vacuum, & domus vacua pariter,

quan-

quando in his non reperiuntur pecunia, vinum, aut bona mobilia, vel incolę. *Tertiò* denique vacuum accipitur pro carentia, & priuatione cuiuscumque corporis in loco contenti; & tale esset cœlum lunæ, si quatuor elementa destruerentur per potentiam D. De vacuo in hac vltima acceptione considerato nobis loquendum est, & de illo dicendum *an detur naturaliter vacuum, aut possit dari viribus naturæ, an saltem Angeli possent efficere vacuum, an* denique *per potentiam D. vacuum sit possibile.*

CONCLVSIO PRIMA.

NVllum dari vacuum in rerum natura probant Arist. 4. *phys. cap.* 6. *text.* 56. & Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 16. contra Pythagoricos existimantes vacuum dari; quod, & idem sibi finxerunt Epicurei, qui contendebant vacuum, & plenum esse vniuersalia rerum omnium principia, quatenus scilicet in infinita vacuitate infinitos constituebant atomos, ex quorum concursu temerario, & casuali omnia, & singula corpora dicebant efformari. Nullum autem dari vacuum in rerum natura sufficienter probat experientia, per quam videmus res creatas ita disponi, & connecti inter se: vt vna contineatur ab alia. Vltimum enim cœlum immediatè per superficiem sui concauam coniungitur superficiei conuexæ ignis, ignis vnitus immediatè aeri, aer mari certis quibusdam in locis, & mare coniungitur terræ; & sic, cùm omnia vniuersi orbis corpora sint continua, vel saltem contigua, proinde non datur vllum vacuum in rerum natura.

Ratio autem cur Deus nullum permiserit esse vacuum in orbe vniuerso, sed voluerit omnes eius partes esse sibi inuicem continuas vel contiguas, desumi potest ex hoc quòd voluerit Deus omnia entium genera sic esse disposita, vt inferiora dependerent à superioribus in sui conseruatione, & sublunaria cōseruarentur per influentias quas illis præbent cœlestia; sed corpora cœlestia in hæc inferiora non possent agere, nisi per corpora intermedia, quæ tales influentias transferrent in hæc sublunaria, imò, & in penetralia terræ, vbi sol, & astra, metalla & lapides prætiosos generant: & sic à naturalibus debet arceri vacuum, & omnes vniuersi orbis partes debent habere continuitatem vel contiguitatem; vnde optimè Aug. 8. *de Ciuit. cap.* 21. docet elemento-

rum

rum catenatam & colligatam extare feriem: & alij Patres afferunt coniungi elementa inter fe, velut annulos in catena. Quod antea voluit infinuare Ariftoteles 1. *meteor.* 1. dicens oportet mundum hunc fubiectum effe fuperioribus lationibus. Hoc vlterius communi voce celebrant philofophi, dicentes *naturam abhorrere vacuum*.

Obijcies: fuper cœlos dantur fpatia imaginaria, quæ nihil aliud funt, quàm *vacuum*; inter poros etiam cuiufcumque corporis vacuum intercipitur: tandemque non poffet fieri motus localis, fi non daretur vacuum; aliàs duo corpora effent in eodem loco, fi motus localis fieret in fpatio pleno. *Refp. ad primum* fpatia illa effe prorfus imaginaria, nec aliud dicere a parte rei, nifi fictionem mentis: & fic non datur vacuum actuale & reale, fed folummodò imaginarium. *Refp. ad fecundum* non dari vacuum inter poros corporis: quia minimæ etiam particulæ mutuam vnionem & focietatem diligunt, ficut maiores vniuerfi partes: vnde quemadmodum maiora corpora toto impetu confluunt, vt vacuum impediant; fic minores cuiufcumque corporis partes fefe comprimunt, vt nulla fuperfit vacuitas in corpore: tales autem pori replentur vel aere, vel fubftantia quadam fubtiliori, quæ fi exhaletur, quando pars aliqua feparatur à toto, tunc corpus illud feparatum ad minus fpatium contrahitur; vt patet in floribus, qui exhalata fubtili humiditate marcefcentes ad minimum locum fe colligunt. *Refpondet ad tertium* Ariftoteles motum localem fieri per fpatium plenum; non tamen duo corpora in eodem loco exiftunt, fed vno accedente recedit aliud, vel comprimitur vt in eo fiat motus localis: ita quòd aperiatur v. g. aer, & feparentur eius partes, vt emiffa fagitta peruadere poffit ad fcopum.

CONCLVSIO SECVNDA.

V*Iribus naturæ non poteft dari vacuum*, vti poft Ariftotelem tradit Doctor nofter loco præcitato, & *in* 3. *dift.* 27. & adhuc expreffius *quodlib.* 11. *art.* 3. Id enim non poffunt efficere agentia naturalia proprijs viribus quod apertè videntur abhorrere; fed agentia omnia naturalia abhorrent à vacuo, tanquam à perniciofo fchifmate mutuam vnionem & communicationem partium

tlum impediente, in qua situm est *bonum vniuersi:* ergo agentia naturalia ipsum non possunt propriis viribus efficere vacuum. Maior ex se patet, quòd agentia naturalia non possint efficere quod abhorrent. Quandoquidem nihil appetit aut efficit, quod est sibi malum & disconueniens; sed vnio mutua partium & communicatio rerum facit bonum totius vniuersi, sicut earum diuulsio efficit illius *malum*, vt patet ex diuisione animalis in particulari; ergo sicut animal non potest efficere naturaliter diuisionem suarum partium, ad quam habet naturalem repugnantiam; sic etiam agentia naturalia, quæ sunt vniuersi partes, non poterunt efficere vacuum, quod abhorrent absolutè, tanquam sibi malum & veluti sui deformitatem.

Quantùm ad minorem, *quòd omnia agentia naturalia abhorreant à vacuo*, illam innumerę experientię demonstrant, ex quibus videtur naturam vti quatuor præsertim modis ad impediendum vacuum in vniuerso, contra inclinationem naturalem partium illius vniuersi. *Primò*, inquam, natura vtitur motu contranaturali, quando grauia ascendunt sursum, & leuia descendunt deorsum; vt patet primum de aqua, quæ ascendit per fistulam, cuius inferius orificium immergitur aquæ, si videlicet attrahatur aer ab aliquo; tunc enim ascendit aqua, ne vacuum detur. Secundum verò demonstratur ex hoc quòd aer, non obstante leuitate propria, descendat in interiores cauitates terræ, ne ibi detur vacuum; & aliquando aer ille inclusus violentos terrę motus excitat. *Secundò* ad impediendum vacuum natura vtitur rarefactione, vel condensatione corporum contra eorum inclinationem; videmus enim aliquando aerem rarefieri, vt maiorem locum occupet; & interdum condensari, vt minorem possit occupare, & dare libertatem motui locali proiectorum. *Tertiò* vt natura impediat vacuum, dat resistentiam certis corporibus, quam non haberent ex propria facultate; quandoquidem duę tabulę politę sibi inuicem applicatę fortiter adhęrerent simul, non alia de causa, nisi quia propter exactam coniunctionem vtriusque non posset facilè dari via externo aeri: & sic vt deuitetur vacuum, tales tabulę non disiunguntur, nisi paulatim & motu successiuo, per quem possit ingredi aer, separentur ad inuicem. *Quartò* denique natura vacuum impeditura solissimorum vti-

tur confractione corporum, vt videri potest in bombardis, quæ licèt sint solidissimę, franguntur tamen, cùm tanto impetu erumpit ignis, vt æquali celeritate non possit aër in eius locum succedere.

Obijcies 1. ineptum videri, quòd dicatur agentia naturalia abhorrere à vacuo, ipsum metuere, & contranaturales subire motus, vt illud impediant; quandoquidem metus, & horror sunt proprij animi effectus, qui non possunt rebus naturalibus sensu priuatis competere. *Resp.* talem loquendi modum vsitatissimum esse apud philosophos, qui omnes vna voce pronuntiant *naturam abhorrere à vacuo, ipsum metuere, & toto conatu illud impedire*; ille tamen loquendi modus debet intelligi *metaphoricè*, hoc modo scilicet quod tanta sit in qualibet vniuersi parte repugnantia ad vacuum, vt potiùs ascendant grauia, leuia descendant, laxa cōdensentur, condensata rarescant, separata vniantur, & frangantur solidiora, quàm vllo modo patiantur dari vacuum, quòd respiciunt omnes, & singulæ partes vniuersi tanquam suam deformitatem: & ad talem vacui deuitationem natura vtitur quatuor illis modis superiùs explicatis. *Eadem de causa cucurbitulæ medicæ* carnem, & sanguinem attrahunt sursum, dum aer, qui ignis virtute fuerat rarefactus, extincta flamma condensatur, & in minorem locum se recipit, efficeretque vacuum, nisi caro intumesceret, & ascenderet sanguis adventosarum summitatem facta scarificatione. *Eiusdem metu* vacui dolium vino plenum nihil aut parum illius poterit effundere, quamuis ex parte inferiori sit perforatum, nisi aperiatur orificium superius. *Pariterue lagenas* aqua calidà plena, si diligenter obturata exponatur aeri frigido, tunc ex debiliori parte frangetur, nè aqua illa refrigescens daret locum vacuo, ad minorem se reducens locum.

Obijcies 2. si natura ad impediendum vacuum faceret succedere vnum corpus alteri, non posset fieri motus in aere, quin vniuersæ aeris partes mouerentur, quoniam mota prima parte aeris secunda deberet succedere, tertia secundæ, quarta tertiæ, & sic de omnibus aeris partibus, quæ deberent moueri ad motum auiculæ cuiuslibet; sed hoc dicere ridiculum est: ergo nec dici debet, quòd vna pars vniuersi alteri succedat ad fugiendum vacuum. *Resp.* negando sequelam maioris. Cum enim aer sit fluidus, talis genii est, vt possit ra-

re-

re fieri,& condensari; ita quod dum homo v. g. mouetur in aere, pars illa aeris in qua fit motus, condensetur & minorem locum occupet, vt præbeat homini locum; postquam verò transiit homo ille per aerem, tunc rarefit & dilatatur aer ad pristinum locum, sicque cæteræ aeris partes non propterea moueri debent. *Dices* incredibile videri, quòd grauia afficiantur desiderio tendendi sursum ob fugam vacui, & leuia deorsum eadem de causa. *Resp.* grauia non tendere sursum vt grauia sunt, bene autem vt sunt partes vniuersi; tunc enim inclinationi particulari cedunt ob bonum publicum & commune reipublicæ vniuersalis.

Obijcies 3. detur vas aliquod æneum plenum aqua calida, bene obductum; si vas illud exponatur aeri frigido, gelabit aqua, & ipsa densata minorem locum occupabit; ergo in tali vase dabitur vacuum: cùm intra illud non possit subire aer. *Resp.* quòd in tali occasione non congelatura sit aqua, id prohibente natura, ob metum vacui; vel frangetur vas, quantumcumque sit fortissimum, vt periculum vacui remoueatur. *Ad id quod dicunt alij* posse extrahi aerem ab aliquo vase, vbi alius aer non introducetur, quia firmissimè occlusum erit. *Respondendum* est tunc necessariò introduci aerem per poros vasis quantumcumque solidissimi, vel per os ipsius, quantumcumque fuerit firmiter obductum potiusquam detur locus vacuo; vel denique non extrahetur aer à vase prædicto: nihil enim est quod non faciat natura vt vacuum impediatur, quod respicit tanquam sibi inimicum; quandoquidem ipsa est amans vnionis; & connectionis suarum partium, vt patet in aquæ guttulis, quæ vt se conseruent, dum sparguntur, in figuram rotundam coeunt, quæ omnium figurarum est vnitissima.

Quæres per quam virtutem natura vacuum impediat? Ad hoc respondent aliqui agentia naturalia impedire vacuum per virtutem quamdam sibi intrinsecam à Deo concessam corporibus naturalibus, per quam rapiuntur ad illa loca, in quibus fieret vacuum, nisi talia corpora substituerentur in loco aliorum, quæ per absentiam sui vacuum efficerent. Quia tamen nulla reperitur virtus fluens intrinsecè à principijs naturalibus subiecti, quæ illud moueat ad aliquid contra naturalem inclinationem; aliàs virtutes contrariæ profluerent ab eodem principio naturali; ideò meliùs re-

responderi potest, quòd talis virtus sit extrinseca, & indita à Deo, non quidem pro semper, sed pro occasione illa, in qua daretur vacuum, si vnum corpus non acciperet locum alterius, etiam contra propriam inclinationem naturalem. *Cum enim* res quælibet ordinetur ad mundi pulchritudinem, & vacuum sit maxima vniuersi defformitas, quæ mutuam societatem corporum soluit absolutè necessariam vt superiora inferioribus communicent influxus suos; ideò potius quam detur vacuum, & dissoluatur illa entium communicatio, Deus indidit singulis corporibus virtutem illam extrinsecam, & transeuntem, per quam locum suum naturalem deserunt, vt vacuum impediant, & vniantur corporibus à quibus forent separata. *Hanc vnionem corporum*, quæ aliàs separarentur, aliqui dicunt, non immeritò fieri per virtutem magneticam; qua corpora quædam attrahunt alia, vt impediatur vacuum: vnde talis motus dici potest *motus atractionis*, cum Philosophus 4. *de cœlo text.* 39. dicat aquam non ascendere nisi *tractam*. Quod autem *contiguum trahat corpus sibi proximum*, hoc debet referri ad vnionẽ quà Deus coniungit partes vniuersi; quæ tanta est, vt si corpus medium tolleretur per aliquam virtutem, tunc attrahatur remotius, vt conseruetur eadem coniunctio. Si autem quæratur *an ille motus, per quem ascendit aqua vt impediat vacuum sit naturalis, vel violentus*. Respondet Scotus *in* 4. *dist.* 49. quod dicatur *naturalis*, si spectetur aqua vt est pars vniuersi, & *violentus*, si spectetur vt est corpus graue, qui naturaliter repugnat ferri sursum.

CONCLVSIO TERTIA.

Licet non possit dari vacuum per virtutem Angelicam, de potentia tamen Dei ipsum effici potest. Primum colligitur ex Scoto *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 22. & *in dist.* 49. *quæst.* 13. Ratio *primi* est, quod nec Angelus, nec homo, nec vlla creatura possit inuertere ordinem vniuersi; cùm Deus ad *Heb.* 2. dicat se *non subiecisse Angelis orbem terræ*; sed inductio vacui est contra totius vniuersi ordinem: ergo per potestatem Angelicam non potest procurari vacuum. *Deinde* fortior est inclinatio naturæ ad impediendum vacuum, quam ad obediendum Angelo, quoniam inclinatio ad impediendum respicit bonum commune totius vniuersi, & obedientia

tia ad Angelum ſpectat tantùm ad aliquam vniuerſi partem : ergo natura non poterit efficere vacuum, vt obediat Angelo; & proinde nullus Angelus poterit cauſare vacuum. *Tandem* virtus Angeli non eſt tanta, quanta eſt potentia totius vniuerſi; ſed ex concluſione pręcedenti, tota potentia vniuerſi non poteſt vacuum inducere; cùm probauerimus vacuum naturæ viribus effici non poſſe : ergo *per virtutem angelicam vacuum dari non poteſt*.

Secundum aſſeritur pariter à Scoto *quodlib*. 11. *art*. 2. & *in* 2. *diſt*. 43. *quæſt*. 3. Deus enim poteſt annihilare omnia corpora quę ſunt ſub cęlo empyreo, & nullum corpus in tali ſpatio reproducere; & ſic per virtutem D. poteſt dari vacuum, quidquid dicat vnus Vulpes, qui 1. *p. diſp*. 18. *art*. 3. Probare nititur vacuum ita repugnare, vt nec per D. potentiam poſſit effici. *Deinde*, conſtat Deum poſſe amouere aliquod corpus à ſuo loco, & impedire nè aliud locum pręcedentis occupet; ſed hoc efficiendo efficitur vacuum: ergo affectio vacui non eſt impoſſibilis potentię D. *Tandem* ex antecedentibus, duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco: ſed difficilius eſt naturam pati vacuum, quàm duo corpora eundem locum occupare: ergo hoc erit poſſibile per reſpectum ad potentiam D.

Obiicies 1. In primam partem *quòd tanta ſit Angeli poteſtas quòd nulla ſit ſuper terram quæ comparetur ei*, *Iob*. 41. quod denotat intelligentias cœleſtes poſſe inducere vacuum, ſicuti poſſunt euertere ciuitates, & excitare terrę motus: expellendo v. g. aerem ex hac aula & impediendo nè ingrediatur alius. *Reſp*. poteſtatem Angeli excedere poteſtatem cuiuſcumque creaturę particularis, non verò ſuperare potentiam totius vniuerſi & vniuerſalis naturę, cuius eſt tantùm pars: vnde ſi viribus naturę non poſſit effici vacuum, idem à fortiori erit impoſſibile Angelo. Negari quidem non poteſt quin Angelus multa facere poſſit extraordinaria, euertendo ciuitates, & excitando pluuias: non poteſt tamen mutare ordinem rerum ſtabilitum à Deo: vnde eſto poſſet de permiſſione Dei extraordinaria expellere aerem ex hac aula, & impedire nè alius ſubintret; hoc tamen non poterit facere de permiſſione Dei ordinaria: quia conſtituit Deus vnionem & colligationem omnium partium vniuerſi, quam auferre non poteſt qualiſcumque creatura.

Obijcies 1. in secundam partem, *quòd si Deus destrueret omne corpus sub superficie concaua cœli empyrei existens, talis superficies esset locus & non esset locus; quæ repugnant.* Esset, inquam, locus, quia esset superficies, quæ est locus; non esset verò locus, quia locus dicit ordinem ad corpus locatum, nullum autem pro tunc foret corpus locatum sub cœlo empyreo: & sic non esset locus. *Resp.* in hac hypotesi superficiem illam cœli esse locum materialiter & potentialiter sumptum, quia esset superficies, quæ posset locare, si esset aliquod corpus intra illam, quod ambiret: non esset verò locus formaliter & actualiter spectatus, quia cùm nullum esset corpus locatum sub illa superficie, nullus etiam esset respectus loci ad locatum, in quo ratio formalis loci consistit. *Dices.* Nihil potest Deus contra ordinem vniuersi; sed inductio vacui est contra ordinem vniuersi: ergo Deus non potest inducere vacuum. *Resp.* distinguendo maiorem, nil potest Deus contra ordinem vniuersi, de potentia sua ordinaria, concedo: de potentia extraordinaria, nego.

QVÆSTIO II.

Dato, quòd Deus efficeret Vacuum, posset-ne motus localis fieri in illo, & qualis.

QVatuor probauimus in præcedenti quæstione, non dari scilicet actu vacuum, nec posse dari viribus naturæ, neque etiam per virtutem Angelorum, *quorum potentiæ non subiecit Deus orbem terræ*, vt inquit D. Paulus ad *Heb.* 2. qui proinde non possunt viribus suis & absque permissione Dei extraordinaria introducere vacuũ in rerum natura; quandoquidem immutarent ordinem prouidentiæ D. quæ inter omnes creaturas continuitatem apposuit, vt superiores possint inferiores adiuuare per influxus suos à cœlestibus descendentes ad sublunaria quælibet, mediantibus corporibus intermedijs, quæ sunt veluti quædam talium influentiarum vehicula. Quia tamen asseruimus Deum de sua potentia extraordinaria posse vacuum inducere in naturalibus, annihilando nimirum omnia corpora elementaria & mixta; ideo factà hac suppositione, quærimus in præsenti *an in illo vacuo posset fieri motus localis, & an talis motus foret successiuus, vel instantaneus.*

CONCLVSIO.

SI *daretur vacuum per potentiam D. posset in illo fieri motus localis, qui esset successiuus, non verò instantaneus.* Prima pars huius conclusionis est Scoti *in 2. d st. 2. quæst. 9.* D. Thomæ 4. *Phys. lect.* 2. & aliorum communiter. Positis enim principijs agendi & patiendi, & remotis impedimentis, potest effici motus; sed si in spatio vacuo, vel supra vacuum, nempe in cœlo, esset homo habens pilam præ manibus, esset agens & patiens, nullumque poneretur impedimentum: ergo illam pilam posset proijcere, & proinde efficere motum in vacuo: *Deinde* si inter cœlum & terram annihilaretur aer, & mola asinaria à cœlo lunæ proijceretur in terram, non potest concipi cur illa non caderet; cùm foret immensi ponderis: ergo pro tunc fieret motus localis in vacuo. *Tandem* si aliquid obstaret, quin posset dari motus localis in vacuo, maximè quia deest medium plenum; sed plenitudo medij spatii plus officit motui locali, quam proficit ad illum, quandoquidem densitas & crassities medii retardant motum: ergo non debet negari quin motus localis posset fieri in vacuo. *Porro* si nullus esset aer in hac aula, assignari nulla ratio potest cur homo in illa existens non posset mouere pedem aut manum.

Secunda pars est eiusdem Scoti loco præcitato, & *quæst.* 12. *eiusdem 2. dist.* 2. Ratio huius est quia successio motus nedum fit per resistentiam medij, sed etiam fit per distantiam inter terminum *à quo* & terminum *ad quem*; at licèt in motu qui fieret in vacuo nulla adesset resistentia medii, quandoquidem medium illud esset vacuum nullumodo resistere potens, attamen in tali motu reperiretur distantia terminorum, si videlicet pila proiiceretur à cœlo lunæ in terram: ergo motus qui fieret in vacuo non esset instantaneus, sed successiuus. *Deinde* mouens finitum & limitatum relinquens terminum *à quo* & acquirens terminum *ad quem* agit in tempore & cum successione aliqua; sed si homo se moueret à cœlo ad terram esset agens finitum & limitatum relinquens terminum *à quo*, scilicet *cœlum* & acquirens terminum *ad quem terram* videlicet: ergo motus illius hominis factus in vacuo esset *successiuus* & non instantaneus. *Tandem* posito quòd

Deus destrueret omnia corpora, quæ sunt intra cœlum & terram, remanentibus duobus tantùm lapidibus, quorum vnus caderet è cœlo, & alter ex illo spatio vbi nunc est media aeris regio, si hic vterque lapis simul caderet, ille qui est in medio citiùs attingeret centrum, quàm ille qui de summo caderet, quod euidenter demonstrat motum in vacuo factum inuoluere *continuitatem & successionem*.

Obijcies 1. Motus localis debet esse sursum vel deorsum, & à dextris vel à sinistris; sed si fieret motus in vacuo, nullam haberet differentiam ex prædictis: ergo non posset fieri motus in vacuo. *Resp.* quòd reuera *sursum* & *deorsum*, sicut *dextrorsum*, vel *sinistrorsum*, sint proprietates motus localis: vnde si fieret motus in *vacuo*, motus ille haberet aliquam ex illis differentijs, non quidem respectu corporum inferiorum, quia supponimus nulla esse ratione *vacui*, benè autem respectu cœli & partium eius: tunc enim talis motus esset à dextris vel à sinistris cœli & alicuius partis illius. *Dices* Si fieret motus in *vacuo*, mobile illud non quiesceret, quia nullum esset medium resistens; sed omnis motus localis fit ad acquirendam requiem in centro, quo adepto, cessat motus, ergo non posset fieri motus in vacuo. *Resp.* negando sequelam maioris, quia si mobile esset proiectum aliquod, quiesceret in illo loco, vbi deficeret virtus proijcientis; si verò mobile esset animal, quiesceret pro libito, vel pro fatigatione sua.

Obijcies 2. *in secundam partem*. Resistentia medij est causa, cur retardetur motus; sed in vacuo nulla esset resistentia medij: ergo nil posset retardare motum localem in *vacuo* factum, proindeque non foret successiuus, sed instantaneus & indiuisibilis. *Resp.* quod resistentia medij sit quidem causa partialis, cur retardetur motus non tamen est causa totalis & adæquata talis retardationis: quandoquidem successio & continuitas motus desumitur nedum ex resistentia medii, sed etiam ex distantia terminorum *à quo* & *ad quem*: vnde licèt in *vacuo* nullum sit medium resistens mobili, quia tamen est distantia inter terminum *à quo* & terminum *ad quem*, ideo mobile prius transit vnam partem spatij vacui, quàm aliam; & sic talis motus in vacuo factus esset *successiuus*. Supposito enim, vt prædictum est, quòd omnia corpora sublunaria annihilarentur, &

mo-

mola asinaria caderet è cœlo, tunc prius perueniret ad locum vbi nunc est suprema aeris regio, deinde ad locum vbi existit media, ac denique ad illum vbi infima reperitur; quod satis demonstrat continuitatem & successionem motus localis facti in vacuo.

Quæres, *an supra cœlum existant spatia imaginaria, in quibus Deus possit dici existere.* Hoc negat Scotus *in 1. dist. 37. quæst. vn.* contra Recentiorum plures, qui affirmant supra vltimum cœlum dari *vacuum quoddam*, seu *spatia imaginaria*, in quibus existit Deus, & vbi alios mundos in infinitum syncategorematicè creare potest. *Quod autem nulla dentur de facto & positiuè spatia imaginaria*, colligi potest ex Arist. 1. *de cœlo text. 99. & 100.* vbi expressè habet *extra cœlum, nec esse locum, nec vacuum, nec tempus*. Ratio huius veritatis est quòd omne ens actuale & positiuum sit vel productum, vel improductum; sed illa spatia imaginaria non sunt quid productum, vel improductum: ergo non dantur de facto & positiuè spatia imaginaria. Probatur minor, quòd talia spatia non sint quid productum, quia essent quid à parte rei, vocantur tamen *imaginaria*, quia sola imaginatione finguntur. Non sunt etiam quid *improductum*, quia essent Deus vel creatura, non sunt autem *Deus*, quia non est quid imaginarium: nec *creatura*, quia omnis creatura producta est: & sic non dantur spatia imaginaria de facto & positiuè. *Deinde* si darentur positiuè illa spatia *imaginaria*, terminarentur à superficie alicuius corporis, quod esset extra cœlos; sed extra vltimum cœlum non datur aliud corpus, quoniam supponimus illud esse vltimum: ergo non dantur de facto & positiuè spatia imaginaria, sed tantùm negatiuè & potentialiter; in quantùm Deus potest in illo inani producere alios mundos.

Tandem si Suares, Conimbricenses, Ariaga, & Recentiorum plurimi, dicant Deum existere in spatiis imaginariis, quæ proinde supponunt dari de facto hoc ideo afferunt, quia *Scriptura & Patres docent Deum esse excelsiorem cœlo, & ipsius ambitu non contineri*; sed talis loquendi modus insinuat tantùm Dei immensitatem quæ talis est, vt non limitetur per limites cœli; quoniam si extra vltimum cœlum vellet producere mille mundos, in illis omnibus esset præsens: ergo non obstante eo quod habetur in Scriptura & Patribus, Deus non est extra cœlum tanquam in aliquo, sed tantùm in

se, sicuti erat ante mundi constitutionem, iuxta dictum Poetæ.

Dic vbi tunc esset, cùm præter eum nihil esset.
Tunc vbi nunc, in se; quoniam sibi sufficit ipse.

CAPVT V.

De Tempore.

CVm videlicet corpori naturali competat esse hic & nunc, seu existere in loco & in tempore determinatis: ideo exigit à nobis ordo doctrinæ, vt postquam examinauimus ea quæ locum concernunt, & vacuum loco oppositum; agamus de tempore: non quidem vt est relatio extrinsecùs adueniens inter tempus & rem temporaneam, sed *vt est mensura motus rerum naturalium.* Quia autem tempus est species durationis, quæ non potest sufficienter cognosci, nisi quædam dicantur ante ea de duratione considerata in genere; ideo in capite præsenti quatuor præsertim examinanda sunt. *Quid* nimirum & *quotuplex sit duratio, quid sit æternitas, quid æuum, & quanam dici debeant de tempore.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit Duratio in communi.

PEr *durationem* nihil aliud intelligi debet, quàm permanentia rei in suo *esse*, seu in sua existentia. Dicitur autem *permanentia*, quia illa tantùm dicuntur durare propriè, quæ in *esse* suo perseuerant; vbi illa quæ vno tantùm momento existunt propriè non debent dici *durare*, qualia censentur esse generatio & corruptio formaliter sumptæ pro acquisitione vel deperditione formæ substantialis. Dicitur verò *permanentia rei in esse suo*, seu in sua existentia; quia *duratio* non competit rei secundùm essentiam solam consideratæ, sed tantummodo attribui debet rei actu existenti: vnde licèt essentiæ rerum dicantur æternæ, eo modo quo explicuimus aliàs; non tamen dici debent *durare* ab æterno: quia *duratio* non competit rei spectatæ secundùm essentiam sed secundùm existentiam.

CON-

CONCLVSIO.

DVratio est triplex, *nimirum Æternitas, Æuum, & Tempus*. Cum enim duratio sit permanentia rei in suo *esse*, tot sunt durationes, quot sunt modi, quibus aliquid potest permanere in sua existentia; sed sunt tres modi permanendi in esse, seu in existentia: ergo & tres species durationis. Probatur minor, ex eo quòd rerum existentium quædam ita permaneant in esse suo, vt sunt omnino immutabiles in illo, cuiusmodi est Deus, qui de se loquens ait, *ego Deus & non mutor*; & talis permanentia in *esse* inuariabili est *Æternitas*; quædam verò habent *esse* prorsus variabile, vt motus, & substantiæ corruptibiles, quę perpetuæ mutationi subiacent, & plus durauerunt hodie, quàm heri; & harum duratio est *tempus*: aliæ tandem medium quasi tenentes sunt inuariabiles quantùm ad substantiam, & variabiles quantùm ad accidentia & operationes suas; vt Angeli & animæ rationales, quæ recipiunt totam suam substantiam simul & actus suos successiuè: & istarum duratio vocatur *Æuum*. Sicque patet quòd sint tres durationis species, *Æternitas, Æuum, & Tempus*.

Omnis duratio saltem creata, habet aliquam rationem quantitatis, quia duratio est mensurabilis; sed *esse mensurabile* propriè participat quantitatis rationem & sic omni duratione reperitur aliqua ratio quantitatis. Licèt tamen mensura magis propriè conueniat quantitati, quàm qualitati; isti tamen transfertur per accommodationem: nedum enim res mensuratur penes magnitudinem, penes multitudinem, penes pondus, penes perfectionem, & penes durationem: quæ ad quantitatem pertinent: sed etiam penes intensionem, quæ conuenit qualitatibus, cum quæratur quantus sit calor, quantus sit candor, & quanta sit nigredo; quibus respondetur calorem esse intensum vt duo, vel vt tria, vel vt quatuor, & sic de alijs qualitatibus.

Præter has principaliores durationis species, Æternitas diuiditur in Æternitatem Imparticipatam, Participatam, & Modum ęternitatis participatæ. *Æternitas imparticipata* soli Deo conuenit, cùm solus Deus habeat existentiam interminabilem à parte ante & à parte post; vt mox dicetur. *Æternitas participata* conue-

uenit rebus supernaturalibus incorruptibilibus ex sua natura & suum *esse* possidentibus totum simul, vt sunt angeli, animæ rationales, lumen gloriæ, visio beatifica, & amor beatificus: talia dicuntur habere Æternitatem *participatam*, quia duratio illarum rerum imitatur durionem Dei, *cùm suum totum esse habeat simul*, sicuti Deus, à quo ista suum *esse* emendicant. *Modus æternitatis participatæ* est duratio rei supernaturalis totum suum *esse simul* habentis, quæ tamen est defectibilis & corruptioni subiecta; sic fides, spes, charitas, & alia dona supernaturalia, quæ viatores amittere possunt, dicuntur habere *modum æternitatis participatæ*; quia in hoc imitantur æternitatem *participatam*, quod sint supernaturalia & habeant suum *esse totum simul*, non tamen habent simpliciter æternitatem *participatam*, quia ista dona viatoribus concessa desinere possunt, illa verò sunt perpetua.

QVÆSTIO II.

Quid sit Æternitas.

AB *æternitate* aliquid dicitur æternum. *Æternum* autem multis modis sumitur. *Primò* nimirum pro eo quod antiquum est; sic Gen. 49. Messias dicitur *desiderium collium æternorum*. 2. Pro eo quod longiùs durat, Gen. 14. *Dabo tibi terram Chanaam in possessionem æternam*. 3. Pro eo quod habet principium & non habet finem, sic gloria dicitur *æterna*, ignis *æternus*, & animç *æterna*. 4. Pro eo quod habet quidem principium & finem, sed illa non exprimuntur in Scriptura; sic ad Heb. 7. Melchisedech. *sine patre & sine matre* dicitur, *nec initium aut finem dierum habuit*. 5. Pro eo quod intelligitur quidem sine principio & fine, verumque tamen habere potest; sic si Angelus fuisset creatus ab æterno; diceretur hoc modo *æternus*. 6. Denique *æternum* sumitur propriè, pro eo quod non habet nec habere potest principium aut finem; & sic *solus Deus est æternus*; Et de æternitate sic sumpta loquendum venit.

CONCLVSIO.

DEscriptionum *æternitatis*, quas afferunt Theologi, accuratissima videtur ea, quam tradit Boetius lib.

lib. 1. de Consol. prosa 6. *Æternitas est interminabilis vita tota simul & perfecta possessio*. Dicitur primò *interminabilis*, & hoc excludit terminum à parte ante & à parte post, seu principium & finem: imò hæc particula nedum excludit terminum actualem, sed & possibilem: vnde si Deus Angelum ab æterno creasset, ille non fuisset propriè *æternus*; quia licèt haberet *esse indeterminatum*, habuisset tamen durationem terminabilem; quia potuisset non creari ab æterno. Secundò dicitur *vita*, vbi per *vitam* intelligitur existentia actualis; ita quòd ens *æternum* intelligatur habere existentiam interminabilem. Dicitur 3. *tota simul*, & hoc denotat *æternitatem* non esse diuisibilem, nec habere vnam partem suæ durationis post aliam: imò *æternitati* omnia sunt præsentia: vnde Augustinus Conc. 2. in Psal. 101. ait, *diuina æternitas est substantia Dei*. *qua nihil habet mutabile; & in qua nihil præteritum, quasi iam non sit; nec futurum quasi nondum sit: in qua denique non est nisi est*; iuxta illud Exodi 3. *qui est misit me ad vos*. Subiungitur denique *perfecta possessio*: quę particula denotat ab ente æterno debere tolli dependentiam ab alio: vnde si aliquod ens esset ab ęterno productum, non propterea *æternum* dici deberet; quia haberet suam existentiam dependenter à Deo, quod repugnat ęternitati propriè sumptę.

Obijcies. Aeternitas non est tota simul, quoniam Apocal. 1. Scriptura attribuit pręsens, præteritum, & futurum Deo, qui est *æternus*, de illo enim dicit, *qui est, qui erat, & qui venturus est*. Resp. has temporis differentias non attribui Deo formaliter & propriè, sed tantùm metaphoricè & accommodatè ad nostrum intelligendi modum: vt concipiamus scilicet Deum semper fuisse, semper fore, & esse actu. Nec in hoc non decipit Scriptura, imò sic loquitur ad instructionem nostram, dicendo scilicet inuisibilia per visibilia: sicut quando attribuit Deo brachia, pedes, & oculos, quę non sunt actu in illo, sed indicant in eo reperiri Potentiam, Immensitatem, & Cognitionem. *Dices* Aeternitas non est indiuisibilis & tota simul, si possit suscipere magis & minus, sed Aeternitas suscipit magis & minus, quia plus hodie durauit, quàm heri, quandoquidem maiori tempori coexstitit: ergo non bene dicitur, quòd *Æternitas sit interminabilis vita tota simul & perfecta possessio*. Resp. Aeternitatem non

suscipere magis aut minus, quia est tota simul, & licèt maius tempori coexstiterit hodie, non tamen plus durauit: sed ex eo inferri tantùm potest, quòd coexistentia Æternitatis D. sit indiuisibilis, pro diuisibilitate differentiarum temporis, quibus coexistit tota simul, absque vlla diuisibilitate suæ entitatis; vt diximus, *Disp. 4. de Aeternitate* D. vbi plura videri possunt,

QVÆSTIO III.

Quid sit Æuum.

EX præcedenti quæstione colligi debet Deum esse æternum, quia durationis existentiæ illius est perfecta, tota simul, & interminabilis à parte ante & à parte post, in quibus consistit tota æternitatis ratio. Ratio huius sumi potest ex hoc quod Deus sit *immutabilis*; sed quod est immutabile non potest transire à non esse ad esse, nec ab esse ad non esse: ergo Deus est æternus. *Deinde* Deus censetur esse summè perfectus, qui proinde incipere aut desinere nequit; cùm hoc maximam imperfectionem redoleat. *Tandem* Deus etiam est ens absolutè necessarium: ergo & æternum, iuxta id quod habetur Psal. 9. *Deus regnabit in æternum*. Et ad Heb. 10. *Tu autem permanes, & anni tui non deficient*. Deus nedum est *æternus*, sed æternitas illi taliter est propria, vt non competat creaturæ; quandoquidem Gen. 1. dicitur *quod Deus in principio creauit cœlum & terram, & omnia quæ in illis continentur*: ita quòd si Deus ab æterno creasset Angelum, non fuisset propriè æternus: quia potuisset à Deo non creari, & nunc annihilari posset: quod autem æternum est, non tantùm debet esse interminatum, sed insuper debet esse interminabile, vt prædiximus. Postquam ergo loquuti fuimus de æternitate, quæ est duratio solius Dei: nunc videndum est *quid sit æuum*, quod est duratio Angeli, & animæ rationalis, quæ habent suum esse totum simul, dependenter tamen à Deo.

CONCLVSIO.

ÆVum aliquando sumitur pro æternitate, vt Ecclesiastici 4. *Nomen Domini permanens in æuum*, seu in æternum; frequentiùs sumitur pro tempore nostro,

ſtro,quo ſenſu dicimus homines, qui eodem tempore vixerunt, eſſe coæuos: propriè autem ſumitur *æuum* pro duratione Angeli & animæ rationalis, quæ ſic definitur. Æuum eſt *duratio rei permanentis & incorruptibilis ab intrinſeco, qua tamen ab extrinſeco deſinere poteſt.* Dicitur primò *duratio*, & eſt genus definitionis; in quo æuum conuenit cum æternitate & tempore, quæ ſunt durationes. Dicitur 2. *rei permanentis*, ad diſtinctionem rerum corporalium ſucceſſiuarum, quæ cùm non habeant ſuum eſſe permanenter & ſimul, ſed per partes, ideò non menſurantur æuo, ſed tempore; vnde diximus antea, quòd æuum competat Angelis & animabus rationalibus, quæ habuerunt ſuum eſse ſimul, licèt habeant ſuas operationes *ſucceſsiuè*, hodie ſcilicet vnam intellectionem aut volitionem, & poſtea aliam & aliam. Materia prima inſuper menſuratur etiam æuo, quia ſimul, & non per partes, creata fuit à Deo. Dicitur 3. *Incorruptibilis ab intrinſeco*, in quo ea quæ menſurantur *æuo* diſtinguuntur à compoſitis phyſicis, quæ ſunt ab intrinſeco corruptibilia; quia conſtant materia & forma, quæ ſunt principia corruptionis, vbi Angeli, animæ rationales, & materia prima, non ſunt corruptibiles ab intrinſeco, benè autem ab extrinſeco, à Deo videlicet qui pari facilitate ea deſtruere & annihilare poteſt, ſicut eadem extraxit de nihilo.

Modus æui, ſeu æternitas, eſt duratio rerum permanentium, quæ totum ſuum eſſe ſimul habent, in eoque perſeuerant aliquandiu, poſsunt tamen interire ab intrinſeco, quia conſtant materia & forma, quæ ſunt principium corruptionis; ſic dici poteſt de cœlo, quod menſuretur modo æui, ſeu æuiternitate: quia ſcilicet ſuum totum eſse obtinuit ſimul, in quo conuenit cum Angelo & anima rationali, quibus tamen diſtinguitur, quandoquidem propter ſuam materiam corrumpi poteſt ab intrinſecò, quod non poteſt dici de Angelis & animabus: Vnde de cœlo dicitur, *quòd menſuretur modo æui*, quatenus habet ſuum totum eſse ſimul, corruptibile tamen ab intrinſeco. *An autem ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles menſurentur æuo, vel tempore*, dicetur in ſequenti quæſtione; ſi priùs notauerimus, quòd comparando durationes principales inter ſe, quæ ſunt Æternitas, Æuum, & Tempus, hæc interſit differentia, quòd *æuum* ſit medium inter tempus & æternitatem, *Æternitas* enim omnem mutationem

excludit, tam substantialem, quàm accidentalem; cùm Deus secundùm substantiam aut secundùm accidentia non possit mutari. *Tempus* vtramque mutationem includit, secundùm substantiam & accidentia; quandoquidem homo, plantæ, & similia, acquirunt suum corpus per partes: & accidentia illis successiuè aduenient. *Æuum* autem excludit omnem mutationem substantialem, quandoquidem tota substantia Angeli & animæ simul acquiritur, & nulla illi aduenit substantialis variatio: attamen recipit *successiuè* mutationes accidentales, vnam scilicet intellectionem vel volitionem post aliam.

QVÆSTIO IV.

Quid sit dicendum de Tempore.

IN antepenultima quæstione explicando æternitatem, vidimus eam posse distingui in æternitatem imparticipatam, participatam, & modum æternitatis participatæ: quarum durationum prima soli Deo competit, secunda competit qualitatibus permanentibus ab intrinseco incorruptibilibus; quales sunt fides, spes, charitas, & lumen gloriæ beatorum: tertia denique conuenit rebus permanentibus ab extrinseco corruptibilibus; quales sunt virtutes infusæ in homine viatore existentes, vt fides, spes, & charitas, quæ acquiruntur simul, attamen destruuntur per peccata. In quæstione præcedenti explicuimus quid sit æuum Angelo, animæ, & materiæ primæ conueniens; & distinximus illud ab æuiterno, quod competit cœlis, qui habuerunt suum esse totum simul, & possunt corrumpi ab intrinseco; cùm constent materiâ, quę est corruptionis principium. Nunc agendum superest de *Tempore*, quod ex professo examinare tenentur physici, quandoquidem illis incumbit agere de motu, qui est proprietas corporis naturalis; qui motus mensuratur *tempore*. De tempore autem hęc præsertim septem discutienda sunt, *an detur tempus*, *an tempus sit reale*, *quid sit tempus*, *an tempus distinguatur à re temporanea*, *quænam dicantur mensurari tempore*, *quæ sint proprietates temporis*, ac denique *quomodo diuidatur tempus*; quę omnia per diuersas conclusiones aperientur.

CON-

CONCLVSIO PRIMA.

Frustra *tempus terreret qui existentiam ipsius temporis probare meditaretur*. Sic Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 2.* siue enim consulatur fides, siue requiratur ratio, per vtramque patebit dari reuerà *tempus*. Scriptura siquidem Sacra Gen. 1. testatur *Deum fecisse luminaria in firmamento cæli, vt diuiderent diem ac noctem, & essent in signa & tempora, & dies & annos*. Act. etiam 1. Christus Apostolis dixit, *non est vestrum nosse tempora vel momenta*. Itemque Ecclesiastici 3. fertur. *Omnia tempus habent & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo*. Qui sacræ Scripturæ contextus sufficienter probant *temporis* existentiam. Quantùm ad rationem confirmatiuam huiusce assertionis, non aliunde repeti debet quàm ex motu naturali corporum naturalium, quorum alia mouentur velociùs, & alia tardiùs; sed velocitas & tarditas motus desumitur ex maiori vel minori tempore in motu consumpto: ergo euidenter probatur ratione dari tempus, quod est mensura rerum successiuarum, quarum partes sunt in continuo fluxu. Sicut Æuum est duratio rerum permanentium, defectibilium ab intrinseco vel ab extrinseco. Æternitas est duratio Dei permanentis tum secundum substantiam, tum secundum accidens.

Obiicies illud non datur cuius partes non existunt; sed partes temporis, quæ sunt præteritum, præsens, & futurum, non existunt, quandoquidem Aug. l. 83. qq. quæst. 17. *præteritum iam non est, futurum nondum est, nec præsens, quia labitur*: ergo non datur tempus. *Resp.* distinguendo minorem, partes temporis non existunt actu *permanenti*, concedo; non existunt *successiuè*, nego: licèt enim tempus non habeat partes *simul* coexistentes, habet tamen partes fluentes actu continuo; cùm hæc sit entium successiuorum proprietas.

CONCLVSIO SECVNDA.

Tempus *est ens reale à parte rei & nemine cogitante existens*, Sic Doctor noster *in 2. dist. 2. quæst. 1.* contra Auerroem, Galenum, & aliquos ex antiquioribus, quibus subscribere videtur D. Thomas 4. *Phys. lect.*

lect. 13. existimans tempus complementum accipere ab intellectu. Nostra conclusio videtur esse Aristotelis, qui *lib. Prædicam. cap. de Quantit.* numerat tempus inter quantitatis species: sed species quantitatis sunt reales, cùm quantitas earum genus, sit accidens reale absolutum: ergo tempus, est quid reale. *Deinde* quod habet proprietates reales, debet censeri ens reale; sed tempus habet proprietates reales, nimirum longitudinem aut breuitatem: ergo tempus debet censeri reale. *Tandem* nemine cogitante, res sublunares successiuè durant; sed duratio successiua est tempus: ergo nemine cogitante tempus est quid reale. Est enim mensura motus, vt dicetur in conclusione sequenti: motus verò est quid reale, & proinde tempus non habebit suum complementum ab anima.

Obijcies: Tempus ita pendet ab anima, inquit Arist. 4. *Phys. cap. vlt.* vt nisi operaretur intellectus, tempus desineret esse: ergo tempus non est quid reale. *Resp.* tempus posse sumi dupliciter, nimirum secundùm suam diuisionem, quatenus scilicet tempus, quod est à parte rei continuum, consideramus tanquam si esset diuisum, ipsumque distribuimus in secula, annos, menses, hebdomadas, & horas. Quando autem dicit Philosophus, *quod tempus pendeat ab anima*, loquitur ipse de tempore quantùm ad diuisionem considerato, innuitque talem distributionem temporis in partes præmemoratas pendere tantùm ab anima: hoc non impedit tamen quin tempus ipsum secundùm suam entitatem consideratum non existat à parte rei; non quòd partes illius simul existant, quia hoc ad entia tantùm permanentia pertinet; sed quòd tales partes sint in continuo fluxu.

CONCLVSIO TERTIA.

QVamuis Augustino natura *temporis* ita difficilis videatur, vt eam explicare non possit; cùm lib. 6. Confess. cap. 14. dicat, *Si nemo ex me quærat quid sit tempus, scio; si quærenti explicare velim, nescio*: conformiter tamen Aristoteli 4. Physic. cap. 11. dicitur de tempore, quòd sit *numerus motus secundùm prius & posterius*. Dicitur primò *numerus*, non ille qui est quantitas discreta, quia tempus est quid continuum non verò discretum aliquid, sed *numerus* ibi sumitur pro

men-

mensura motus, in quantum motus particulares numerantur & mensurantur per tempus, cùm motus breuis sit ille, qui breui tempore decurrit, longior verò, qui longo tempore perseuerat. Ideò autem Philosophus in descriptione temporis vtitur nomine *numeri*, quia mensuramus motum numerando tempus, & asumendo determinatam aliquam temporis extensionem, v.g. horam, vel diem, quas multoties aliquando replicamus; vt indicetur quænam sit motus quantitas. Dicitur 2. *secundùm priùs & posteriùs*, quia res mobiles non mensurantur tempore, nisi in quantùm habent successionem suarum partium; in successione autem reperitur priùs & posteriùs, seu præteritum & futurum: ergo *tempus est mensura motus secundùm priùs & posteriùs*.

Obijcies 1. Tempus mensurare æqualiter quietem ac motum, cùm dicatur vulgo, quanto tempore aliquis quieuerit, sicut quanto tempore fuerit operatus: ergo tempus nedum est mensura motus, sed debet dici mensura motus & quietis. Respondet Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 4.* tempus reuerà posse dici *mensuram motus & quietis*, communiùs tamen dicitur tantùm a Philosophis *mensura motus præcisè*, quia physicus per se considerat motum corporis naturalis, & per accidens tantùm quietem, quæ est priuatio, seu cessatio motus. *Porrò* hìc sciendum est tempus quatuor modis accipi. *Primò scilicet* pro dispositione & temperie aeris quo sensu dicimus tempus esse serenum aut nebulosum, sic cum vel humidum. *Secundò* sumitur pro iucunditate & felicitate vitæ, quam aliqui ducunt fruentes bonis; quo modo dicit Iob de impijs cap. 21. *In bonis ducunt dies suos, & in puncto ad infernum descendunt*. *Tertiò* sumitur tempus pro opportunitate rerum faciendarum, Ecclesiast. 3. *Tempus plantandi, Tempus euellendi*. *Quartò denique* accipitur tempus, pro duratione successiua rerum; & hoc modo spectatum definiuimus illud esse numerum seu mensuram motus.

CONCLVSIO QVARTA.

Tempus non distinguitur realiter à motu facto in tempore, seu à re temporanea; sed tantùm formaliter. Sic Scotus *in dist. 48. quæst. 2. & 5. Metaph. quæst. 10.* Proprietates enim seu propria passio non distinguitur realiter à subiecto cuius est proprietas, vt

probat Scotus *in 2. dist. 16. quæst. vn.* sed tempus est passio motus, vt docet Arist. 4. *Phys. cap. text.* 103. ergo tempus non distinguitur realiter à re temporanea, sed tantùm formaliter. Illa enim distinguuntur formaliter & ex natura rei, quæ habent distinctas definitiones independenter ab intellectu; sed motus & tempus diuersimodè definiuntur à Philosophis, qui dicunt *tempus esse numerum motus secundùm priùs & posteriùs*, *motum* verò *esse actum entis in potentia*: ergo motus & tempus distinguuntur formaliter & ex natura rei. Hoc alij aliter explicant, dicendo durationem in communi distingui formaliter à re durante; quod tamen restringendum est ad durationem creatam, quandoquidem Æternitas, quæ est duratio Dei, non distinguitur formaliter positiuè ab essentia illius; vt diximus in Theologia assignantes inter Deum & modos intrinsecos distinctionem tantùm formalem negatiuam.

2. Obijcies *quando aliqua talia sunt, vt vnum multiplicetur non multiplicato alio, talia distinguuntur realiter*: sed sunt plures motus & res temporaneæ, vbi est tantummodo vnum tempus, nempè duratio primi mobilis, quo mensurantur omnes motus particulares: ergo tempus distinguitur realiter à motu, seu res temporanea à tempore, & quæcumque res durans à sua duratione. *Resp.* distinguendo minorem sunt plures motus, & tantummodò vnum tempus, *commune & extrinsecum*, concedo: *particulare & intrinsecum*, nego. Quando autem dicimus rem temporaneam non distingui nisi formaliter à tempore, hoc intelligimus de tempore *intrinseco* & de duratione propria cuiuslibet rei, à qua non distinguitur res, nisi formaliter; licèt quilibet motus, quælibet actio, & quęlibet res durans, distinguatur realiter à duratione communi & extrinseca quę est duratio motùs primi mobilis, per quam mensuramus communiter res illi inferiores, tum cœlestes, tum sublunares: quilibet enim motus particularis distinguitur à motu primi mobilis, qui est tempus commune & extrinsecum. *Quando etiam dicitur*, ad probandam distinctionem realem inter motum & tempus, *quod mensura distinguatur realiter à mensurato*; & proinde tempus à motu, quandoquidem tempus est mensura motus: eadem currit responsio. Quòd mensura *extrinseca* distinguatur quidem realiter à mensurato, non verò mensura *intrinseca*, quę est duratio propria rei, & tempus intrinseca

CON-

CONCLVSIO QVINTA.

QVantùm ad ea, quæ debent dici mensurari à tempore controuertuntur Philosophi. Thomistę enim contendunt quamcumque substantiam generabilem & corruptibilem mensurari tempore; sicut Angeli mensurantur Æuo, & Deus impropriè dicitur mensurari æternitate: quæ tamen non est propriè mensura Dei. Scotus verò *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 4. cum nostris docet substantias generabiles & corruptibiles non tempore, sed æuo, mensurari. Ratio nostra est quia entia permanentia, quę habent suum *totum esse simul*, non mensurantur tempore, quod est mensura rerum successiuarum: sed generatio & corruptio non fiunt successiuè & per partes, sed in instanti & permanenter: ergo res generabiles & corruptibiles præcisè & formaliter sumptæ pro introductione & deperditione formæ substantialis non mensurantur tempore, quoniam sunt entia permanentia; vnde Arist. 4. *Phys. cap.* 12. *text.* 118. dicens *corpus mobile non est in tempore vt quantum; sed vt quantus est motus*; per hoc indicat substantiam corpoream sublunarem non mensurari tempore, nisi quatenus habet sibi annexum motum, qui mensuratur tempore secundùm priùs & posteriùs. Cùm ergo generatio & corruptio non admittant successionem; sed fiant in instanti, & habeant existentiam permanentem, licèt parum durabilem; proinde non mensurantur tempore, sed æuo, sicut & Angelus eodem æuo diceretur mensurari, etiam si Deus illud destrueret paulo post suam creationem.

Obijcies. Viuentia naturalia habent *esse* per generationem, & ipsum deperdunt per corruptionem; sed viuentia naturalia dicuntur viuere tanto tempore, & mori in tali tempore, vt patet: ergo quę generantur & corrumpuntur mensurantur per tempus. *Resp.* talia mensurari *tempore*, secundùm motum successiuum qui illis adiungitur per diuersam temporis successionem, concedo: secundùm suum esse substantiale & quantitatiuum permanens, nego. Spectari enim potest generatio dupliciter: *Formaliter* nimirum seu *intrinsecè*, pro pręcisa introductione formę substantialis; & *extrinsecè* seu *concomitanter*, pro omnibus dispositionibus & alterationibus, quę pręcedunt talem introductionem

formę

formæ ſubſtantialis. Si ſumatur generatio poſteriori modo, pro alterationibus & diſpoſitionibus illis, quæ adueniunt materiæ priuſquam introducatur forma ſubſtantialis; tunc ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles ſubſunt tempori; quia tales alterationes præuiæ ſunt *ſucceſsiuè*. Si verò generatio præcisè & formaliter ſumatur pro introductione formæ ſubſtantialis, aut pro deperditione eiuſdem, tunc ſubſtantia generabilis & corruptibilis dicetur menſurari non tempore, ſed *æuo*; quod eſt menſura rerum permanentium; & ſic intelligendus eſt Scotus, docens ſubſtantias generabiles & corruptibiles non menſurari tempore; nec generationem aut corruptionem; ſed ſolas alterationes, ſeu motus ſucceſſiuos, qui habentur per partes.

CONCLVSIO SEXTA.

QVantùm ad proprietates temporis, hæ principaliores videntur: Prima quod tempus formaliter ſumptum ſit *vnum ſpecie*. Quia omnes omnino motus qualeſcumque ſint, habent eandem ſpecie durationem, ſeu permanentiam exiſtentiæ, illa tamen duratio in plures *numero* durationes diſtinguitur, cùm alia ſit duratio hominis, & alia duratio leonis: Ex diuerſitate tamen ſpecifica motus non poteſt colligi ſpecifica multiplicatio temporis, niſi materialiter. Secunda temporis proprietas eſt quòd ſit *continuum*. Tale enim eſt tempus, qualis eſt motus, cuius eſt menſura; ſed motus eſt continuus: ergo & tempus. Tertia proprietas eſt, quòd *motus dicatur continere tempus*, in quantùm motus durat per tale vel tale tempus. Quarta proprietas eſt, quòd *tempus dicatur cauſa ortus & interius rerum*, quas perficit & corrumpit, non quidem per ſe, ſed per adiunctas qualitates ipſarum rerum, quæ mutuò pugnant inter ſe in decurſu temporum; vnde ſequuntur generationes & corruptiones compoſitorum. Aliæ ſunt quòd tempus ſit *irreuocabile*, quia *idem numero reproduci non poteſt naturaliter*. Quòd ſit *inſenſibile*, quia non cadit ſub ſenſu, ſed ſola mente poteſt concipi; vnde forſan ab Ariſtotele dicitur *dependere ab anima*. Quodque ſit *ſapientiſsimum*, & *ignariſsimum*, quoniam eſt cauſa manifeſtationis & obliuionis omnium &c.

Quæres, *an tempus ſit præſens & exiſtens ratione partis*. Hęc quæſtio ſupponit in tempore reperiri partes,

quæ sunt præteritum, præsens, & futurum, & instantia quædam indiuisibilia, quę partes illas inter se copulant. Quæritur autem an tempus sit præsens, & existat *ratione partis*, vel *ratione instantis*; ad quod *respondere* debet, quòd tempus non existat, nec sit præsens ratione partis quæ est extensa, & diuisibilis; sed ratione *instantis*, quod prorsus indiuisibile est: vnde Arist. 5. *Phys. text.* 105. ait, *nihil est temporis nisi nunc, quod est indiuisibile*: Et postea subiungit partes temporis esse præsentes, in quantùm terminantur per illud *nunc indiuisibile*, quod est præsens. Ratio autem huius petitur ex natura entium successiuorum, quæ cùm successiua sint, & in continuo fluxu consistant, non possunt existere per partem diuisibilem; sed tantùm per aliquid indiuisibile sui: *Implicat* enim *ens successiuum habere plures simul*. Quando ergo dicitur quòd tempus habeat partes præsentes, sicut habet partes præteritas, & futuras; responderi debet quòd habeat partes pręsentes, non ratione sui, sed ratione alicuius indiuisibilis.

Quæres *vtrùm sit vnum, & idem* nunc *in toto tempore*. Hoc videtur haberi apud Arist. 4. *Phys. text.* 104. dicentem, *In toto tempore esse idem nunc secundùm substantiam, differens verò secundùm esse*. Quia autem ex hoc sequeretur, quòd omnia quæ extiterunt ab initio mundi, & futura sunt vsque ad finem illius, simul censerentur existere, si haberent idem *nunc*, quia viderentur habere eandem durationem, & eandem permanentiam: ideo, distinguendum est dictum Philosophi, quod scilicet sit idem *nunc* specie, seu eadem omnium duratio specifica, sicut antea diximus; licèt sint diuersa *nunc* numero diuersis rebus conuenientia: ita quod omne ens in particulari habeat suum *nunc* in particulari, seu suam durationem numero distinctam à duratione alterius. Quia autẽ illa *nunc* particularia seu illæ particulares durationes conueniunt in *nunc* communi, & in duratione specifica, ob hoc dixit Aristoteles *in toto tempore esse idem nunc secundùm substantiam*, seu idem *nunc* in communi; *differens verò secundùm esse* videlicet secundùm esse, & durationem numericam.

Quæres *vtrùm*, sicut æternitas potest accipi pro Imparticipata, pro Participata, & pro modo æternitatis participatę; æuumque similiter sumitur aliquando pro æuo simpliciter, & pro modo ęui; quarum omnium dura-

durationum explicationes attulimus initio huius capitis: *Sic etiam tempus possit diuidi in continuum, & discretum*. Hanc distinctionem temporis discreti à continuo invehere nituntur Thomistæ in scholam dicendo operationes, Angelorum, quæ discretę sunt, v.gr. illorum intellectiones, aut volitiones, mensurari tempore discreto, quod nihil aliud est, quàm duratio talium operationum, quarum vna distinguitur ab alia; sicut operationes illorum continuæ, quales sunt motus locales corporum, mensurantur tempore continuo, cum, & ipsæ continuæ sint. Talem distinctionem reiicere contendit Scotus *in 2. dist. 2. quæst. 2.* docens operationes Angelorum, quantumcumque discretas, inter se mensurari *æuo*, sicut, & ipsos Angelos; cum enim tota ratio cur Angelus æuo mensuretur, desumatur ex hoc quod Angelus ipse sit quid permanens; sic etiam cum Angelorum operationes sint permanentes, licèt in toto æuo vna succedat alteri, attamen quælibet earum quantumcumque parum duret, non minùs debet dici mensurari per æuum, cùm quælibet operatio Angelica sit permanens: sicut si Angelus ipse immediatè post sui creationem annihilaretur, non minùs mensuraretur æuo; cùm æuum non desumatur ex maiori aut minori duratione rei, sed ex natura ipsa rei durantis, quæ si sit permanens, mensurabitur æuo; & tempore si fuerit successiua.

CONCLVSIO VLTIMA.

Tempus ab aliquibus dicitur diuidi in *imaginarium, quod nihil aliud est, quàm non repugnantia temporis positiui*, & *in reale, quod est realis duratio motus continui, & successiui*; sed cùm agant physici de corpore naturali, reali, & verò, ideò agunt etiam tantum de vero, & reali tempore; vnde meiius est si dicatur simpliciter tempus diuidi in intrinsecum, & extrinsecum, seu in tempus communem, & in tempus proprium. Tempus *extrinsecum* seu *commune* est duratio circulationis, & reuolutionis primi mobilis, quæ cum regulariter, & vniformiter perficiatur viginti quatuor horarum spatio, accipitur communiter pro mensura omnium motuum, & omnium actionum, quæ peraguntur sub illo; ita quòd homo v. gr. dicatur durasse per tot annos, seu per tot reuolutiones primi mobilis vel per aliquam partem reuolutionis illius, si scillicet

per

per integram,& totalem non permanserit in existentia. Tempus *intrinsecum* seu *particulare* est curatio cuiuslibet motus particularis, quæ conuenit rebus per partes sibi mutuò succedentibus, vt duratio diei, noctis, calefactionis, frigefactionis, & similium actionum, quæ habent durationes particulares sibi intrinsecas, à quibus non distinguuntur, nisi formaliter.

Tempus *extrinsecum* iuxta diuersa hominum placita diuersimodè distinguitur, alijs illud supputantibus per Annos, Menses, Dies, & Horas; hæc omnia multories replicando: aliis supputantibus per Secula, Olympiades, Lustra, & indictiones, iuxta nationum diuersitatem. *Hora* est duratio constans sexaginta minutis. *Dies* duplex distinguitur, naturalis nimirum, & artificialis. *Naturalis* dies est integra reuolutio solis ab vno ortu ad alterum; sicque complectitur lucem & tenebras. *Artificialis* est reuolutio solis ab ortu ad occasum. Ille est semper æqualis, iste verò inęqualis pro tempestatum diuersitate. *Mensis* est certa collectio dierum in quam annus distribuitur, diciturque *mensis* ex eo quod sit mensura anni. *Annus* est duratio constans duodecim mensibus, hebdomadis duabus, & quinquaginta, diebus verò sexaginta quinque & fere sex horis; tanto enim temporis interuallo sol perlustrat zodiacum.

Annus ab aliquibus diuiditur in annos *Planetariss* ita, quod in talium supputatione tot sint anni, quot videantur esse cursus Planetarum: inter quos annost *Saturnius* erat maximus, & *lunarius* minimus, quia in ampliori duratione Saturnus in suo cœlo voluitur, & minori Luna. Cummuniter tantùm numerantur duo anni, *solaris* nimirum, qui componitur ex duodecim mensibus: & *lunaris*, qui ex duodecim lunationibus componitur. Quia autem annus Ianuarius habet tantùm trecentos quinquaginta quatuor dies. ideo annus solaris, de quo antea, excedit lunarem vndecim diebus, qui faciunt *epactam*, & sex horis, quæ reduplicatæ quater faciunt annum *bisextilem*, semel in quatuor annis.

Annus diuersum habebat initium apud Hebræos, & Romanos. Illi exordiebantur annum *ciuilem à nouilunio Septembris*, & annum *sacrum à Martio*. Romani verò ordiebantur annum simpliciter *à mense Martio*, quem mensem Romulus vocauit *Martium* à suo pa-

parente Marte. Secundus vocatus fuit *Aprilis* à verbo latino aperio, eo quod terra tunc suum sinum aperiat vt germinet. Tertius fuit vocatus *Maius*, quia consecratus fuit in gratiam maiorum. *Iunius* sic dictus est quia in gratiam Iuniorum fuit institutus. Quintus dictus fuit *Quintilis*, ratione loci quem tenebat inter menses; qui etiam vocatus fuit *Iulius* in gratiam Iulij Cæsaris. *Augustus*, qui propter numerum *Sextilis* vocatus est, fuit etiam hoc nomine insignitus in honorem Cæsaris Augusti. Septimus ob suum ordinem vocatus fuit *September*, Octauus *October*, Nonus *Nouember*, Decimusque *December*. His decem mensibus Numa Pompilius, duos adiecit Ianuarium videlicet, & Februarium *Ianuarius* sic dictus est à Iano, eo quod sicut alter Ianus videretur biceps, respiciendo finem prioris anni, & exordium sequentis: vel sic cognominatus est, quia erat aliorum mensium ianua. *Februarius* dictus est à Februo, seu à Plutone, cui tanquam deorum infernalium principi sacrificabatur eo tempore, vt animæ ex hoc mundo transeuntes faciliorem ad campos Elysios transmissionem haberent.

Seculum est spatium centum annorum. *Decas* est spatium annorum decem. *Lustrum* est spatium quinque annorum apud Latinos, sic dictum à Romanis à verbo *lustro*, eo quòd Censores quolibet quinquennio lustrabant vniuersum populum. Olympiades est spatium quinque annorum apud Græcos, quod vocabatur apud Latinos *Lustrum*; sic autem vocabatur ab Olimpicis certaminibus, quæ celebrabant Græci de quinquennio in quinquennium. *Indictiones* denique sunt spatium quindecim annorum, eo quòd quælibet *Indictio* contineret tria Lustra, seu tres Olimpiades.

CAPVT VI.

De Motu.

INter corporis naturalis proprietates principalior videtur esse *motus*, quandoquidem est primarius partus naturæ: quæ describitur *principium motus, & quietis*; vnde in quinque libris Physicorum de eo agit Aristoteles, loquens in tertio de motu in genere, in quinto de vnitate, diuisione, & oppositione motus; in sexto de motu locali, in septimo denique, & octauo, de

de motu grauium, & leuium, vbi motum cum primo Motore comparat: Hæc omnia propter breuitatem indiscriminatim habentur in hoc præsenti capite, cui dabuntur duæ sectiones, vt distinctius explicentur omnia, quæ naturam motus concernunt.

SECTIO PRIMA.

De natura motus in genere.

QVÆSTIO PRIMA.

An detur Motus, & quid sit.

NOn intendimus hic agere de motu intentionali, qui est actio per quam intellectus voluntatem mouet, eam illustrando; aut voluntas intellectum, vel aliam potentiam impellit, vtrique imperando; vel denique obiectum potentias excitat, eas alliciendo vt agant: sed de *motu reali* qui est actio realis, & physica, per quam aliud reale, & physicum acquiritur, siue sit *substantiale*, comparatum per generationem; siue sit *accidentale* acquisitum per quantitatem, qualitatem vel motum localem. Existentiam motus non timuit negare Zeno, iuxta id quod habetur apud Arist. 6. *Phys. cap. 9. text.* 75. sed ridiculo huic errori sese fortiter opposuit Philosophus loco præcitato.

CONCLVSIO PRIMA.

EXistentiam motus sufficienter probare visus est Socrates, dum deambulando, & efficiendo motum, voluit refutare Zenonem, qui motum negabat contra Philosophos, & præsertim contra Stagiritam, qui octauum librum Physicorum instituit de *motu*, *& mobili*. Deinde communis experientia satis conuincit Zenonistas; cum enim prospiciamus ad oculum corpora calefieri, & frigefieri, augeri, & minui, ac de vno loco transire ad alium, quæ omnia non fiunt nisi per *motum*, hoc euidenter comprobat existentiam motus; qui à talibus impugnari non potest, nisi verbo aut scriptis. Quod si loquantur, mouent linguam, & labia; si verò scribant, mouent manus: proindeque non possunt dicto aut scripto negare *motum* quin ipsum efficiant,

de-

destruere, conãdo. *Tandẽ* corpus naturale, habet potentiam mouendi se de loco ad locum, vt quærat quæ sibi sunt commoda vel necessaria, sicut patet de hominibus & de brutis: ergo sese mouere possunt, & se mouent de facto, ne frustraneam habeant potentiam, quæ non posset reduci ad actum. Ob hoc Doctor noster *9. met. quæst. 14.* non probat, sed supponit dari motum, & in Report. *quæst. 2. primi dist. 2.* collocat existentiam motus inter propositiones contingentes per se notas.

1. Obijcies. Si daretur *motus*, mobile finito tempore pertransiret infinitum spatium, quia omne spatium est semper diuisibile in partes vltro diuisibiles in infinitum, vt probauimus agentes de continuo; sed infinitum non est pertransibile *3. phys. tex.* 40. quia quæcumquæ pars rei infinitæ exhauriatur, semper alia, & alia remanet exhaurienda: ergo non potest dari motus, inquit Zeno. *Resp.* negando sequelam maioris, *quòd scilicet daretur spatium infinitum, si admitteretur motus.* Quando autem dicitur *quodcumque spatium esse diuisibile in partes infinitas*: hoc verum est, quantùm ad partes proportionales potentiales quæ non possunt ita diuidi, quin vlterius sint in infinitum diuisibiles: falsum tamen quantum ad partes aliquotas actuales quæ sunt determinatæ, & finitæ quantitatis, sicut & totum illud cuius sunt partes.

CONCLVSIO SECVNDA.

MOtus *definitur* communiter *actus entis in potentia vt in potentia*. Sic Scotus cum Arist. *3. phys. cap. 1.* Dicitur primò *actus*, seu actio inchoata, & imperfecta; quia ideò mouetur mobile vt acquirat aliquid: vnde motus, qui est via, & tendentia ad illud, non immeritò vocatur actus, seu operatio incepta, & imperfecta. Dicitur 2. actus *entis*, nempè physici seu corporis naturalis; quoniam ex philosopho 8. *phys. tex.* 10. subiectum motus est corpus naturale, à quo profluit mobilitas, tanquam propria passio. Dicitur tertiò *in potentia*, quia illud mobile quod mouetur est in potentia ad actum perfectiorem ad quem tendit, & quem acquirit per illum motum: vnde quia Deus omnia habet, & est actualissimus seu perfectissimus, ideò nulli motui subiacere potest. Additur denique *prout in potentia*; vt innotescat motum semper esse actum

entis

entis completi, non verò completi; vt patet per exemplum aquę, quæ de non calida efficitur calida per *motum*. Illa enim aqua est ens quod mouetur, ens, inquam, in potentia, quia est ens incompletum respectu caloris acquirendi, quod ob hoc dicitur ens in potentia.

An autem prædicta definitio motus competat omni motui, controuertuntur authores. Iandunus enim, Fonseca, & Conimbricenses applicant hanc definitionem *soli motui successiuo*; Scotus verò *quæst.* 44. *prædicam.* cum Parisiensibus, & Complutensibus docet eam conuenire cuilibet motui tum *instantaneo*, tum *successiuo*; & hoc conformiter Aristoteli, qui 3.*phys. text.*6. prædictam definitionem illustrat per exempla generationis & alterationis, quorum motuum ille est instantaneus, & iste successiuus: quod vlteriùs confirmari potest ex eodem in *postprædicamentis*, vbi sex species affert motus inter quas collocat generationem, quæ fit in instanti.

Obijcies 1. motus ex Arist. 3.*phys. text.* 1. est de genere continuorum; sed nòn est de genere continuorum permanentium: ergo est de genere continuorum successiuorum, & sic præallata definitio soli motui successiuo applicari debet. *Resp.* Philosophum reuerà dicere, quòd motus sit de genere successiuorum, vt nos ipsi admisimus dicentes in logica, motum, & tempus esse species quantitatis continuæ successiuæ; hoc tamen impedit quin dentur motus instantanei, nempè generatio, corruptio, illuminatio aeris, & actiones illæ, quas Deus per Omnipotentiam efficere potest in instanti. Si ergo dixerimus cum Philosopho motum esse de genere successiuorum; hoc ideò dictum est à nobis, & ab illo, quòd motus successiuus sit apertior, & euidentior motibus subitaneis, & conformior principiis naturæ; licèt vltrò fateamur dari motus instantaneos, vt probabitur, dicendo inferiùs successionem non esse de essentia motus naturalis.

Obiicies 2. præcedentem definitionem non esse legitimam, quia non conuenit omni definito, nempè corruptioni, quæ non est in potentia ad formam acquirendam, sed deperdendam: quia etiam ipsamet definitio potest conuenire actionibus immanentibus, nempè intellectioni, & volitioni, quæ non sunt motus. sunt tamen actus entis in potentia. *Resp.* prædictam

definitionem conuenire corruptioni, quæ tendit in formam deperdendam; quando enim diximus de motu, *quod sit actus entis in potentia*, hoc debet intelligi, non tantùm de potentia ad acquirendum, sed etiam de potentia ad deperdendum; alias Philosophus ipse non reponeret corruptionem inter species motùs. Adde quòd nunquam fiat de perditio formę per corruptionem, quin alia acquiratur per generationem succedentem corruptioni; quandoquidem *corruptio vnius est generatio alterius*. Quantùm ad *actus immanentes*, illi non sunt propriè *motus*, nec illis præcedens definitio competit, quia quando Aristoteles de *motu* dicit, *quod sit actus entis in potentia*, hoc intelligit de actu corporis naturalis; tales autem actus immanentes non sunt propriè producti à corpore, sed ab anima. Quātùm verò ad *actiones immanentes* corporeas, vt sunt visio, auditio, & similes: sicut possunt dici impropriè motus, nempè intentionales: sic etiam prædicta definitio potest illis impropriè applicari; licèt propriè tantùm conueniat motui reali & physico, vt in annotatione prædiximus.

Quæres, an motus sit quid absolutum aut relatiuum. Primùm affirmant aliqui, existimantes motum esse de genere quantitatis; quæ est prædicamentum absolutum: Scotus verò *in 2. dist. 14. quæst. 2.* cum Parisiensibus & multis aliis docet motum esse ens relatiuum. Motus enim non est ad se, sed ad aliud, quoniam est via & tendentia ad formam aliquam de nouo acquirendam. *Deinde* motus ex definitione sua dicitur esse *actu entis in potentia, vt in potentia est*; sed actus seu actio est entitas relatiua extrinsecùs adueniens: ergo motus & relatio. *Tandem* motus non est mouens, quia mouens est causa motus à quo distinguitur; nec etiam est mobile, quia mobile est subiectum motus; nec etiam fluxus formæ, cùm fluxus includat successionem quam dicemus postea non esse de intrinseca ratione motus: ergo superest quòd motus dicatur esse relatio extrinsecùs adueniens mobilis admouens. Quòd si in logica diximus, motum esse speciem quantitatis continuæ successiuæ, quæ quantitas est genus absolutum, hoc verum est de motu sumpto materialiter, pro forma acquisita vel acquirenda, per motum quæ reuerà pertinet ad quantitatem, falsum verò de motu formaliter accepto, qui nihil aliud est quàm relatio extrinsecùs adueniens mobilis admouens.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit Motus.

DVobus modis Aristoteles accipit motum, nimirum genericè, & specificè. Sumit motum *genericè* prout abstrahit à mutatione instantanea & successiua, & hoc modo in Logica *cap. de postprædic.* admittit sex species *motus*, quarum duæ sunt ad substantiam, nempè generatio & corruptio; duæ ad quantitatem, nempè accretio & diminutio; vna ad qualitatem, scilicet alteratio; & altera ad vbi; quæ vocatur latio, seu loci mutatio. Sumit verò *specificè* motum, quando illum accipit pro motu successiuo duntaxat: & de illo sic vsurpato loquens Aristoteles 5. *phys. cap.* 1. negat generationem esse *motum*: quod idem videtur sentire Scotus ad hunc locum, & *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. Propter hanc diuersam acceptionem motus, aliqui philosophorum volunt successionem esse de essentia motus; quia scilicet accipiunt motum specificè, eo modo, quo illum explicuit Arist. 5. *phys. cap.* 5. Scotus verò & alij motum sumentes genericè & communi acceptione, prout illum tradit Philosophus in postprædic. docens motum abstrahere à successiuo & instantaneo; sicut genus abstrahit à speciebus. Quantùm ad *diuisionem motus*, potest desumi vel à terminis ad quos tendunt motus, vel ab alijs circumstantijs intrinsecis vel extrinsecis, quæ motus comitantur; de quibus postea.

CONCLVSIO PRIMA.

SI sumatur *motus* in sua significatione genericâ, in qua accepit eum Arist. *in postprædic.* dici debet *quòd motus secundùm terminos, debeat diuidi in motum ad substantiam, in motum ad Quantitatem, ad Qualitatem, & ad Vbi*. Si verò sumatur motus secundùm strictam & specificam explicationem, pro motu successiuo duntaxat; tunc *motus penes terminos diuiditur solùm in motum ap Quantitatem, ad Qualitatem, & ad Vbi*. Et hic est communior modus Recentiorum, qui dicunt ad substantiam non dari motum, sed mutationem duntaxat, cùm generatio & corruptio potiùs

debeant dici mutationes, quàm motus: sed hæc contestatio est plus de nomine, quàm de rebus.

Motus ad quantitatem est ille per quem acquiritur vel deperditur aliqua quantitas, vnde duplex est motus ad quantitatem, nempe accretio, seu augmentatio & decretio siue diminutio. *Accretio* est motus à minori quantitate ad maiorem, vt cùm virgula fit arbor. *Decretio* est motus à maiori quantitate ad minorem, quæ manifestè apparet in senibus, qui continuò decrescunt. *Motus ad qualitatem* est ille quo acquiritur vel deperditur aliqua qualitas, vt cùm aqua de calida fit calidior, aut de non calida euadit calida: & iste motus vocatur *alteratio*. *Motus ad vbi* ille est, quo acquiritur nouus locus, & vocatur *motus localis* seu *vbicatio*, vt cùm aliquis transit de aula in ortum: & hæ sunt quatuor communes species *motus successiui*, quibus si addantur duo priores, qui sunt motus instantanei, nempe *generatio & corruptio*, tunc erunt sex illi motus, quos commemorat Aristoteles *cap. de postprædic.* Si autem duo vltimi terminantur ad substantiam, quia generatio est transitus, seu motus à priuatione formæ substantialis ad ipsam formam substantialem, vbi corruptio est motus à forma ad priuationem formę substantialis.

CONCLVSIO SECVNDA.

PRæter diuisionem illam trimembrem, quam philosophi faciunt communiter de motu, quem distinguunt essentialiter *in motum ad quantitatem*, *in motum ad qualitatem*, *& in motum ad vbi*, hæ sequentes possunt adijci, in Naturalem, Violentum, & Medium. In motum Simplicem & Compositum. In Rectum & Reflexum. In Velocem & Tardum. In Regularem & Irregularem. In Instantaneum & Successiuum. Et in similes, qui in transcursu habentur apud philosophos.

Motus Naturalis est ille qui proficiscitur ab interno principio mobilis, & qui est secundùm naturalem illius inclinationem: sic motu naturali lapis cadit deorsum. *Motus violentus* ille est qui emanat à principio extrinseco, & est contra inclinationem mobilis, sic motu violento de puteo extrahitur aqua, & lapis mouetur sursum. Motus *Medius* ille censetur, qui partim est naturalis, & partim violentus, vt si quis la-

pi-

pidem deorsum proijceret: talis enim motus partim esset naturalis lapidi, quatenus tenderet deorsum, & partim esset violentus, in quantùm exiret ab impetu impresso. Hanc diuisionem motus indicat Doctor noster *in 2. dist.2. quæst.3.*

Motus simplex est ille qui fit à simplici virtute mobilis, vt quando lapis mouetur deorsum à seipso. *Motus compositus* ille est qui fit à pluribus virtutibus mouendi; vt cùm auis descendit per aera: tunc enim motus ille fit partim à ponderositate auis, & partim ab impetu alatum ipsius auis descendentis. Si etiam lapis de Alto proijceretur in imum, talis motus diceretur pariter compositus.

Motus rectus & reflexus in hoc distinguuntur quòd si pila v.g. in parietem proiiceretur, tunc esset motus rectus quando autem pila reflectens, contra parietem reuertitur ad locum vnde fuit egressa, tunc est motus reflexus. *Motus velox* est ille qui spatium suum percurrit tempore breuiori: *tardus* verò ille est qui prolixiori tempore spatium conficit. *Regularis* est ille qui semper eandem velocitatem retinet. *Irregularis* autem seu inæqualis est ille qui velocior est in vna sui parte quàm in altera.

Motus violentus, de quo antea dictum est, quatuor species habet, quæ sunt Pulsio, Tractio, Vectio, & Volutatio; quas species motus localis violenti assignat Philosophus 7. *Phys. tex.* 16. *Pulsio* est quando mouens aliquid à se, vel ab alio, propellit: vt si quis à se lapidem proiiceret. *Tractio* è contra est quando mouens aliquid ad se trahit, vt quando stomachus de ore ad se trahit alimentum, vel magnes ferrum. *Vectio* est quando aliquid vehitur cum alio cui coniungitur: vt quando aliquis in curru vehit aliud. *Volutatio* est cùm mouens agit mobile in gyrum, vt quando quis mouet rotam.

Præcedentes diuisiones conueniunt præcisè motui successiuo, sequens verò quà distinguitur motus in *instantaneum & successiuum*, intelligi debet de motu sumpto *genericè*, prout conuenit instantaneo & successiuo, quæ sunt species motus in se. Eorum enim quæ acquirunt aliquam formam, & transeunt à potentia ad actum, aliqua id consequuntur in *instanti*, vt cum aer illuminatur, oculus recipit speciem obiecti, forma substantialis acquiritur per generationem, vel deper-

ditur per corruptionem; quia hæc omnia fiunt in momento, ideò dicuntur motus *instantanei*. Alia verò ducuntur in formam *paulatim* & *successiuè*, quando scilicet lignum paulatim calefit, puer successiuè crescit, & viator per partes temporis ad terminum peregrinationis peruenit; tunc motus isti *successiui* dicuntur.

Si *quaratur* autem *quanam harum diuisionum motus sint intrinseca aut extrinseca*. Responderi debet quòd illi motus sint essentialiter differentes, quorum quilibet terminus *ad quem* distinguitur essentialiter ab alio termino *ad quem*. Quia motus formaliter est relatio vt prædictum est; *relatio* autem *specificatur à termino*: ergo motus illi distinguuntur essentialiter, qui habent terminum *ad quem* essentialiter distinctum. Ob hoc illi qui sumunt motum in generali acceptione, prout instantaneum & successiuum complectitur, diuidunt motum in *motum ad substantiam*, qui generationem & corruptionem continet; *in motum ad quantitatem*, qui duplex est; *accretio* scilicet & *decretio*; in *motum ad qualitatem*, qui est *alteratio*, seu *acquisitio* aut *deperditio qualitatis*, & in *motum ad vbi*, per quem aliquis transeundo ab vno loco in alium, nouam acquirit præsentiam localem. Illi autem qui motum accipiunt *specificè* pro solo motu successiuo, qui est sensibilior & apparentior, diuidunt motum tantummodo in tria membra. Nempè in motum ad Quantitatem, Qualitatem, & ad Vbi; dicentes generationem & corruptionem, quæ terminantur ad substantiam; non esse propriè motus: quia fiunt in *instanti*, non verò *successiuè*, quod tamen dicunt requiri ad essentiam motus, cuius contrarium habetur in quæstione sequenti.

QVÆSTIO III.

An successio sit de essentia Motus.

HOc contendit Raconius. Alij dicunt successionem non esse quidem de essentia motus sed esse propriam illius passionem. Alij fatentur quidem successionem non esse de essentia, nec proprietatem motus in genere, quia generatio, corruptio & illuminatio aeris, quæ sunt motus, fiunt in *instanti*; sed contendunt motum localem in specie esse essentialiter successiuum. Scotus autem *in 2. dist. 2. quæst. 9.* Conim-

bri-

bricenses, Toletus, Suares, & alij plurimi negant successionem esse de essentia, aut proprietatem motus. Quantùm verò ad *motum localem* in particulari Doctor noster *in* 3. *dist*. 2. *quæst*. 3. cum Parisiensibus, & Conimbricensibus, & multis, negat successionem esse de essentia illius; affirmantque motum localem posse diuinitùs effici in *instanti*: quidquid reclamet Raconius cum D. Thoma *in* 4. *dist*. 44. *quæst*. 2. *art*. 3. & 6. *phys*. vbi contendit repugnare, quòd corpus moueatur localiter in *instanti*.

CONCLVSIO.

Svccessio non est de essentia motus, nec illius proprietas, vt haberi potest de Scoto præcitato. Illud enim non est de essentia aut proprietas subiecti: sine quo subiectum esse potest; sed motus potest esse sine successione, cum Aristotéles 3. *phys. text*. 6. probet generationem, quæ fit in instanti, esse motum: ergo successio non est de essentia nec proprietas motus. *Deinde* Deus in *instanti* potest calefacere aquam: sed illa calefactio erit motus essentialiter, quoniam Deus patrando miracula non tollit essentias & naturas à rebus, sed eas integras & illæsas conseruat: ergo potest effici motus in *instanti*, & proinde successio non est de essentia aut propria passio motus. *Tandem* virtute D. potest separari prius à posteriori, modò illud ab illo non dependeat essentialiter, vt videri potest de accidente, quod potest diuinitùs separari à substantia; sed motus præcedit successionem, nec vlla est dependentia inter successionem & motum; cùm motus in genere præscindat ab instantaneo & successiuo: ergo si interueniat diuina virtus, motus poterit esse sine successione.

Confirmatur nostra conclusio specialiter pro motu locali, *quòd scilicet possit fieri in instanti per potentiam diuinam*; vt docet Scotus *in* 3. *dist*. 2. *quæst*. 3. Philosophus enim 8. *phys* *tex*. 78. ait quòd si virtus in finita foret in magnitudine, moueret in *non tempore*, seu in *instanti*: & sic motus localis instantaneus non repugnat. *Deinde* ideò motus localis non fit in *instanti* quia vel datur resistentia contrarij, vel virtus mouens est finita, vel spatium per quod fit motus, debet successiuè transiri, cum sit diuisibile, sed virtuti D. nihil resistere potest, nec ipsa limites aut finitatem agnoscite

ergo ex hoc duplici capite motus effectus à Deo non erit *successiuus*. Si enim vbi fortior est virtus, vbi motus fit velocior, motus effectus à Deo debebit fieri in *instanti*, cùm potentia agendi in Deo sit infinita; vnde 1. *ad Cor.* 15. *de resurrectione mortuorum* dicitur quòd fiet *in momento*, *in ictu oculi*. Licèt etiam spatium sit diuisibile, non minùs Angeli aut animæ separatæ possent localiter moueri de terra in cœlum; vti docet Doctor *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. Non quidem transeundo per medium diuisibile, & deferendo vnam partem medij post aliam: quia hoc successionem argueret: sed, vt loquitur Scotus, *inpertransito medio*; ita quòd in eodem instanti mobile illud esset in termino *à quo* & in termino *ad quem*; vti proportione quadam seruata docet fides de adorando corpore Christi, quod in *instanti* adducitur è cœlo in hostiam consecratam post prolationem verborum.

Objcies 1. rationem ex Aristotele assumptam non probare conclusionem, quia generatio non tam est motus, quàm mutatio, quæ licèt possit fieri in instanti, non tamen probat quòd motus possit esse instantaneus; cùm ipsemet Aristoteles 5. *phys.* *cap.* 1. reijciat generationem à motu, propterea quòd non sit successiua.
Resp. nos iam antea dixisse generationem esse vnam ex sex speciebus motuum, quas enumerat philosophus in postprædicamentis, quod etiam confirmat 3. *phys.* *tex.* 6. vbi definitionem motus illustrat per exempla generationis, quæ est motus *instantaneus*, & alterationis, quæ est motus *successiuus*; ex quo manifestè apparet, quòd Philosophus admittat generationem pro motu *instantaneo*. Quòd si dicat generationem esse mutationem, non opponit mutationem motui, sed per hoc vult distinguere generationem, quę fit in instanti: à motu successiuo; licèt mutatio & motus, seu generatio & alteratio conueniant in ratione generica motus communis, qui diuiditur in motum instantaneum & successiuum, tanquam in suas species. Quòd autem generatio sit verè motus ex hoc colligitur, *quòd sit actus entis in potentia*, seu *transitus à non esse substantiali ad esse substantiale*; in quo consistit ratio propria motus.

Obijcies 2. motus nihil est aliud quàm fluxus seu tendentia à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, sed fluxus ille est acquisitio partis post partem, quæ succes-
siua

siua est: ergo successio est de essentia motus. *Resp.* concedendo maioren, quia reuerà motus dicit essentialiter fluxum & tendentiam à termino *à quo* ad terminum *ad quem*. Sed negatur minor, quòd fluxus ille dicat essentialiter acquisitionem formæ *successiuam* & per partes; talis enim fluxus seu transitus *abstrahit* à fluxu instantaneo & successiuo, tanquam genus à speciebus: & sic sicuti datur motus successiuus, qui est sensibilior & conformior principiis naturæ, de quo frequentius agunt philosophi; sic etiam datur motus instantaneus, vt generatio, corruptio, illuminatio aeris, receptio specierum in potentiis, & sic de similibus: proindeque motus vt sic, & genericè acceptus, non inuoluit essentialiter successionem. Quòd si motus ab Aristotele dicatur species quantitatis continuæ successiuæ, ibi loquitur de forma per motum acquisita, quæ continua & successiua est. Si dicatur etiam quod tempus mensuret motum, qui proinde debet esset successiuus, vt sit *proportio inter mensuram & mensuratum*: Responderi debet quòd tempus mensuret motum *successiuum*, non verò motum in se.

Obiicies 3. quòd motus localis non possit fieri in instanti, quia ille motus supponit distãtiam inter terminũ *à quo* & terminum *ad quem*; sed illa distantia est diuisibilis: ergo non potest transiri nisi per durationem diuisibilem, quæ est tempus. *Resp.* obiectionem vrgere tantùm de motu locali, qui fieret transeundo per medium, tunc enim spatium diuisibile non potest percurri, nisi per durationem temporaneam & diuisibilem. Si autem fieret motus in instanti, non transiretur per medium; sed ille mobile in eodem instanti esset in termino *à quo* & in termino *ad quem*: non verò partim in vno, partim in alio, & partim in medio; quia hoc est proprium motui successiuo, qui fit per partes; vnde Angelus & anima separata in eodem instanti possent esse in cœlo & in terra, non quidem per sui mutationem, sed per suum *mutatum esse*, quandoquidem in eodem instanti desinerent in termino *à quo* per *primum sui non esse*, & essent in termino *ad quem* per *primum sui esse*.

QVÆSTIO IV.

Ad quæ prædicamenta detur Motus.

QVI distinguunt motum à mutatione, per *mutationem* intelligentes motum instantaneum, & per *motum* indicantes motum illum in particulari, qui successiuus est, habent dicere quòd ad substantiam non detur motus, licèt ad eam detur mutatio; quia nimirum generatio & corruptio, quas vocant mutationes & non motus, fiunt in instanti, quandoquidem forma substantialis non introducitur nec deperditur *successiuè*. Nos autem, qui non distinguimus motum à mutatione, & qui in mente Aristotelis admittimus generationem & corruptionem tanquam species motus, possemus non immeritò dicere, quòd ad prædicamentum substantiæ detur motus, cùm generatio & corruptio, quæ ad substantiam pertinent, sint veræ & propriæ species motus; quia tamen à philosophorum solito deuiare ineptum videretur, & authores communiter cum Arist. 5. *Phys. tex.* 10. & Scoto *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. restringentes motum ad illum qui *successiuus* est, asserunt motum non dari; nisi ad quantitatem, qualitatem, & vbi: ideo cum illis erit,

CONCLVSIO.

MOtus datur duntaxat ad quantitatem, qualitatem, & vbi, si hoc intelligitur de motu successiuo: quia vt pluries diximus, nil vetat dicere dari motum ad substantiam, si motus sumatur in sua ratione generica, prout abstrahit à motu successiuo & instantaneo. Ad illa enim prædicamenta datur motus successiuus, in quibus videntur mutationes temporaneæ, quæ acquiruntur per partes, sed ad tria tantùm præfata prædicamenta dantur mutationes successiuæ: ergo ad illa tãtùm datur motus successiuus. *Primò* ad quantitatem datur motus successiuus: cùm videamus corpora crescere & decrescere, accretio autem & decretio sunt motus pertinentes ad quantitatem: cùm hac distinctione, quòd accretio sit motus *positiuus*, & decretio sit motus *negatiuus*. *Secundò* ad qualitatem pariter datur motus *successiuus*, cùm aqua ex non calida fiat calida, & de calida calidior.

Ter-

Tertiò denique, ad *Vbi* datur motus similiter *successiuus*, quando sensibiliter aliquis transit de vno loco ad alium transeundo per medium loci.

Obiicies ad substantiam dari motum cùm Aristoteles *cap. de postprad.* dicat generationem & corruptionem esse species motus. *Resp.* vt antea, dari motum reuerà ad substantiam; si motus sumatur in sua generica acceptione, vt esset communis instantaneo & successiuo: si verò motus sumatur *specificè* pro motu successiuo, tunc ad substantiam non dicitur dari motum; quia videlicet *generationes fiunt in instanti*. Quòd si Aristoteles doceat vnam generationem esse tardiorem alterà; hoc euenit per accidens, ratione scilicet dispositionum quæ *successiuè* præparant materiam ad receptionem formæ substantialis, quæ introducitur in instanti. Si quis dicat vlteriùs *ad relationem dari motum*; hoc negari debet absolutè, quia relationes non efficiuntur, sed resultant ad positionem fundamenti & termini.

Quæres in quo prædicamento resideat motus. Resp. quòd si motus sumatur *materialiter* pro forma per ipsum acquisita, tunc reponatur in eodem prædicamento, in quo ponitur terminus illius; ita quòd si motus terminetur ad quantitatem, aut ad qualitatem, aut ad vbi; tunc motus sit *talis prædicamentis*, vt docet Scotus *quodlib.* 11. post Arist. 5. *Phys. tex.* 10. Si autem motus sumatur *formaliter*, reponitur in prædicamento *passionis*, quia per motum patiens refertur ad agens; sed id quo patiens refertur ad agens est *passio*: ergo motus formaliter sumptus est de prędicamento passionis, quandoquidem secundum genus relationum fundatur super potentiam actiuam & passiuam, seu super actionem & passionem.

QVÆSTIO V.

A quo desumatur Vnitas Motus.

EXplicatis existentià, definitione, partitione, & successione motus, de quo diximus in quæstiuncula præcedenti, *quod formaliter sumptus pertineat ad prædicamentum passionis*; nunc agendum venit de *vnitate & distinctione motus*: quandoquidem vnitas & distinctio sunt proprietates entis, quæ sequuntur illius essentias, Entium autem naturalium alia sunt propter se, vt

ſubſtantiæ omnes, quæ ſpecificantur à ſe ipſis intrinſecè, ſeu à ſua forma, vt homo ab anima, & lapis à forma ſubſtantiali lapidis: alia verò ordinantur ad aliud, à quo ſuam ſpecificationem deſumunt; vt potentiæ ab obiectis, & relationes à terminis. Cùm *autem* conſtet motum ordinari ad aliud, quandoquidem dicit tendentiam ad terminum acquirendum; ideo neceſſe eſt, vt ſpecificetur & diſtinctionem deſumat, non quidem intrinſecè à ſe ipſo, ſed à terminis quos reſpicit, vnde vnitas & diſtinctio motus generica vel ſpecifica, vel numerica, debet ſumi ab extrinſeco.

CONCLVSIO PRIMA.

VNitas generica & ſpecifica motus petitur à termino ad quem. Sic Ariſtoteles 5. *Phyſ. cap.* 4. *tex.* 31. cui ſubſcribit Scotus *in* 1. *diſt.* 13. *quæſt. vn.* Motus enim ab eo habet vnitatem genericam & ſpecificam, à quo habet *eſſe*, quandoquidem vnitas ſequitur ens, vt propria paſſio; ſed motus habet *eſſe* à termino *ad quem*, cùm motus ſit tendentia ad terminum: ergo ſpecificatio motus, ſeu illius vnitas aut diſtinctio repeti debet à termino *ad quem*. *Deinde* vnitas generica & ſpecifica motus non deſumitur à mouente, nec à medio, nec à termino *à quo*: ergo repeti debet à termino *ad quem*. Non repetitur, inquam, à mouente, quia plures concurrere poſſunt ad eundem motum, quando ſcilic. plures homines trahunt eundem currum. Non repetitur etiam à medio, quia medium ſe habet accidentariò ad vnitatem aut diſtinctionem motus. Non repetitur denique à termino *à quo*, cùm idem terminus *à quo* poſſit eſſe reſpectu motuum contrariorum; color nimirum cæruleus terminus *à quo* dealbationis & denigrationis. Et ſic repeti debet vnitas & diſtinctio motus ab vnitate & diſtinctione termini *ad quem* motus fertur. *Tandem* ſicut ſcientia ſpecificatur ab obiecto, ſic motus à termino *ad quem* ordinatur, ſed ſcientia ab obiecto capit ſuam denominationem, ſpecificationem, & vnitatem: ergo *motus ſuam diſtinctionem vel vnitatem deſumit à termino*.

Ob hoc duæ generationes habent vnitatem genericam, quia habent duos terminos ſubſtantiales eiuſdem generis, in opinione illorum, qui dicunt dari motum ad ſubſtantiam. In opinione etiam communi, à qua

nos ipsi non dissentimus, augumentatio & diminutio sunt motus eiusdem generis; quia habent pro termino *ad quem* quantitatem, ad quam tendunt. Alteratio verò, augmentatio, & latio, sunt diuersi generis; quia termini ad quos tendunt sunt diuersi generis, nempè Quantitas, Qualitas, & Vbi. Ex aduerso illi motus habent vnitatem specificam, qui habent terminos eiusdem speciei; vt duæ dealbationes: è contra verò denigratio & dealbatio sunt diuersæ speciei, & eiusdem generis; quia pro terminis habent albedinem & nigredinem, quæ differunt specie, & conueniunt genere.

Obijcies. Media pars montis potest terminare descensum lapidis qui moueretur à culmine ad medium illius, & eadem montis pars potest terminare assensum alterius lapidis, qui à radice montis ad superiorem illam partem proijceretur; sed illi duo motus ascendens & descendens sunt diuersi specie, qui tamen habent eundem terminum ad quem: ergo falsum est dicere, quòd specificatio motus desumatur à termino *ad quem*. Resp. quòd media illa pars montis possit reuerà terminare diuersos specie motus; sed per respectum ad tales motus illa pars montis, quę entitatiuè est eadem *numero*, formaliter tamen spectata sub ratione termini est diuersa: ratione scilicet diuersorum effectuum, quatenus nimirum motus diuersos terminat. *Dices*; motus localis rectus & circularis, qui tendunt ad eundem locum, seu ad eundem terminum ad quem, differunt *specie*: & sic motus non sumunt prçisè suam vnitatem aut distinctionem à termino *ad quem*. Resp. illos motus non differre essentialiter, sed tantùm accidentariò; cùm curuitas & rectitudo sint differentiæ tantùm accidentales lineæ: vnde sicut homo albus & homo niger non differunt nisi accidentariò, sic nec motus rectus & circularis.

CONCLVSIO SECVNDA.

Vnitas numerica motus sumitur ex triplici capite nimirum ex vnitate subiecti, termini, & temporis: vnde vt motus sit idem *numero*, necesse est vt sit idem subiectum *mobile*, idem terminus *ad quem* moueatur, & quod absque *interruptione* vlla continuetur in eodem tempore: posito autem quòd varietur vnum ex his tribus,

bus, non remanet ampliùs idem *numero* motus. Ratio huius est quòd motus sit accidens tendens ad terminum, quod continuum esse debet; quandoquidem hic loquimur de motu *successiuo*, qui cùm sit sensibilior, magis pertinet ad considerationem physicam: sed motus vt accidens, petit vnitatem subiecti, quia *omne accidens à subiecto indiuiduatur*: vt tendens ad terminum petit vnitatem termini, quoniam eadem via non ducit ad terminos diuersos; vt denique est aliquid continuum petit vnitatem temporis, cùm vnitas continui saluatur per interruptionem, quandoquidem continuum diuisum non est ampliùs *vnum*; vnde si aqua calefieret per vnum quadrans, & non calefieret in quadrante sequenti, postea verò reinciperet calefieri, non esset eadem *numero* calefactio, sed essent duæ, quoniam fierent in duobus temporibus discontinuis: ergo vnitas triuni prędictorum requiritur ad vnitatem numericam motus.

Obijcies, variato subiecto, non variatur motus: ergo falsum est quòd motus sumat vnitatem numericam ab vnitate subiecti, quandoquidem perseuerabit idem motus, estò sit duplex mobile: vt videri potest in cane, qui præcipitatus ex alta turri in medio casus moreretur: tunc enim vsque ad medium turris caderet canis viuus, & de medio ad imum caderet canis mortuus, qui essent duo mobilia. *Resp.* in data hypotesi dici posse, quòd sit *duplex motus*, sicut *duplex mobile*; ita quòd à culmine turris ad medium sit descensus canis, & à medio turris vbi canis moritur vsque ad pedem, sit descensus cadaueris: sicut enim in illo casu cadauer succedit cani, sic motus & descensus cadaueris succedit motui & descensui canis. *Responderi* potest aliter quòd in casu supposito sit idem motus eiusdem corporis, quia est idem corpus quod descendit à cuspide ad pedem turris; licèt non sit idem animal, quandoquidem initio motus cadebat animal viuum, & in fine cadit animal mortuum. Si quis instet dicendo motum illum non fuisse interruptum, & sic remansisse eundem *numero*: Responderi debet non fuisse interruptum interruptione *temporis*, benè autem interruptione *subiecti*, quod de viuo fuisset mortuum. Vltima præcedens solutio dari potest illis, qui obijciunt eundem arboris ramum, ex parte virentem & ex parte siccum, moueri eodem motu: esse tamen duo mobilia: dicendo scilicet quòd sit idem *numero* ramus per respe-

ctum

ctum ad formam corporeitatis ; licèt non sit idem per respectum ad vitam, quæ deest ab vna parte rami.

QVÆSTIO VI.

Quomodo distinguatur Motus à mouente, mobili, & termino ad quem.

IN motu sex notari debent : *Subiectum* scilicet seu *mobile*, quod moueri dicitur ; deinde *Forma*, quæ acquiritur per motum, & transit de *non esse sui ad sui esse* ; postea *transitus præcise sumptus* ad ipsam formam ; quartò *Duratio* ipsius transitus, loquimur enim de motu *successiuo*, qui durat aliqualiter ; quintò notari potest *transitus* ille vt est ab agente cuius dicitur *actio* ; Sextò denique attendi potest ad eundem *transitum*, *prout in patiente recipitur*. Hæc omnia illustrantur per exemplum calefactionis, quæ est sensibilis motus. Aqua enim est *subiectum* quod mouetur. Calor est *forma* quam acquirit aqua & ad quam transit. Calefactio in se considerata præcisè est *transitus ad formam*. Tempus, quo durante, aqua calefit, est *duratio motus*. Calefactio vt est ab igne est *transitus actionis*. Calefactio vt denique passiua, vt in aqua recipitur est veluti *passio*. Hic autem *quæritur* singulariter de *mouente*, *mobili*, & *termino ad quem*, *quomodo distinguantur à motu*. Nominales nullam inter motum & hæc tria interponunt distinctionem; Conimbricenses prædicta distinguunt à motu formaliter: Scotus verò docet illa distingui realiter à motu.

CONCLVSIO.

MOtus realiter *distinguitur à mouente*, *à mobili*, & *termino ad quem*. Sic Doctor noster *in 2. dist. 1. quæst. 5.* quod idem habet *in 3. dist. 14. quæst. 1.* Ratio *primi* est, quia causa efficiens realiter distinguitur à suo effectu, quoniam *nihil potest esse causa sui ipsius* ; sed mouens est causa quasi efficiens motus, cùm motus exoriatur à mouente : ergo motus realiter à mouente distinguitur. *Deinde* sicut agens potest esse sine actione & subiectum sine accidente, sic & mouens sine motu ; *illa autem distinguuntur realiter, quæ separa-*

ta existere possunt, ex Aristotele: ergo. *Tandem* relatio distinguitur realiter à fundamento, vt diximus in logica; sed motus est relatio mobilis ad mouens, & mouentis ad mobile: & proinde motus & mobile realiter distinguuntur. Ratio *secundi*, *quòd motus distinguatur realiter à mobili*, desumitur ex hoc, quòd motus sit in mobili tanquam in subiecto, cùm motus definiatur ab Arist. 3. *phys. tex.* 9. *actus mobilis vt mobile est*; sed id quod est in subiecto realiter distinguitur à subiecto in quo residet, vt accidens à substantia, locatum à loco, & contentum à continente: ergo motus realiter distinguitur à mobili, quandoquidem mobile potest esse sine motu, & subiectum potest esse absque eò quòd moueatur actualiter.

Quantùm ad tertiam partem conclusionis, *quòd motus realiter differat à termino ad quem*, colligi potest ex eo quòd motus tempore aliquo præcedit terminum *ad quem*, quoniam per illum hic successiuè acquiritur, vt patet de motu locali, qui priùs incipit, quàm obtineatur locus; sed quod est tempore prius altero distinguitur ab illo realiter: ergo motus realiter dissidet à termino *ad quem*. *Deinde* terminus *ad quem* communiter est quid absolutum, nimirum substantia, quantitas, aut qualitas, sed absolutum realiter distinguitur à relatione: ergo motus distinguitur realiter à termino *ad quem*. *Tandem*, multa conueniunt motui, quæ non possunt conuenire termino *ad quem*, cùm motus sit via ad terminum, sitque tardus aut velox; quæ non possunt competere termino: ergo realiter distinguitur motus à termino *ad quem*.

Obijcies philosophum dicentem 3. *phys. cap.* 1. motum coincidere cum rebus ad quas est, & sic non distingui realiter à termino *ad quem*. Resp. per hoc intendere Aristotelem, quòd motus reponatur in eodem prædicamento, in quo reponitur illius terminus *ad quem*; ita quòd motus ad quantitatem sit de prædicamento quantitatis, & motus ad qualitatem de prędicamento qualitatis: hoc non impedit tamen quin inter se distinguantur realiter. *Dices*. Si motus distingueretur realiter à mobili, motus posset sine mobili existere, sed motus intelligi nequidem potest sine mobili, quandoquidem motus est alicuius mobilis motus: ergo motus & mobile non distinguuntur realiter. *Resp.* reuerà non posse intelligi motum sine mobili,

pro-

propter essentialem dependentiam illius ab isto; quia tamen mobile potest esse sine motu, si nimirum quiesceret in suo centro, ideò motus, & mobile realiter distinguuntur.

Si *quaratur*, *qualiter à motu distinguantur Actio*, *&* *Passio*. Respondebitur, actionem non distingui realiter à motu, & motum non esse differentem à passione susceptiua. Si enim accidentium distinctio colligatur ex differentia subiectorum, motus qui est in mobili distingui debet realiter ab actione, quæ agenti inhæret. Quantùm verò ad passionem; motus sit relatio; sed secundum genus relationum fundetur in actione, & passione; ergo probabile est, motum non distingui à passione reipsa, cùm non possit spectare ad actionem, vt prædictum est. Ad summum ergo, in hoc tantùm distinguuntur passio, & motus, quod passio sit relatio extrinsecùs adueniens passi adagens, & motus sit relatio extrinseca mobilis admouens.

QVÆSTIO VII.

Quomodo distinguantur, & opponantur termini Motus.

IN omni motu duos dari terminos docet Aristoteles 3. *phys. cap.* & qui vocantur *terminus à quo*, & *terminus ad quem*. Cum enim motus sit transitus successiuus ab vno ad aliud, in omni motu reperiri debent duo termini, quorum ille qui deseritur vocatur terminus *à quo*; ille verò qui acquiritur, dicitur terminus *ad quem*; qui est illorum principalior; cùm ab eo specificetur motus, vt prædictum est in quæstione penultima. Vterque terminus diuiditur aliquando in positiuum, & negatiuum. *Positiuus à quo* est forma præcedens, quæ amittitur, & positiuus *ad quem* est forma sequens, quæ acquiritur; ita quòd si aqua de frigida fiat calida, frigus sit terminus positiuus *à quo* calefactionis, calor verò est terminus *ad quem* positiuus. Sic etiam terminus *ad quem* positiuus eiusdem calefactionis est calor acquisitus, & terminus *ad quem* negatiuus est carentia frigoris præexistentis.

CON-

CONCLVSIO.

NEdum termini motus distinguuntur realiter, sed etiam sibi inuicem opponuntur: vt communiter pronuntiant Peripatetici. *Quòd termini motus distinguantur realiter*, clarè colligitur ex mox dictis, quia scilicet *motus est transitus ab vno termino ad alium*; sed non potest fieri transitio, & tendentia vnius ad se ipsum, quia tendentia est relatio, & relatio dicit ordinem ad aliud; ergo ex definitione motus satis apparet, quòd termini illius distinguantur realiter. *Quòd autem iidem termini sibi inuicem opponantur*, saltem contrarietate impropria quæ in distantia, & in compossibilite extremorum consistit, patebit euidenter omnibus illis, qui seriò considerabunt motus ad quantitatem, ad qualitatem, & ad vbi. Minor enim, & maior quantitas, quæ sunt termini motus ad quantitatem, opponuntur; calefactio, & frigefactio, quæ sunt motus ad qualitatem, opponuntur etiam; sicut, & duo loca, à quorum vno fit transitus localis ad alterum: licèt enim talia loca entitatiuè considerata non habeant oppositionem, attamen si considerentur vt terminus *à quo*, & terminus *ad quem* motus localis, tunc sunt opposita, & incompossibilia; cùm vnum eorum non possit simul esse terminus *à quo*, & terminus *ad quem*.

Si obijciatur contra id quod diximus *in omni motu reperiri duos terminos, à quo, & ad quem*; hoc non esse verum absolutè: quandoquidem motus circularis cœli ab eodem termino egreditur, & regreditur ad eundem, vnde Philosophus 6. *phys.* dicit circularem motum cœli esse infinitum, seu finibus carentem. *Resp.* nos superiùs fuisse loquutos de motu recto, & finito, quem diximus habere duos terminos realiter distinctos. *Quantùm autem ad circularem motum cœli*, termini illius distinguuntur tantummodo formaliter, quatenus nimirum eadem cœli pars intelligitur habere rationem termini *à quo*, prout ab illa incipit motus, & termini *ad quem*, prout motus redit ad eandem partem. *Si obiiciatur* contra id quod diximus, *terminum à quo deseri vt acquiratur terminus ad quem*; hoc non esse vniuersaliter verum de omni motu, quandoquidem in motu augmentationis, qui est transitus à minori quantitate ad maiorem, deperditur aut abijcitur prima quanti-

titas. *Resp.* ideò non dixisse *quòd terminus à quo abÿciatur*, quia non remanet in eodem statu, in quo erat ante motum, licèt enim non abiiciatur minor illa quantitas, non tamen manet in simili statu in quo erat antea.

Si quæratur quodnam genus oppositionis sit inter terminos motus. Resp. illos non opponi relatiuè formaliter; quia ad relationem formaliter sumptam non datur motus, licèt *paruum*, & *magnum* materialiter considerata, sub ratione quantitatis, sint termini aliquorum motuum, nempè augmentationis, & diminutionis. *Resp.* 2. aliquando terminos motus deperditiuos saltem opponi priuatiuè; vt patet de motu remissionis in qualitate, & diminutionis in quantitate, quæ priuant aliqua forma præhabita; licèt termini motus productiui non opponantur *priuatiuè*, quia priuatio est inter ens, & non ens, de non ente verò ad ens non datur motus, vt postea dicetur. *Resp.* 3. terminos motus non esse *contradictoriè* oppositos, propter rationem pręcedentem, quia contradictio est inter ens, & non ens; sed non datur motus inter ens, & priuationem entis; sed datur *tantùm* in mobili ordinato ad aliquam formam recipiendam; vnde dicit Aristoteles 1. *phys. text.* 43. album non fieri ex non albo simpliciter, sed ex non albo quod sit nigrum: & propter hanc rationem dicunt multi non dari motum in generatione, quia est transitus de non ente ad ens. *Resp.* 4. terminos motus aliquando opponi *contrariè*, cùm scilicet fit de vna qualitate contraria ad aliam, nimirum de albedine ad nigredinem, quidquid sit de genere oppositionis interueniente inter terminos motus, semper constat, quòd inter eos sit in aliqua oppositio, seu incompossibilitas.

Quæres, ex occasione terminorum motus, *an recessus à termino à quo, & accessus ad terminum ad quem, sint iidem numero motus*; ita quod quando aqua de frigida efficitur calida patiatur duplicem motum; quorum vnus sit defrigeratio, & alius calefactio dicatur. Ad hoc soluendum, prænotari debet quòd motus ille possit dupliciter considerari; ex *parte* nimirum *subiecti* quod mutatur successiuè, & ex *parte formæ* quæ acquiritur vel dependitur. Hoc posito, respondendum est quòd si motus ille calefactionis aquæ sumatur ex parte subiecti, tunc sit vnus, & idem motus, quia est idem *numero*

su-

fubiectum quod motu non *interrupto* transmutatur de vna qualitate ad aliam : & sic cùm etiam ijdem sint termini *à quo* & terminus *ad quem*, proinde est vnus & idem numero motus. Quod confirmare videtur Aristoteles 5. *phys. cap.* 5. docens motum inter contraria, à frigido scilicet ad calidum, esse idem *re*: & sola *ratione* diuidi. Si verò motus ille calefactionis de aqua frigida in calidam consideretur ex parte formæ deperditæ & acquisitæ, tunc negari non potest quin sint duo motus; cum sint duæ formæ, quarum vna deperditur, nempè frigus; & alia acquiritur, videlicet calor.

Si hìc *quæratur vlteriùs, quodnam sit subiectum motus physici, & quomodo motus & quies opponantur*: Resp. ad *primum*, subiectum motus naturalis esse substantiam materialem, quia motus supponit quantitatem; sed soli substantiæ materiali inest quantitas: ergo subiectum motus physici est substantia materialis. Quando igitur Angeli, & animæ rationales mouentur localiter, hoc est tantùm impropriè: quatenus nimirum vnum locum deserunt vt alium acquirant: non verò dicuntur propriè moueri, & naturaliter; quia motus physicus est successiuus, & per partes mobilis acquirendus, quod supponit quantitatem, cuius intelligentiæ sunt incapaces. Resp. ad *secundum*, motum & quietem opponi *priuatiuè*; quies enim est permanentia subiecti mobilis sub termino *à quo*, vel in termino *ad quem*: vbi motus est transitus & tendentia actualis ab vno ad alium; & sic quies opponitur motui *priuatiuè*, quandoquidem est priuatio seu carentia motus.

Quæres an indiuisibile possit moueri localiter. Hæc quæstio non proponitur de indiuisibili substantiali, cuiusmodi sunt Angelus & anima rationalis; constat enim illud indiuisibile posse moueri localiter. Non loquimur etiam de mobilitate indiuisibilis per accidens quatenus est coniunctum continuo, cuius copulat vel terminat partes: ad motum enim continui illud indiuisibile mouetur: cùm moueatur punctum ad motum lineæ. Loquimur ergo de *indiuisibili præcisè sumpto*, quatenus intelligitur esse separatum à continuo; & de illo quæritur *an posset moueri per se localiter, si esset à continuo segregatum*. Ad hanc quæstionem *negatiuè* respondent Conimbricenses, &

affir-

affirmatiuè cùm Parisiensibus Doctor noster *in* 2 *dist.* 2. *quæst.* 3. vbi docet indiuisibile quantitatis separatum à continuo posse moueri per se localiter. Quod enim mouetur per accidens potest per se moueri, vt patet de aqua, quæ quia mouetur per accidens ad motum vasis, posset per se moueri si separaretur à vase, tendendo scilicet in suum centrum; sed, moto continuo, mouetur per accidens indiuisibile quantitatis: ergo posset per se moueri idem indiuisibile quantitatiuum, si existeret sepatum à continuo. *Deinde* si corpus perfectè sphæricum moueretur super planum, illud tangeret in puncto, quod dicit Aristoteles 1. *de Anima text.* 13. fieri posse, sed sicut corpus illud sphæricum moueretur localiter, sic tale punctum localiter etiam moueretur per se, etiam posito, quòd esset ab illo corpore diuisum, aliàs tunc esset immobile, quod est proprium Dei: ergo nil vetat quin indiuisibile quantitatis per se moueatur localiter.

Tandem potest Angelus existere in puncto, vt docet Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 2. cum ipsis Conimbricensibus; sed in hac suppositione Angelus posset mouere illud punctum, & ipsum transferre de vno loco in alium: ergo indiuisibile quantitatis, quale est punctum, potest per se moueri localiter. *His addi potest* quòd indiuisibile quantitatis grauitatem aut leuitatem quamdam obtineat, tametsi exiguam; sed graue, & leue mouerentur localiter, & tenderent ad suum locum naturalem, si ab illo extraherentur: & proinde indiuisibilia quantitatis possent per se moueri localiter, si seiungerentur à continuo. Nec hanc rationem eludere potest Raconius, dicens talem grauitatem aut leuitatem indiuisibilis non sufficere. vt punctum tendat deorsum vel sursum, quoniam *tendere deorsum* vel *sursum* est grauium, & leuium proprietas. Si ergo Philosophus 6. *Phys. cap.* 3 dicat indiuisibile non posse moueri per se; hoc dicit de indiuisibili existente in continuo, quod non potest moueri, nisi motu continuo, & diuisibili: si tamen quæsijsset aliquis à Philosopho, *an indiuisibile separatum potuisset moueri motu sibi proportionato, sicut mouentur Angelus & anima*; nulla videtur ratio cur hoc debuisset negare. cùm nihil conuincat de immobilitate puncti, si foret à linea separatum. Quando etiam dicunt, id quod mouetur localiter, partim esse in termino *à quo*, & partim in termino

no *ad quem*, quæ non possunt dici de indiuisibili, nullas habente partes: hæc ratio vrget tantùm pro *mobili* & motu *diuisibili* & continuo, non verò pro subiecto *indiuisibili*: quod totum intelligitur esse in eodem instanti sub termino *à quo*, & in termino *ad quem*, vt diximus in *quæst.* 3. vbi probatum est motum localem posse fieri in instanti.

QVÆSTIO VIII.

An quod mouetur ab alio moueatur.

EFfatum illud frequenter commendatum ab Aristotele pluribus in locis, & præsertim 7. *Phys. text.* 1. & 12. *Metaph. cap.* 8. *text.* 43. *quidquid mouetur ab alio mouetur*, non leue dissidium peperit inter Thomistas & Scotistas. Illi enim iuxta commentum Doctoris sui in præfata loca contendunt dictum Philosophi tam generaliter esse accipiendum, vt nihil omnino moueatur, quin motum recipiat ab alio. Nos verò cum Doctore Subtili 9. *Metaph. quæst.* 14. & recentioribus plurimis tenemus propositionem Aristotelis esse tantummodo *indefinitam*, seu in aliquibus veram & in aliis falsam. Fatemur, inquam, omnem motum creaturæ esse ita dependentem à Deo, qui est primus omnium motor, vt reuera iure dicat Philosophus, *quidquid mouetur ab alio mouetur*. In confesso etiam habemus nullum posse dari genus, quod se moueat ad actum primum, seu quod sibi det existentiam; aliàs simul esset in potentia & in actu, quæ repugnant: proindeque hoc etiam sensu verè dicit Aristoteles, *quidquid mouetur ab alio mouetur*. Hoc non impedit tamen quin plura moueantur à seipsis, seu à sua forma, non quidem excludendo primum mouentem, qui est Deus; nec etiam dicendo, quòd aliquid possit se mouere ad actum primum, sibique dare existentiam; sed quòd agentium plurima habeant principium intrinsecum motus; ita quòd seipsa mouere possent ad actus secundos, dependenter tamen à Deo: vnde optimè docuit Scotus, hoc Aristotelicum axioma esse indefinitum, *quidquid mouetur ab alio mouetur*.

CONCLVSIO.

NOn *vniuersaliter verum est dicere, quod mouetur ab alio mouetur*, vt docuit Scotus loco præcitato, & postea *in 2. dist. 2. quæst. 10.* Illa enim propositio non est vniuersalis, si aliqua moueantur à seipsis modo præexplicato; sed animalia à seipsis mouentur, seu à propria forma & virtute sibi innata, vt expresse habetur 8. *Phys. text.* 29. ergo non est vniuersaliter verum, quod mouetur moueri ab alio. *Deinde* homo sponte se mouet & ad agendum se determinat, nedum producendo intellectiones & volitiones quæ sunt intentionales motus; sed etiam mouendo oculos, linguam, & reliquas corporis partes, in quibus extant motus physici & naturales: ergo quod mouetur non vniuersaliter mouetur ab alio. *Tandem* aqua calefacta, per quam propriam formam & innatam sibi virtutem se reducit ad natiuam frigiditatem; sed hoc est *se mouere à seipso*: ergo quod mouetur non mouetur ab alio. Nisi eo sensu, quo suum axioma proposuit Aristoteles, per *illud* indicans inter mouentia talem esse subordinationem, vt inferiora moueantur à superioribus, sublunaria à cœlestibus, & omnia absolutè mouentur à Deo, qui *immotus manens dat cuncta moueri*. Nostra conclusio iterum confirmabitur in sequentibus, docendo grauia & leuia moueri à seipsis

Obiicies 1. Nihil potest simul agere & pati, quia esset simul in potentia & in actu; sed qui seipsum moueret esset in actu & ageret, & qui moueretur esset in potentia & pateretur: ergo nihil potest mouere seipsum. *Resp.* ad maiorem, nihil posse sub eodem respectu esse agens & patiens, aut in potentia simul & in actu, quia talia repugnantiam inuoluunt; hoc non impedit tamen quin vtrumque possit sub diuerso respectu accommodari eidem subiecto, quod diuersimodè dicetur agere & pati, & esse in potentia & in actu; vt patet de intellectu, qui est agens prout intelligit, & est patiens prout recipit intellectionem: vnde idem intellectus est etiam in potentia & in actu respectu diuersorum; quatenus enim intelligit, est in actu; & prout recipit intellectionem, est in potentia. Nil ergo vetat, si aliquid moueat seipsum, & si diuerso respectu sit simul agens & patiens, sicuti in potentia & in actu

respe-

respectu diuersorum; quia repugnantia attenditur tantùm, quando duo contradictoria enuntiantur de eodem sub eodem respectu, & eadem ratione considerato. Ob hoc multoties dicit Doctor noster idem esse in actu entitatiuo, quatenus scilicet existit, & in potentia subiectiua, prout agere, & se mouere potest.

Obijcies 2. Si aliquando verum esset dicere, *quod aliud se moueri posset*, non validè probaret Philosophus existentiam Dei ex motu creaturarum, quod tamen intendit facere; colligens existentiam primi motoris in eo quòd creaturæ se moueant, & non possint se mouere, nisi deueniatur ad existentiam primi motoris, qui immobilis manens alia vniuersaliter moueat. *Responsio* iam præcessit ad hoc argumentum. Fatemur enim ritè colligi existentiam primi motoris ex motione actuali creaturarum, quia essentialiter creaturę ita subordinantur Deo quoad *esse*, & *operari*, vt sine illius concursu non possint existere aut agere; vnde in hoc sensu admisimus veritatem vniuersalem axiomatis allati. Posito tamen quòd Deus vniuersali concursu moveat creaturas, tunc creatura ipsa potest se mouere ex virtute sibi communicata, absque eo quòd ab alia moueatur. Ob hoc duplicem motum afferunt Philosophi, *intrinsecum* scilicet, qui fit à principio intrinseco, vt cum lapis propria virtute tendit deorsum: & *extrinsecum*, quod à principio extrinseco procedit; vt cùm currus ab auriga ducitur, & cœlum mouetur ab intelligentia. Si autem quędam agentia non mouerentur à seipsis, ineptè motum diuiderent Philosophi in intrinsecum, & extrinsecum.

Si *quæratur* ergo ex occasione præcedentis quæstionis, *quænam sint causæ motus*; *Respondetur* primò causam finalem proximam esse acquisitionem termini; quia motus est tendentia ad terminum: remotam verò esse perfectionem Vniuersi, quod ad sui conseruationem perpetuas exigit mutationes. *Resp.* 2. Causam formalem motus innotescere ex definitione illius; cùm enim causa formalis rei sit ipsius essentia, & definitio sit explicatio rei per essentiam: proinde causa formalis motus patet ex eius definitione: In qua diximus motum esse actum entis in potentia, seu transitum ab vno termino ad alium. *Resp.* 3. Causam materialem motus, non quidem *ex qua*, cùm solum compositum materiale habeat causam materialem *ex qua*, sed *in qua*,

qua, esse ipsum mobile: siue enim motus consideratur vt accidens, *mobile* est subiectum & materia *in qua* illius; siue spectetur vt est relatio, *mobile* est illius fundamentum, quod vocari potest materia *in qua*. *Resp.* 4. Causam efficientem motus esse ipsum *mouens*, quod duplex dici potest; nempe *intrinsecum*, & *extrinsecum*, vt notauimus in fine obiectionis praecedentis.

QVÆSTIO IX.

An Grauia & Leuia moueantur à seipsis.

PRæsentis quæstionis solutio præcedentem corroborabit conclusionem. Si enim probari possit vlteriùs grauia & leuia moueri à seipsis, seu habere principium intrinsecum actiuum sui motus, confirmatum habebitur quòd omne quod mouetur non moueatur ab alio. Cum D. Thomas præcitatus dixerit, *quæcumque mouentur moueri ab alio*, debet proinde negare quod grauia & leuia moueantur à seipsis: vnde 1. *p. quæst.* 18. *art.* 1. docet grauia & leuia per se moueri à generante, per accidens verò à re mouente prohibens. Scotus verò 9. *Metaph. quæst.* 14. in confirmationem eorum, quæ dixit in quæstione præcedenti, *omne motum non moueri ab alio*, ait, grauia & leuia moueri à seipsis.

CONCLVSIO.

G*Rauia & leuia à seipsis mouentur*: vt præcitatum est ex Scoto, Aristoteles enim 8. *Physic.* dicit graue & leue sic se habere ad suos motus naturales, sicut se habet *sciens* ad contemplationem, & *ignis* ad combustionem; sed sciens & ignis habent principium actiuum internum contemplationis & combustionis: ergo graue & leue participant principium intrinsecum sui motus naturalis, & sic grauia & leuia mouentur à seipsis. *Deinde* res in qua est causa sufficiens ad *moueri*, non indiget causa extrinseca ad sui motum; sed grauia & leuia habent in se causam sufficientem sui motus, ipsas scilicet grauitatem & leuitatem: ergo non mouentur ab extrinseco, sed à seipsis. *Tandem* si graue sursum detineatur & vincat virtutem impedientis nè

feratur deorsum, sublato obice, deorsum descendit; sed ille motus & talis descensus non fit à generante, quod supponitur absens: ergo efficitur ab ipso graui. Minorem confirmat Aristoteles 2. *Phys.* vbi ait quòd omnis effectus actu causatus debeat habere actu causam sui sibi coniunctam; sed lapis ille ex alio descendens non coniungitur actu cum generante: ergo quidquid reclamet D. Thomas, descensus grauium non est à generante, sed ab interna illius forma.

Obijcies Aristotelem 8. *Phys. cap.* 2. *text.* 33. dicere *grauia & leuia moueri à generante*; iuxta præcedentis quæstionis axioma, *quidquid mouetur ab alio mouetur*. *Resp.* grauia & leuia moueri à generante mediatè & remotè, à seipsis verò immediatè & formaliter. Mouentur, inquam, remotè à generante, quia generans communicat illis formam substantialem, grauitatem scilicet per quam mouentur; quando autem talem formam habent à generante, tunc grauia & leuia mouentur à seipsis, nempe à sua forma, quæ est principium intrinsecum motus: vnde diximus, quòd licèt mediatè & remotè grauia & leuia à generante moueantur, formaliter tamen & proximè mouentur à seipsis. Quantùm ad axioma Philosophi cui nituntur Thomistæ; illud solutum manet ex antecedentibus. *Dices*; si grauia & leuia mouerentur à seipsis mouerent se vt animalia; quod tamen negat Aristoteles 8. *Phys. text.* 29. dicens graue & leue non sic se mouere vt animalia: Respondet Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 14. motus grauium & leuium in hoc differre à motibus animantium, quod animalia moueantur præuia cognitione saltem sensitiuà obiecti: grauia autem & leuia insensitiuo pondere sibi tamen innato, prorumpunt in motus; & rectiùs dici debent moueri, quàm se mouere.

QVÆSTIO X.

An necessaria coniunctio requiratur mouentis cum mobili vt efficiatur Motus.

DVpliciter agens coniungi intelligitur cum passo, præsentia nimirum *suppositali*, seu *mathematica*, & præsentia *virtuali* & *physica*. Præsentia suppositalis est coniunctio substantiæ agentis cum patientis substantia, vt cum ignis in manum sibi appositam actionem suam

suam exerit : præsentia verò virtualis est coniunctio illa per quam agens, quamuis absens, diffundit suam virtutem per corpora intermedia, nec perueniat ad passum, sic sol calorem & influxum à se diffusum dicitur agere in visceribus terræ. Quia Scotus *in 1. report. dist. 37. quæst. 2.* dicit actionem dari in distans : ideo non desunt, qui imputent ei existimasse agens posse operari vbi non est præsens, nec *præsentia suppositi*, nec *præsentia virtutis*: si tamen attendatur ad ea quæ habet *in 4. dist. 14. quæst.* & *in 2. dist. 9. quæst. vn.* apertè videbitur nostrum Doctorem negare tantùm, quòd necessarius sit contactus formaliter & mathematicus, vt agatur in passum; sed sufficere contactum virtualem, quem physicum esse perhibet, quo agens per suam virtutem tangit aliud, vt sol terram per lumen suum. Ob hoc nos antea *cap. 3.* de causa efficiente *quæst. 6. conclus. 3.* in finem diximus coniunctionem virtualem sufficere, vt agens producat suum effectum in passo ; cui assertioni prællegatæ conformis erit sequens

CONCLVSIO.

Non requiritur necessariò vnio mathematica & suppositalis inter mouens & mobile, vt efficiatur motus, sed sufficit aliquando virtualis & physica vnio, quæ semper requiritur. Hæc conclusio probata manet ex superiùs allegatis cap. 3. de causa efficiente. *Quòd non requiratur contactus formalis*, ex eo patet quòd sol agat in visceribus terræ, quibus suppositum solis non coniungitur. *Quòd virtualis coniunctio sufficiat*, eadem experientia conuincit, quoniam sol metalla & lapides pretiosos in præcordijs terræ generat, vbi sola virtus astri illius attingit. Quòd denique virtualis saltem coniunctio mouentis cum mobili necessariò requiratur, colligi potest ex eo quòd agens corporeum non possit agere vbi non est, vel secundùm substantiam, vel secundùm virtutem: ergo necessaria est coniunctio saltem *virtualis* mouentis cum mobili. Ob hoc Aristoteles *1. meteor. cap. 2.* docet mundum hunc inferiorem contiguum esse superioribus corporibus, vt superna illa corpora ad nos vsque transmittant influxus suos per intermedia. Videantur ea quæ allata sunt præcitato capite, vbi obiectiones multæ solutionem suam habent.

Obijcies. Plura agentia videri agere in distans non agendo in propinquum: ergo mouens non debet necessario coniungi virtualiter cum mobili, quia si virtus extenderetur *in distans*, à fortiori extenderetur in propinquum, quod tamen falsum esse demonstrari videtur per exempla loco præcitato allegata; quibus addi potest quod fundus lebetis sit tantùm tepidus aqua ebulliente!, & quòd pomum charta inuolutum inter calidos cineres concoquatur, charta manente illæsa. *Resp.* Solutiones haberi eodem loco, vbi proponuntur obiectiones. Quantùm *ad lebetem*, non ideò fundus illius tepidus mane. aqua efferuescente, quòd ignis per illum non transmittat virtutem suam, sed quia calor dilatat poros ferri per quos egreditur calor, & pergit ad aquam, quæ maiori conatu obsistit, cùm in ea non sint pori, per quos calor egredi valeat: & sic fundus lebetis manet tepidus ebulliente aqua. Quantùm *ad pomum*, non ideo charta illud inuoluens ab igne incombusta manet quòd ignis non transmittat in eam actionem suam, sed quia comburi nequit, nisi prius exsiccetur: cùm autem exsiccari non possit ratione humiditatis continuò decidentis è pomo, idcirco de facili comburi non potest.

QVÆSTIO XI.

A quo moueantur Proiecta.

PRoiectorum nomine intelligi veniunt omnia corpora, quæ mouentur & pelluntur vi aliqua extrinseca & forensi, vt globuli expulsi bombardis, sagittæ arcu emissæ, rotæ manu circumactæ; & quæcumque similiter à principio externo mouentur. De causa motus proiectorum tres fuerunt olim sententiæ, in quarum prima Plato valebat proiecta moueri per Antiperistasim; quam aliquando dicemus esse obsessionem debilioris & infirmioris corporis circumuallati à potentiori obsidente: sed quia antiquata est talis opinio cuius meminit Aristoteles 8. *Phys. text.* 82. tumulo relinqui debet. Secunda quam amplectitur D. Thomas 3. de cœlo ad *text*. 28. existimat motum proiectorum repetendum esse a medio, nempè ab aere ambiente proiectum; ita quòd ille qui lapidem vel alterum corpus simile contorquet priorem aerem commoueat, qui col-

lisus

lisus concitat alium, & iste successiuè alium, donec viribus deficientibus aer debilitatus alium non possit ampliùs propellere, & sic finem accipiat motus, & proiectum quiescat. Tertia tandem docet proiecta moueri à proijciente per virtutem impressam ipsis proiectis; sic cum Conimbricensibus, Raconio, & alijs, Scotus *in 4. dist.6. quæst. 6.*

CONCLVSIO.

P*Roiecta mouentur à proijciente, tanquam à causa principali, & à virtute impressa, tanquam à minus principali; ita quod mouens imprimat mobili virtutem suam, qua deficiente, desinit motus proiecti.* Ratio nostra ex hoc petitur quòd videamus proiecta actu moueri; sed non mouentur per antiperistasim, vt in confesso habetur apud omnes; nec per motum aeris pulsati à proijciente: ergo superest, vt moueantur proiecta per virtutem illis à proijciente impressam. Probatur talem motum non esse ab aere. Videmus enim globos tormentarios, qui mœnia & turres euertunt; sed incredibile est, quòd ille motus fiat ab aere impellente globum, cùm aer sit corpus fluidum, leue, & rarum, quod non potest imprimere tantam virtutem in ipsis globis: ergo talis motus non est ab aere. *Deinde* si daretur aliquod vacuum, vtpotè si aer & omne corpus destrueretur ab hac aula, pilam posset quis mouere ab vna extremitate aulæ ad aliam; sed ille motus pilæ non esset ab aere pellente, quem supponimus nullum ibi dari: ergo motus proiectorum non est ab aere, sed à brachio proijciente pilam, tanquam à causa principali, & à virtute impressa pilæ per brachium, tanquam minus principali à causa. *Tandem* nullo flante vento, si quis lapidem proijciat in aere, ille lapis proiectus mouetur, etiamsi aer immotus maneat: imò cymba contra rapiditatem fluuij ventumque aduersum procedit, vt liquet: sed dici non potest, quòd cymba moueatur per aerem, qui flat ex diuerso: ergo sustineri non potest, quòd proiecta moueantur à medio, seu ab aere, benè autem *à virtute impressa proijcientis.*

Obijcies. Si motus proiectorum oriretur à virtute impressa; motus ille esset velocior in principio, quàm post initium, quia tunc virtus immediatè existens à proijciente deberet esse impetuosior; sed motus pro-

iectorum tardior eſt in principio, vt optimè norunt inſtrumentorum bellicorum præfecti, quos videmus curare huiuſmodi inſtrumenta in certa quadam diſtantia collocari, vt fortiùs mœnia excutiant: ergo motus talium proiectorum non eſt à virtute impreſſa, ſed ab aere, cuius vna pars pellit aliam; & cùm plures ſint partes aeris concitati in medio, propterea motus eſt ibi velocior. *Reſp.* Ex hoc poſſe tantùm concludi, quòd aer concitatus, & partes eius ad inuicem compulſæ in medio, motum adiuuent & reddant citiorem; hoc non impedit tamen, quin principalius principium talis motus ſit à qualitate impreſſa mobili per proijcientem: & hoc modo reſolui debet Ariſtoteles dicens motum proiectorum attribui medio, nempe aeri, vel aquæ. Quòd autem ab illa qualitate procedat motus proiectorum, ex rationibus præallegatis; quibus ſuperaddi poteſt, quòd quantò proijciens erit fortius, tantò citiùs mouebitur proiectum; per qualitatem ſcilicet, quam imprimit ipſi mobili, quæ ipſum determinat ad *moueri ſurſum*, vel deorſum, vel in gyrum, pro libito proijcientis.

Si quæratur autem ad quam ſpeciem qualitatis reuocari debeat illa qualitas impreſſa mobili à proijciente. Reſpondebitur illam probabiliùs reuocandam eſſe ad primam ſpeciem qualitatis, nempe ad diſpoſitionem: quatenus ſcilicet à ſubiecto ſuo facilè mobilis eſt: illa autem qualitas oritur à proiecto ſeu à mobili à cuius potentia proijciens illam educit, vt moueatur proiectum. Talis qualitas dicitur conſeruari in proiecto, per ipſam proiecti naturam, quæ ipſam aliquandiu retinet; & per virtutem proijcientis, cuius virtus, quantò fuerit maior, perfectius proiectum ſibi ſubijcit, & illi diuturniorem imprimit qualitatem, ſecundùm conditionem illius mobilis. Quando deſinit eadem qualitas, talis deſitio non fit per contrarium; cùm non habeat qualitatem ſibi contrariam: nec ex defectu ſubiecti, cùm mobile; quod eſt ſubiectum illius qualitatis, remaneat ſemper idem: ſed deſinit illa qualitas *poſitiuè*, per medium reſiſtens motui; & *negatiuè*, per negationem concurſus conſeruatiui: Vt rectè notat doctiſſimus noſter Fraſſenus.

Quæres; *quomodo omnia intelligantur incipere & deſinere.* Cum nedum motus, ſed etiam res omnes permanentes, qualeſcumque ſint ſub Deo, incipere & deſinere

nere dicantur; quatenus suæ durationis terminos actuales vel possibiles habent: ideo vniuersaliter quærimus, quomodo omnia intelligantur incipere aut desinere. Quod vt intelligatur faciliùs. *Notandum* est duo esse genera rerum quæ incipiunt & desinunt; quarum aliæ sunt transeuntes & successiuæ, vt motus & tempus; aliæ verò sunt permanentes, vt Angelus, homo, leo, calor, & similes, quę suum *esse* totum simul possident: siue illud acquisiuerint successiuè & per partes, vt calor: siue suum totum *esse* obtinuerint simul, vt homo, Angelus, materia prima, &c.

Notandum est secundò rerum permanentium aliquas accipere suum esse cum expulsione contrarij, seu cum expulsione formę sibi contrariæ, vel disparatę, cuiusmodi sunt formæ substantiales sublunarium, quarum vna non aduenit materiæ, nisi forma præcedens expellatur per contrarias dispositiones: alias verò acquirere suum *esse* sine expulsione contrarii, vt illuminatio aeris, productio Angeli, vel materiæ primæ creatio, quæ nullam requirunt dispositionem vt efficiantur.

Notandum est tertiò rem aliquam incipere vel desinere duobus modis, *intrinsecè* nimirum, & *extrinsecè*, vt insinuat Scotus *quodlib.* 12. *art.* 1. vbi docet quòd res incipiat positiuè & intrinsecè per *primum instans sui esse*; in quo verum est dicere, *nunc res est, qua immediatè antea non erat*: in tali enim momento positiuam & intrinsecam existentiam recipit. Res verò incipit negatiuè & extrinsecè per *vltimum instans sui non esse*; quo momento verum erat dicere, nunc res non est, & immediatè post existere incipit. Sic etiam res aliqua dupliciter desinit ex eodem Doctore nostro, positiuè videlicet, & negatiuè. Positiuè desinit esse per *vltimum instans sui esse*, in quo affirmatur, *nunc res est & immediatè post non erit*: negatiuè verò & extrinsecè desinit esse per *primum instans non esse sui*, in quo dici potest, *nunc res non est*, *qua immediatè antea erat*. His positis, iuxta diuersitatem entium, quæ incipiunt & desinunt, diuersimodè respondendum est, vnde pro permanentibus

Respondeo primò: res permanentes quę simul & in instanti producuntur, quales sunt Angeli, animæ rationales, & materia prima, incipiunt intrinsecè *per primum esse sui*, & desinunt eodem modo, intrinsecè nimirum & positiuè, *per vltimum esse sui*. Ratio *primi*

 est

est quia res incipit positiuè & intrinsecè per primum instans sui esse, in quo verum est dicere, *nunc res est qua antea non erat*; sed pro eo instanti quo producuntur Angeli, anima rationalis, & materia prima, verum est dicere, *nunc existunt Angelus, anima, & materia prima*; ergo res permanentes, quæ *simul suum esse* accipiunt, incipiunt intrinsecè per *primum esse sui*. Ratio *secundi* est, quia res desinit intrinsecè & negatiuè per vltimum instans sui esse, in quo verum est dicere, *res est & immediatè postea non erit*. Idem dici debet de indiuisibilibus quantitatis, de instantibus temporis, de *mutato esse* motus, de generatione præcisè sumpta & formaliter, de illuminatione, de receptione specierum in potentijs, & similibus, quæ cùm habeant suum *esse simul*, quandoquidem est prorsus indiuisibile, proinde incipiunt intrinsecè per primum esse sui, & desinunt positiuè per vltimum sui esse, vt docet Scotus *quodlib.* 12. *art.* 3.

Respondeo 2. Res successiuas, cuiusmodi sunt tempus & motus, incipere & desinere tantummodò extrinsecè per *primum scilicet sui non esse, & per vltimum sui esse*; vt loquitur Doctor noster *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. Ratio huius est quod rerum successiuarum essentia saluari nequeat in instanti suæ inceptionis & desitionis earum, quandoquidem essentialiter consistunt in successione, & successio non potest saluari in aliquo instanti, cùm successio exigat & prioritatem & posteritatem partium, sed instans non admittit prius & posterius, cùm sit indiuisibile; ergo res successiuæ non incipiunt intrinsecè per *primum sui esse*, nec desinunt per *vltimum sui esse*: sed extrinsecè & negatiuè incipiunt per vltimum sui non esse, quo posito incipiunt existere; & desinunt per vltimum sui esse, quo dato existere cessant. *Dices*. Primum *indiuisibile* motus & temporis acquiritur in instanti, & vltimum *indiuisibile* vtriusque amittitur in instanti: ergo dici debet, quòd motus & tempus incipiant intrinsecè per primum sui esse, & desinant intrinsecè per vltimum sui esse. *Resp.* reuerà posse dici, quòd in instanti existat aliquid temporis & motus, quia reuerò existit aliquod indiuisibile, quod spectat ad tempus & ad motum, sed pro illo instanti non existunt tempus & motus, quia sunt quid successiuum, & illa indiuisibilia non sunt talia: ergo licèt in instanti existat aliquid temporis & motus, non

tamen motus aut tempus censentur existere pro illo instanti, quandoquidem nihil adest successiuum.

Respondeo 3. Idem dici debere de rebus permanentibus, quæ *successiuè* acquirunt suas formas; quòd scilicet incipiant extrinsecè tantùm per *vltimum sui non esse*, & desinant similiter *per vltimum sui esse*. Cum enim calor, qui est qualitas continua, & successiua calefactione acquiratur, & quantitas per successiuam, & diuisibilem accretionem, proinde in primo instanti, quo existit *primum indiuisibile* talium rerum successiuarum, dici nequit quòd existant res illæ [illegible]; quæ, cum sint diuisibiles, non possunt consistere in aliquo indiuisibili. Vnde dici remanet *quòd res illæ permanentes, quæ acquirunt per partes suum esse, incipiant extrinsecè, & negatiuè per vltimum sui non esse, & desinant per vltimum sui esse*. Ob hoc Philosophi dicunt esse quatuor *instantia* tam intrinseca quàm extrinseca inceptionis, & desitionis rerum. Primum instans intrinsecum inceptionis, vocant *primum esse rei*; quia res, quæ toto tempore anteriori non fuerat, incipit existere. Instans desitionis intrinsecum, appellant *vltimum esse rei*, quia in tali momento res adhuc manet; sed illo elapso, toto sequenti tempore non existit. Instans inceptionis extrinsecum vocatur *vltimum non esse rei*, eo quòd res in illo nondum sit; sed toto sequenti tempore sit futura. Instans denique desitionis extrinsecum dicitur *vltimum esse rei*, quia in illa res perseuerat quidem, sed toto tempore sequenti non amplius existit.

Ex hac triplici responsione duo colliguntur breuiter. Quòd scilicet Angelus, anima, materia prima, & res omnes permanentes, *positiuè incipiant per primum sui esse*; quia in primo instanti quo aliquid eorum existit, censentur positiuè existere, quoniam non habent partes: & sic quando aliquid eorum existit, tota illorum essentia existere censetur. Tempus verò, motus, & omnes formæ permanentes, quæ successiuè acquirunt esse suum, *non censentur existere per primum sui esse*; quia quando existit *primum indiuisibile* temporis motus, aut cuiuscumque formæ per partes suum *esse* acquirentis, talia non dicuntur existere, quod nihil eorum existat, nisi aliquod indiuisibile: ipsa autem sunt diuisibilia, & sic non existunt quando solum indiuisibile existit.

Quæres *unde oriatur reflectio motus*. Ne aliquid inexplicatum remaneat de ijs quæ motum concernunt, præcedentibus adijci debent aliqua de resilientia motus, & de illius acceleratione; quę dici possunt motus proprietates. Circa *primum* experientia docet corpus motum, dum allidit alteri, resilire; vt videre est in pila, quæ allidens parieti non quiescit illicò, sed versus proijcientem reflectit cum aliquo impetu. Circa causam talis reflectionis, Carthesius dicit quòd paries non opponatur motui pilæ, nec impediat quòd moueatur absolutè pila, bene autem impedit, quod progradiatur vlteriùs: vnde, quia pila proiecta debet habere motum proportionatum virtuti proijcientis; cùm non possit talis pila habere suum motum tramite recto, propter resistentiam parietis, tunc ipsa debeat suum motum prosequi tramite reflexo; & ex hoc resultat reflectio motus. Mariottus apud Gaudinum, agens de corporum repercussione, ait in corporibus innatam esse *vim elasticam*, qua suæ figuræ taliter sunt tenacia, vt cum ab ea dimota fuerint, in illam sese restituant, eo maiori impetu, quo fortior fuerit ille, quo dimota sunt à suo statu naturali; vt videre est in arcu, qui quantò violentiùs inflexus fuerit, validius sese eriget, si sibi fuerit permissm: quod euidenter denotat, iuxta Mariottum, in corporibus singulis esse vim elasticam, quæ est causa repulsus ac reflectionis; quatenus scilicet in collisione duorum corporum partes vtriusque, vel vnius saltem, violentè comprimantur, & sic redeundo in pristinam figuram, innata illa virtute elastica, sese ab inuicem repellunt, & producunt nouum motum, qui nihil aliud est, quàm reflectio & resilientia.

Communiter sententia docet eandem esse causam reflectionis per accidens, quæ ante fuerat causa per se motus recti; ita quòd proiiciedo pilam in parietem producat per se motum rectum pilæ, & per accidens motum reflexum illius: vnde quantò violentior fuerit impetus proiicientis, eò etiam fortior sit reflectio & resilientia illius, cum diminutione tamen aliqua ob resistentiam parietis, qui minuit aliqua in parte motum, & facit vt sit lentior. Quòd si dicatur eandem non posse dari causam motus impulsiui & repulsiui, nec proinde motum rectum & reflexum posse causari à proiiciente, nulla in hoc apparet repugnantia, si sit causa per se vnius, & causa per accidens alterius, vt in proposito,

vbi

vbi proiiciens causat per se motum rectum & impulsiuum pilæ, qui per accidens degenerat in reflexum & rupulsiuum, propter occursum & resistentiam parietis. Hæc sententia mihi videtur probabilior, licèt præcedentem non validè impugnet Gassendi, dicens, non videri qualem depressionem possit efficere pila lanea parieti marmoreo, cui alliditur: licèt enim in tali collisione partes marmoris non comprimantur per pilam, attamen partes pilæ comprimuntur ad occursum marmoris; quod denotat ipsas esse præditas *vi elastica*, quæ est causa, cur pila resiliat, vt partes eius se restituant in pristinum statum. Cum autem in mollibus & lentosis corporibus nulla aut exigua sit virtus elastica, sic nulla aut parua reperitur in illis reflectio: vnde pila butyracea contra aliam non resiliret, licèt partes vtriusque comprimerentur: quia nimirum destituuntur *vi elastica*, per quam inclinentur ad restitutionem suæ figuræ.

Quæres vtrum in puncto reflexionis detur quies. Quoniam reflexio supponit duos motus, *rectum* videlicet & *reflexum*; ideo quadrupliciter potest ipsa intelligi, iuxta quatuor modos, quibus motus directus ad reflexum comparatur. Vterque enim vel est *naturalis*, vt patet de accretione & decretione viuentium, quarum illa est motus directus, & hæc motus reflexus dicitur. Vel vterque ex opposito est *violentus*, vt cùm pila proiecta in parietem in altum resilit: vel motus directus est *naturalis*, reflexus verò *violentus*, quando pila proprio pondere cadit in lapidem, à quo repercutitur. Vel denique motus directus est *violentus*, & reflexus est *naturalis*, quando scilicet pila sursum mittitur, & postea proprio pondere in terram recidit. Quæstio præcedens specialiter intelligitur de motu *recto*, qui violentus est; an scilicet, cùm pila proijcitur in parietem & contra proiicientem reflectitur, in illo puncto reflectionis detur quies; ita quòd sit aliquod instans, in quo pila, dum tangit parietem, quiescat, nec moueatur motu recto aut reflexo.

Respondeo posse intercipi quietem inter motum directum & reflexum, licèt non semper detur talis quies. Primum probatur ex hoc, quòd si pila colorata proiiciatur contra parietem, relinquat vestigium sui circa parietem, qui dealbatur; sed dealbatio, cùm sit alteratio, non potest fieri in instanti, quoniam debet esse successiua; ergo per tempus aliquod, licèt

imperceptibile, quiescit pila contra parietem; proindeque in puncto reflectionis potest aliquando intercipi quies. Sine tali quiete globi tormentarij non possent castrorum mœnia euertere, nec vrbium comburere ædificia, quandoquidem actio fieri nequit in instanti; & sic interdum datur quies inter motum rectum & reflexum. *Secundum* patet in sequenti suppositione. Si pila sursum proiecta occurrat molæ asinariæ descendenti à qua repercutiatur, tunc ille motus reflexus pilæ nullam admittit quietem; quia, si quiesceret pila dum tangit molam, mola etiam quisceret, quandoquidem ea quæ se tangunt habent vltima simul seu extrema. Quando autem sic se tangunt, pila & mola, vel simul mouentur, vel simul quiescunt; sed ridiculum est dicere, molam asinariam manere suspensam in aere propter pilam sibi occurrentem; ergo necessarium est, quòd simul moueantur; proindeque non datur quies in illo puncto reflectionis, in quo pila tangit molam, aliàs pro illo tempore quietis mola non ferretur deorsum, nonobstante suo immenso pondere.

Si vterque motus sit naturalis, potest in reflectione inter media dari quies. Inter accretionem enim & decretionem viuentium, qui sunt motus rectus & reflexus, admittitur status consistentiæ & quietis, in quo, nec augentur viuentia, nec minuuntur. Similiter inter dilatationem & compressionem cordis reperitur quies, sicut & inter pulmonis aspirationem & respirationem. *Tandem*, progressio & regressio animalium sunt motus naturales, & inter vtrumque viuens potest quiescere, si scilicet non reuertatur in momento accessionis. Hoc tamen non impedit, quin aliquando non detur quies in puncto reflectionis motuum naturalium; cùm possit quis se mouere localiter ad talem distantiam, & ab ea recedere nulla intercedente mora. *Quando motus rectus est violentus*, si ille fiat in vacuo, nulla intercipitur quies in puncto reflexionis. Lapis enim sursum proiectus tandiu mouebitur in altum, quandiu impulsus illi impressus præponderabit grauitati; eodem autem instanti, quo impetus ille dissipabitur per continuam remissionem, tunc idem lapis ad vnum decidet propter pondus innatum. *Si denique motus directus violentus fiat* per spatium plenum, probabile est, quòd in puncto reflexionis quies poterit intercipi; quando scilicet impulsus erit in eodem gradu,

in quo

in quo se reperiet medij resistentia: talis enim vtriusque æqualitas poterit efficere quietem, & dari aliquod instans, imperceptibile tamen, in quo quiescet mobile, nec præponderabit resistentiã medij super grauitatem eius, nec grauitas mobilis præualebit supra resistentiam medij. Idem dicendum est à fortiori, si vterque motus sit violentus; quod scilicet si pila proiecta resiliret in altum, tunc in puncto reflexionis daretur quies. Si possit enim dari, quando motus rectus est violentus, & reflexus naturalis, ob medij scilicet resistentiam; debet à fortiori dari quies, quando medium resistit, & motus reflexus ad talem resistentiam sequens est violentus.

Quæres, vnde repetatur velocitas & tarditas motus. Respondeo illam oriri ex triplici cápite. primò ex *mouente*, quò enim validius vel debilius est mouens, eò velociorem, vel tardiorem efficit motum. Secundò ex *mobili*, quo enim ponderosius vel leuius est mobile, eò velociùs vel tardiùs reuertitur ad centrum aut ad superiores partes euolat. Tertiò tandem ex *medio*, quò enim medium in quo fit motus est rarius vel densius, eò magis aut minus retardat motum. Cum autem experientia doceat motum esse celeriorem in progressu & in fine quàm in principio, cùm lapis decidens, initio quidem segnius feratur, in progressu verò rapiatur celeriùs, tantoque validiùs percutiat, quantò cadit ex editiore loco; super causam accelerationis motus varia est philosophorum opinio. Alij enim putant grauitatem mobilis roborari & crescere ex accessu ad centrum; & sic tantò celeriùs lapidem moueri, quantò plus adpropinquat ad centrum, vt inquit Simplicius apud Gassendum. Alij docent terram vi quadam magnetica attrahere grauia corpora; vnde cùm illa magnetica virtus sit validior circa centrum, ideo validius & celerius trahit mobile in fine mutus sui, quàm in principio vel in progressu. Alij denique volunt motum esse celeriorem in fine, quia ibi minor est resistentia medij, nempè aeris, qui quantò est minor inter cadentem lapidem & terram, tantò celerius mouetur ipse lapis; sed quò propiùs lapis cadens attingit terram, minor aër resistit illi; ergo motus illius debet esse celerior in fine, quàm in principio, aut in progressu.

Verissimilior tamen sententia est hæc, quòd scilicet ideo velocior sit motus grauium in fine, quia vis locomo-

motrix validiùs mouet corpus quod iam eſt in motu, quàm quod eſt in quiete. Nauta enim æquali conatu vtens, faciliùs cymbam iam emotam impellit, quàm quietam. Rhedarii, dum graue corpus in loco difficili vehunt, nihil magis cauent quàm ne motus interrumpatur: quod aliunde non procedit, niſi quòd corpus iam in motu exiſtens faciliùs moueatur, quàm ſi eſſet in quiete. *Tandem* ſi quis globum ſupra planum conſtitutum repetitis, paribus tamen, ictibus vrgeat, manifeſtè ſentiet velociùs moueri globum ex ſecundo ictu, quàm ex primo; & celeriùs ex tertio, quàm ex ſecundo, ſicque ſucceſſiuè; ita quòd in fine celerrimus erit motus talis globi: quia ſcilicet res iam in motu faciliùs mouetur, quàm ſi eſſet adhuc in quiete. Germana autem huius veritatis ratio, hæc afferri poteſt, quòd vis loco motrix conatu continuo conferat aliquid ad motum; ſed ſecundus conatus, cùm iam reperiat motum eſſe productum à primo, non poteſt illum producere, ſed illum magis vrget: & ſic motus fit celerior per continuitatem, & lapis citiùs mouetur in fine motus, quàm in principio, aut in progreſſu.

Idem dicendum eſt de aliis viribus loco motricibus, ſicut de vi loco motrice grauium: quòd ſcilicet celeriorem motum cauſent in progreſſu quàm in principio, niſi quid obſtet: vnde inflexus ramus, dum ſe reſtituit in priſtinam rectitudinem, celeriùs mouetur in fine; ſic arcus & omnia elateria, de quibus ſupra diximus, redeundo ad ſtatum illum à quo violentè dimota fuerunt, ſegnius mouentur in principio: ſic denique globus tormentarius celeriùs mouetur, in progreſſu, quàm dum exit è ſua machina; vnde ad certam diſtantiam ictum validorem edit: talis tamen acceleratio & validitas motus ſubitò deſinit, quia vis loco motrix paulatim deficiens ſegnius vrget mobile. Si hic ex occaſione quæratur, cur animalia citiùs moueantur in medio, quàm in principio, & fine motus. *Reſponderi* poteſt quòd motus illorum ſit tardior in principio, quia illorum ſpiritus exercitatione calefaciendi nondum ſint diffuſi in membra per neruos & muſculos, qui ſunt inſtrumenta motus; in medio autem tales ſpiritus calefacti validiùs mouent: in fine verò lenteſcit motus, quia exhauſtis ſpiritibus per agitationem continuam debilitantur membra animalis; & ſic motus eſt debilior.

Quares

Quares num detur primus motor. Quia Aristoteles in fine octaui physicorum loquitur de primo motore, cuius existentiam astruit *tex. 56.* Ideo hanc quæstionem proponere in eodem loco non negligunt philosophi. Respondemus ergo ad illam cum Scoto ad prædictum locum, dari vnum motorem, qui nedum est immobilis & immutabilis, sed & spiritualis, omnipotens, & omnimode infinitus in quocumque genere perfectionis: vt amplissimè diximus in Theologia, & dicetur inferiùs in Metaphysica: Quòd detur primus motor, hanc veritatem probare contendit D.Thomas, ex communi aximate Philosophi 7. Phys. text. 1. *Quidquid mouetur ab alio mouetur*: ergo, inquit Doctor Angelicus, nè admittatur processus in infinitum, deueniendum est ad vnum primum mororem, qui immotus manens omnia moueat. Hanc rationem esse validam contendit Scotus, cùm plura seipsa moueant, vt grauia & leuia, quæ mouentur à seipsis; animalia, quæ se mouent quocumque desiderant; & agentia libera quæ pariter operantur & se mouent pro libito: sed de his sufficienter diximus *quæst. 8. huiusce capitis*. Adde quòd ex hoc axiomate posset tantùm inferri, quòd omnia sublunaria mouerentur à primo cœlo quod vocatur primum mobile, & ipsum cœlum ab Angelo: quod tamen non probaret existentiam Dei, quem tenemus cum D.Thoma esse primum motorem.

Recurrendum est ergo ad alias rationes, quæ haberi possunt ex *quæst. vlt. cap. 1. tract. de Deo vno*, vbi probauimus existentiam Dei posse demonstrari euidenter à posteriori per viam creaturarum; dicendo scilicet, *multa sunt producta quæ continuò videmus generari, vt metalla, plantæ, animalia, &c.* Illa ergo omnia, vel sunt à seipsis producta, vel ab aliis producta fuere; *primum* est impossibile, cùm nihil se producere possit, imò *quidquid producitur ab alio semper producitur*, ex communi axiomate, quod nullus Philosophorum vnquam negauit: ergo remanet, vt ab alio producantur. Illud autem *aliud*, vel est à se, vel ab alio, non à se, vt diximus: ergo ab alio. Si ab alio *illud tertium* erit à quarto, *quartum* à quinto, & sic admittendus esset processus in infinitum, quod nullus vnquam audebit admittere: vel deueniendum est ad aliquod primum ens quod erit omnium rerum causa, mouens, & principium, quod à nullo producetur aut mouebitur: & sic

per

per viam creaturarum à posteriori demonstrari potest existentia primi motoris. Hunc autem esse prorsus immobilem innuit Aristoteles 8.*Phys.tex.55*.cui subscribit Scotus *in 1. dist. 30. quæst. 2.* conformiter ad S. Scripturam Malach. 3. *Ego Deus & non mutor*. Cuius hæc ratio allegari potest, quòd ens actualissimum & summè necessarium, nec moueri, nec mutari possit, quoniam mutatio supponit potentiam ad habendum id, quod antea subiectum non habebat. Cùm ergo Deus sit ens actualissimum, summè necessarium, & perfectissimum vndequaque: ideo euidenter demonstratur ipsum nedum esse immutabilem, sed & omnimoda perfectione cumulatissimum.

SECTIO II.

De speciebus Motus in particulari.

IAM diximus multoties cum Aristotele *cap. de Post Prædic.* sex esse species motus, quæ sunt Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio, & Motus Localis, de quibus nobis sigillatim, breuiter tamen, dicere conuenit. Verum quidem est, quòd Peripateticorum ille Princeps non loquatur hîc de illis motibus, quorum explicationem reseruat post quatuor libros de cœlo & mundo, in alijs scilicet duobus libris, qui vocantur de Generatione & Corruptione, quia illorum subiectum formale & adæquatum in mente Scoti statuitur corpus generabile & corruptibile. Quia tamen omnia quæ concernunt naturam motus non sufficienter cognoscerentur, nisi pariter ipsius specierum daretur intelligentia; ideo non incongruum duximus agere hîc de illis motibus, quos in præfatis duobus libris de Generatione & Corruptione tradit Philosophus: hoc autem fiet breui & tenui stylo, vt celeriùs attingatur finis nostrę Physices, quàm fortè nimium protraximus in iis, quæ huc vsque dicta sunt, & quæ complectuntur octo libros Physicorum.

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

Quid dicendum sit de Generatione, & Corruptione.

GEneratio sumitur tribus modis. *Primò* nimirum latè, pro cuiuscumque entis productione, siue sit substantia, siue sit accidens, & hoc modo Aristoteles 3. *Physic. text.* 7. de Generatione sic sumpta dicit, quòd sit *mutatio de non subiecto in subiectum*: sicque de non homine generaretur homo, & de non albo generaretur album. *Secundò* strictè, pro sola productione viuentium, & taliter accepta generatio describitur *productio viuentis à viuente principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ*: hoc modo Adam non potest dici à Deo genitus, sed factus simpliciter; quia non est productus in similitudinem naturæ diuinæ. *Tertiò* tandem desumitur generatio medio quodam modo, pro sola productione substantiæ, siue id quod generatur sit viuens, siue non viuens, & tunc Aristoteles 1. *de Generat. text.* 23. loquens dicit quòd generatio sit *mutatio totius in totum, nullo sensibili subiecto remanente*. De generatione priori modo accepta loqui non intendimus, sub ea enim continentur creatio, & productio accidentium, quæ latioris considerationis sunt; nec etiam de generatione tertio modo accepta, quia ageremus tantùm de viuentibus, & tunc strictior esset nostra explicatio; vnde nobis agendum venit de generatione accepta medio illo modo, qui omnem, & solam productionem substantialem complectitur. De generatione autem sic consideratа dicemus decem, *an detur generatio substantialis; quid sit generatio; quotuplex sit generatio; quomodo explicanda sit generatio viuentium; generationem fieri in instanti; ipsam non consistere in productione formæ, sed in vnitione illius; duplicem esse terminum generationis, qui, & quo: idem esse dicendum de corruptione, sicuti de generatione; quomodo intelligi debeat, generationem vnius esse corruptionem alterius: compositum viuens in corruptione non resolui vsque ad materiam primam, benè autem compositum simplex vnica præditum forma*. Hæc, inquam, videbuntur in hac vnica quęstione.

Dico primò cum Academicis, & Peripateticis, dari generа-

nerationem substantialem; contra Democritum, Empedoclem, Anaxagoram, & alios, qui omnem generationem substantialem negabant. Cum enim verissimum esse putarent hoc axioma, *ex nihilo nihil fit*, ideo volebant res omnes actu producere ab ęterno, solumque moueri: per congregationem, vel per separationem; proindeque repudiabant generationes substantiales. Academici verò cum Platone, & Peripatetici cum Aristotele, generationem substantialem apertè sustinent; quibus subscribit Doctor noster *in* 1. *dist.* 31. *quæst.* 6. quem pręiuit August. 3. *contra Maximinum* dicens; homo generat hominem, & canis canem; quę generationes sunt substantiales. Ratio eorum, & nostra est, quòd agentia naturalia producant sibi simile, quoniam est Arist. 2. *Phys. text.* 26. Ignis gignit ignem, & homo hominem; sed talis productio est generatio substantialis, cùm per eam producatur compositum, quod est substantia completa: ergo repudiari non potest substantialis generatio. Deinde accidens generat accidens, vt calor calorem; sed substantia non est minoris efficacię, quàm accidens: ergo potest producere substantiam. Ob hoc Philosophi admittunt tria principia generationis, materiam, formam, & priuationem; quorum priora saltem sunt substantia. *Tandem* eadem species perpetuatur continuò, vt videmus; sed talis perpetuatio speciei non efficitur nisi per generationem substantialem multorum indiuiduorum, cùm videamus granum frumenti corrumpi, ex eo currupto procedere spicam, & ex spica multa grana eiusdem frumenti oriri: ergo concedi debet generatio substantialis. Non quod fiat talis generatio ex non ente simpliciter: *ex nihilo enim nihil fit*; sed quòd fiat ex ente in potentia ad formam aliquam, quę ex subiecto educitur virtute agentis naturalis, quod propterea dicitur producere compositum substantiale.

Dico 2. cum Arist. 1. *de Generat. text.* 23. quòd *generatio sit mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente subiecto eodem*. Dicitur primò *mutatio*, & est genus definitionis, in quo generatio ipsa conuenit cum aliis mutationibus, nempè cum creatione, alteratione & similibus; quę mutationem inuoluunt. Subiectum autem illius mutationis, seu res quæ mutatur, est materia, quæ transit à forma. Dicitur 2. mutatio *totius in totum*, id est totius compositi à quo fit transitus, ad

aliud

aliud compositum quod de nouo producitur: quando enim generatur equus, semen equi generantis transmutatur in equum genitum. Per hanc ergo particulam, seu per *mutationem totius*, non debet intelligi corruptio materiæ, & formæ, quandoquidem eadem materia quæ erat in corrupto manet adhuc in genito: sed per hoc designatur, quòd vnum compositum, quod est quid totale, transeat in aliud compositum, quod est etiam quid totale: vnde iure dicitur, quòd generatio sit mutatio totius in totum. Dicitur 3. *Nullo subiecto sensibili remanente*, & in hoc distinguitur generatio ab alteratione, in qua idem subiectum remanet sub diuersis accidentibus, eadem scilicet aqua sub frigore, & calore; in generatione verò, licèt eadem materia remaneat sub genito, & corrupto, licèt etiam aliqua accidentia sensibilia remaneant sub termino vtroque, quandoquidem eadem materia affecta iisdem accidentibus superest, quia tamen idem compositum non est subiectum talium accidentium, sed aliud diuersum à primo quod de nouo productum est; in generatione dicitur, quòd nullum subiectum sensibile remaneat. *Si dicatur* quòd præcedens definitio non sit legitima, cùm non conueniat omni generationi; quandoquidem aptari non potest ad Verbum D. quod generatur, non mutatur tamen vllo modo. *Resp.* in hoc debere censeri validam, quòd conueniat omni generationi physicę, & naturali.

Dico 3. *generationem diuidi in Creatam, & in Increatam, in Totalem, & partialem, in generationem viuentium, & non Viuentium, in vniuocam, & Æquiuocam*, & in similes; quæ de facili in transcursu Authorum cognosci possunt. *Generatio vitæ expertium* est productio compositi substantialis inanimati ab alio composito eiusdem speciei elicita, vtpote productio Ignis ab igne. *Generatio viuentium* tribus modis accipi solet, latissimè nimirum, latè, & strictè. Generatio viuentium latissimè est *productio viuentis ab alio simpliciter*, siue sit viuens, vel non viuens; eiusdem naturæ vel dissimilis: & sic productio insectarum facta ex putri materia, vel ex virtute animalium dicitur generatio viuentis; sicut, & productio Adami aut Euæ ex limo & ex costa. Generatio viuentium lata, est productio viuentis à viuente sibi simili; vnde communiter describitur *origo viuentis à viuente principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ*. Generatio viuentium strictissima,

sima, est *productio viuentis intellectualis ab intellectuali viuente*, & hæc competit Verb. D. quod dicitu r *verè & propriè genitum*, quatenus est ens intellectuale viuens, productum ab intelligente etiam viuente, nimirum à Patre Æterno, qui Verbum suum producens iure dicitur sibi *generare filium*, quia illum producit sibi similem, nedum in natura specifica, vti faciunt homines; sed etiam in natura singularissima, quandoquidem *Pater generans* est idem numero Deus cum genito filio; non enim illi communicat partem decisam suæ substantiæ, sed & totam suám naturam indiuisam prorsus numero.

Dico 4. pro explicatione præcedentis generationis viuentium, de qua diximus, quòd sit *origo viuentis à viuente principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ*; quod talis definitio quatuor particulas contineat, quæ sic explicari debent. Primò dicitur *origo viuentis*: quia natiuitas pertinet tantùm ad viuentia. Dicitur 2. *à principio viuente*, & per hanc particulam animalia quæ producuntur ab igne, vel à sole, vel ab aliis causis vitæ expertibus, non dicuntur propriè *generari*; vt ranæ & vermes. Dicitur 3. *à principio vitæ coniuncto*; id est, per aliquid, quod antea fuerit generanti coniunctum, vt potè per semen à generante decidens, & ob hoc productio Adami à Deo non fuit propria generatio, quia licèt fuerit facta à Deo viuente, non tamen ortum habuit Adamus per substantiæ D. communicationem: sic etiam supposito, quòd per dæmones incubos aut succubos animal aliquod oriretur; quod non crederem posse fieri, cum difficile intelligatur vim generatiuam posse conseruari in semine separato; tunc illa productio talis animalis non esset vera generatio: quia non fieret per decisionem substantiæ dęmonis, nec per aliquid quod antea fuisset dæmoni coniunctum. Dicitur 4. quòd generatio sit *in similitudinem naturæ*; siue illa similitudo sit specifica; vt cùm equus ab equo producitur, & homo ab homine; vel saltem generica, qualis est generatio muli ab equa, & asino: quam tamen alii dicunt non esse generationem propriam, ex defectu similitudinis specificæ. *Si in tertiam particulam dicatur* quòd gallina incubatu suo generet pullos, quibus non communicat partem suæ substantiæ; & sic videri falsum, quòd generatio fiat à principio viuente coniuncto: *Respondendum* est gallinam, quæ educit

pul-

pullos ex ouis sibi alienis, non esse illorum causam principalem, sed tantùm instrumentalem, per suum calorem videlicet; aues verò illæ, quæ produxerunt oua censeri debent talium pullorum causæ principales: vnde sæpiùs pulli referunt similitudinem auium quæ oua produxerunt.

Dico 5. *generationem non esse successiuam, sed instantaneam*: vt docet Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. & alij communiter Scotistæ docentes contra quosdam in hoc distingui alterationem à generatione; quòd alteratio sit successiua, & generatio fiat in instanti. Ratio nostra sumitur ex Arist. 5. *phy. tex.* 9. vbi dicit substantiam non esse motum, qui *successiuus* est; sed generationis terminus est substantia, quia *est transitus à non esse substantiali ad esse substantiale*: ergo generatio est instantanea. *Deinde* generatio est permanens, & tota habetur simul, ergo non est successiua. *Tandem* si generatio non esset instantanea, eadem *numero* materia informaretur pluribus formis, & vnum indiuiduum participaret diuersas species, essetque multiplex & diuersum, cùm in eodam tempore esset sub forma aquæ & ignis; sed hoc dicere absurdum est: ergo melius est, quòd dicatur generationem fieri in instanti, & in vno momento destrui formam ligni, cui succedit immediatè forma ignis. *Adde quòd* eodem modo ratiocinari debeamus de generatione, sicuti de illuminatione, sed illuminatio fit in instanti, ex Scoto 5. *met. cap.* 7. ergo generatio. *Quòd si Aristotele in postprædic. &* 3. *phys. cap.* 2. *tex.* 6. collocat generationem inter species motus, qui est quid successiuum; & dicat id quod mutatur mutari in tempore: In his locis & similibus loquitur Philosophus de generatione *extensiuè* sumpta, prout inuoluit dispositiones ad illam, quæ successiuè fiunt. *Si vlteriùs dicatur* actionem instantaneam soli Deo competere; vnde Scotus in 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. dicit omnem creaturam agere in tempore. Hoc verùm est de actione instantanea independente à subiecto, vti est creatio; falsum verò de actione instantanea, quæ à materia dependet, qualis est generatio, quæ dependenter à materia fit in instanti. *Si adhuc quis instet*, dicendo omnem generationem non dependere à materia; cum ex speciebus Eucharisticis generentur vermes, & nulla sub illis sit materia. *Respondere* debet tunc vermes non fieri ex speciebus, aut ex nihilo; sed

ex

ex materia, quam Deus de nouo creat ad corruptionem ſpeclerum.

Dico 6. generationem formaliter non conſiſtere in actione productiua formæ, ſed in actione vnitiua illius cum materia. Quòd *generatio non conſiſtat in actione productiua formæ*, ex eo patet quòd poſſit forma longè produci antequam vniatur materiæ, attamen tunc non dicetur facta generatio; ſi v. gr. anima rationalis crearetur antequam fierent corpora, vt aliquando voluit Origines. *Quòd autem generatio ſita ſit in vnitione formæ cum materia*, colligi debet ex veritate præcedenti. In generatione enim duæ tantùm interueniunt actiones, productio ſcilicet formę, & vnitio illius: ſed generatio non conſiſtit præcisè in productione formæ, vt dictum eſt; ergo conſiſtit in vnitione formæ cum materia, ita quòd pro eodem momento, quo forma producta vel educta de potentia ſubiecti coniungitur materiæ, eo ipſo generatio compoſiti efficiatur. Cum autem forma vniatur materiæ in inſtanti, hęc noua ratio confirmat præcedentem veritatem, quòd ſcilicet generatio fiat in inſtanti per ſe; licèt per accidens poſſit aliquando vniri ſucceſſiuè, ratione ſcilicet diuerſarum ſubiecti partium, quarum aliæ diſponuntur ante alias, & proinde recipiunt, formam cum ordine aliquo. *Si dicatur* generationem non conſiſtere in vnitione formæ cum materia, quandoquidem pater dicitur generare filium, qui tamen non eſt in vulua matris, vbi vnitur anima cum corpore. *Reſp.* patrem eſſe in vtero matris, non quidem ſuppoſitaliter, ſed *virtualiter*; quatenus nimirum ſemen à patre transfuſum continet potentiam generandi fœtum, & vniendi animam tum corpore: Non quòd producat actionem, quæ attingat per ſe vnitionem animæ, quæ ſpiritualis eſt, vbi virtus formatrix in ſemine exiſtens eſt materialis, & corporea; ſed quòd producat fœtum ad vltimam diſpoſitionem, qua poſita, Deus animam rationalem tranſfundit.

Dico 7. duplicem eſſe terminum generationis, nempè terminum quo, *& terminum* qui. Terminus *quo* generationis ille eſt qui terminat generationem; non quòd ipſe ſit genitus, ſed quia eſt id per quod *genitum* conſtituitur. Terminus *qui* eſt ille qui terminat generationem, & dicitur ſimpliciter *generari* Exemplum vtriuſque termini afferri poteſt de homine, cuius ſi conſi-

dere-

deretur anima, ea dici debet terminus *quo* generationis humanę; quia scilicet in hoc dicitur terminare generationem, quòd sit id per quod perfectè constituitur homo genitus. Terminus autem *qui* eiusdem generationis humanæ est ipsemet homo, qui propriè, principaliter, & vltimatè dicitur *genitus*, & adæquatè generationem terminare. Ob hoc vltimè dicit Doctor noster *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. terminum *quo* generationis esse formam physicam, terminum verò *qui* & totalem esse ipsum substantiale compositum, ex materia, & forma coalescens. Ratio *primi* est hæc, quòd ille sit terminus *quo*, & formalis generationis, quo mediante constituitur compositum, estque principium illius distinctiuum ab omni alio; sed forma physica est principium constitutiuum, & distinctiuum compositi physici: ergo est terminus *quo*, & formalis generationis physicæ. Ratio secundi est ista, quòd illud debeat censeri terminus *qui*, & totalis generationis, quo posito, intelligitur completa generatio; sed existente composito, existit generatio perfecta: ergo terminus *qui*, & totalis generationis est substantiale compositum ex materia, & forma resultans. *Si dicatur* formam non esse terminum generationis, quia ipsa non generatur; vt inquit Aristoteles. *Resp.* non dici terminum generationis, quasi ipsa generetur; sed quia est id per quod constituitur compositum, quod vltimatè dicitur generari. Hæc nostra assertio est contra Hurtadum dicentem terminum esse vnionem materiæ, & formæ. Est etiam contra Complutenses, qui *disp.* 2. *quæst.* 3. docent terminum *qui*, & vltimum generationis esse suppositum; vnde volunt generationem primò terminari ad formam, tanquam ad terminum *quo*; deinde ad naturam physicam, tanquam ad terminum, *qui* non vltimum; ac denique ad suppositum, tanquam ad terminum *qui* vltimum. Hoc autem rejcit Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 3. *&* *in* 3. *dist.* 4. *quæst.* *vn.* cuius ratio est quod Beata Virgo verè, & propriè dicta sit genuisse Christum, cuius tamen suppositum non generauit.

Dico 8. de corruptione eodem modo loquendum esse, sicut antea diximus de generatione; cùm Aristoteles 1. *top. cap.* 14. dicat *oppositorum eandem esse sententiam*. Sicut ergo prædictum est dari generationem, & hanc substantialem; sic admitti debet substantialis cor-

corruptio: quandoquidem videmus communiter interitus animalium & cæterarum rerum naturalium perniciem. Sicut etiam generatio est mutatio totius in totum, nullo subiecto sensibili remanente eodem; sic etiam corruptio est mutatio substantialis per quam transit ab esse totius substantialis ad non esse eiusdem, non remanente subiecto; licèt remaneat materia, quæ est vna pars subiecti: quæque remanet eadem sub vtroque termino. *Tandem*, sicut generatio diuiditur in generationem viuentium & vitæ expertium, ita per corruptionem desinunt viuentia, quando vita priuantur; & per eandem destruuntur ea quæ vita carent, vt lapides & metalla per ignem. Generatio & corruptio in hoc conueniunt, quòd vtraque fit secundùm formam substantialem; in hoc verò distinguuntur quòd generatio sit transitus à non esse substantiali ad esse substantiale, vbi corruptio est transitus ab esse substantiali ad non esse substantiale. Generatio & corruptio sunt quidem duæ mutationes, quia habent terminos diuersos; cùm illa terminetur ad formam substantialem de nouo acquisitam, ista verò terminetur ad priuationem veteris formę quę deperditur: probabilius tamen est duas illas mutationes fieri vnica actione, cùm per eandem actionem noua forma producatur, & excludatur vetus; sicut eadem actione producuntur cineres, & consumitur lignum, iuxta vulgatum axioma, *generatio vnius est corruptio alterius*. Generatio est quidem naturalis, quia intenditur per se à natura, tanquam bonum vniuersi; corruptio autem non est naturalis, nisi per accidens, non verò per se: natura enim aliter illam intendit, nisi quia necessaria est ad productionem alterius formæ.

Dico 9. hoc axioma commune, quod tradit Aristoteles 1. de generat. cap. 3. tex. 17. *generatio vnius est corruptio alterius*, non potest intelligi formaliter, aut identicè, sed illatiuè tantùm & concomitanter. Non debet, inquam, illa solemnis propositio intelligi formaliter, quia falsum est, quod generatio sit corruptio, vt patet per definitionem vtriusque. Non debet etiam sumi identicè, quia propositio identica est tantùm inter terminos, qui sunt in eodem subiecto, vt inter albedinem & dulcedinem, quæ vniuntur in lacte; sed generatio & corruptio non possunt residere in eodem

sub-

ſubiecto, cùm opponantur, & oppoſita ſeſe inuicem oppugnent: ergo ſupereſt, vt commune illud pronunciatum, *generatio vnius eſt corruptio alterius*, intelligatur illatiuè & concomitanter: quatenus compoſitum ~~de nouo~~ non producitur, niſi corrumpatur præcedens. Vt enim agens producat aliquid, neceſſe eſt quòd priorem expellat formam à materia, & nouam introducat in illam, quoniam duæ formæ non poſſunt eandem numero materiam informare ſimul, ſed expellendo formam fit corruptio, & introducendo aliam fit generatio; ergo concomitanter & illatiuè generatio vnius eſt corruptio alterius. *Si quis dicat* quando animal nutritur, corrumpitur alimentum; ſed ad hanc corruptionem nulla ſequitur generatio: ergo non poteſt dici conſecutiuè, quòd corruptio vnius ſit generatio alterius. *Reſp.* diſtinguendo minorem, ad corruptionem alimenti non ſequitur generatio; completa & perfecta alterius animalis, concedo: incompleta & imperfecta, nego: quando enim alimentum corrumpitur per vim digeſtiuam caloris natiui, tunc ex alimento gignitur ſanguis, & ex ſanguine caro. *Si dicatur vlterius*, ad corruptionem ſpecierum ſacramentalium generari vermes, nullam tamen ſubſtantiam præcedere. *Reſp.* in tali caſu vermes generari, non ex ſubſtantia corrupta, ſed ex noua, quam Deus miraculoſè producit ad corruptionem ſpecierum.

Dico 10. *ad celeberrimam quæſtionem*, quam iam antea leuiter attigimus *ſect.* 3. *de compoſito naturali*, an in corruptione compoſiti fiat reſolutio vſque ad materiam primam; *Alenſem*, *Albertum*, *& Thomiſtas*, *velle*, *quòd in omni corruptione reſolutio fiat vſque ad materiam primam*. Scotus verò *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 3. agnoſcens duo genera compoſitorum, quorum illa habent plures formas ſubſtantiales, vt viuentia quælibet, in quibus reperitur forma corporeitatis, & forma viuentis; iſta verò vnicam formam ſubſtantialem ſortiuntur, vt elementa, quæ ab hoc corpora dicuntur ſimplicia, docet in illis *reſolutionem non fieri vſque ad materiam primam*, benè autem in iſtis. Prima pars probatur, *quod non fiat reſolutio vſque ad materiam primam*, *quando corrumpitur corpus*, *quod habet plures formas ſubſtantiales*, ita quòd ſi corrumperetur formá viuentis in planta, ipſa non reſolueretur vſque ad materiam primam, ſed remaneret adhuc ſub forma corpo-

ris: sic etiamsi occideretur homo, & separaretur ab illo anima rationalis, tunc remaneret forma corporis, quæ eadem *numero* esset, qualis erat ante occisionem. Ratio, inquam, conclusionis est hæc, quòd resolutio non fiat vsque ad materiam primam, si aliqua remanenant in genito, quæ antea fuerant in corrupto, sed in corruptione viuentium aliqua supersunt in genito eorum quæ præextiterant in corrupto: ergo *in habentibus plures formas non fit resolutio vsque ad materiam primam*. Minor negari non potest, cùm forma corporeitatis & formæ accidentales remaneant in materia, postquam forma viuentis desiit; videmus enim idem *numero* corpus, easdem cicatrices, eandem quantitatem, figuram, & similia accidentia, quæ prius fuerant in viuente.

Nec mihi arridet vllo modo responsio D. Thomæ *lib. 1. de generat. lect.* 10. Dicentis in corpore mortuo non esse eadem numero sed specie accidentia, quæ erant in viuo. Frustra enim natura talem accidentium congeriem destrueret, quam illicò deberet restituere. *Deinde* non parùm minuerentur religio & pietas, si hoc verum foret, cur enim tam deuotè deoscularentur Christiani & venerarentur martyris defuncti vulnera, si non esset eadem numero martyris quantitas & cicatrix. *Tandem* in triduo mortis Christi corpus illius erat idem quod natum est ex Virgine, pependit in cruce, & resurrexit: ergo remansit in illo eadem coarceuatio accidentium, sicut & eadem *numero* forma corporeitatis. *Adde quòd* non appareat à quonam contrario destrui possent vetera accidentia, nimirum cicatrices, oculorum figura, sanguinis fluiditas, & ossium durities in homine mortuo, nullumque possit afferri agens, per quod similis naturæ accidentia produci queant. Omne enim accidens producitur à causa efficiente; sed ensis, aqua, aut ignis, quæ sunt sæpissimè causa mortis, non possunt producere accidentia illa, quę in cadauere videmus, quandoquidem gladius non potest producere, fluiditatem in sanguine, calorem in visceribus, aut pallorem in facie: ergo accidentia quæ in cadauere videntur, eadem erant numero in viuente, quoniam non producuntur de nouo: & sic *in corruptione viuentium non fit resolutio vsque ad materiam primam*.

Quoad secundam partem, *in corruptione scilicet*

cor-

poris simplicis fieri resolutionem vsque ad materiam primam; hæc est communis opinio. Illud enim compositum, quod habet tantùm vnam *numero* materiam, & vnam *numero* formam, in eam solummodo resolui potest; sed corpus simplex habet tantùm vnam *numero* materiam, & vnam *numero* formam, ob hoc enim dicitur simplex: ergo quando corrumpitur forma substantialis, corruptum resoluitur in materiam primam, quæ sola est incorruptibilis. *Deinde* si post corruptionem corporis simplicis remaneret aliquid præter materiam primam, vel esset forma substantialis, vel forma accidentalis, quoniam inter vtramque nil mediat; sed forma substantialis non remanet, quandoquidem corrupta supponitur; nec etiam forma accidentalis superest, quoniam accidentalis forma non subiectatur in materia, sed in composito, vt aliàs diximus: ergo in corruptione corporis simplicis fit resolutio vsque ad materiam primam. *Tandem* hæc est mens Aristotelis 8. *met.* sicut & Doctoris nostri ad eundem locum, vbi vterque ait *corruptum vsque ad materiam primam resolui*. Non quòd destructa forma substantiali aquæ, materia illius maneat sine omni forma, vt diximus in fine *disp.* 3. de composito naturali, sed quòd eodem instanti, quo compositum aquæ destruitur, generetur compositum aeris, vel aliquod aliud, in quo recipiuntur postea formæ accidentales.

Si contra priorem partem assertionis obijciatur Aristoteles cap. de substantia dicens *destructis primis substantijs, nihil aliarum remanere*: ergo destructa forma substantiali, resolutionem fieri vsque ad materiam primam in quibuscumque compositis. *Resp.* Philosophum non loqui de forma substantiali, sed de primis & singularibus substantijs, quæ si destruantur non possunt reuerà remanere secundæ: nos verò volumus quòd destructa forma substantiali, remaneat forma corporeitatis & accidentium in compositis plures formas habentibus. *Si ex eodem Aristotele* corruptio dicatur transmutatio totius in totum, nullo sensibili remanente; & proinde nullum accidens persistere in genito, quod antea fuerit in corrupto, consequenterque resolutionem fieri vsque ad materiam primam etiam in viuentibus. *Resp.* corruptionem esse reuerà transmutationem totius in totum, quia compositum de nouo genitum non est idem quod antea fuit corruptum, sed

diuersum ab illo; ante corruptionem enim illud compositum erat viuens, & post corruptionem est tantùm corpus, quod amisit formam viuentis, hoc non impedit tamen, quin corrupta forma viuentis remaneat forma corporis; sed non est ampliùs idem compositum, quod erat antea. *Si dicatur ex eo sequi* quòd compositum illud non esset *vnum per se*, si in illo essent plures formæ, quarum vna destrueretur per corruptionem, & alia remaneret; quia scilicet talis secunda forma adueniret enti in actu, quod facit ens per accidens; *Resp.* negando consequentiam. Ex pluribus enim formis subordinatis non resultat ens per accidens, sed tantùm ex formis disparatis & perfectis. *Si denique afferatur ex Aristotele*, quòd corruptis nobis corrumpantur omnia quæ sunt in nobis: hoc verum foret, si totaliter destrueremur; in proposito autem non destruitur totaliter compositum, sed tantùm vna forma compositi; & sic nil mirum, si dicamus aliam formã corporeitatis remanere, & proinde corpus, quod est compositum adhuc, in quo subiectantur accidentia.

QVÆSTIO II.

Quid dicendum sit de Augmentatione & Diminutione.

CVm motus in sua generica consideratione detur ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi, vnde Aristoteles in postprædic. & 3. *phys. cap.* 3. *tex.* 6. dicit sex esse species motuum, quorum duo primi pertinentes ad substãtiam, sunt generatio & corruptio; duo sequentes sunt accretio & decretio, quæ pertinent ad quantitatem, quintus est alteratio ad qualitatem pertinens: & sextus est motus localis: qui respicit prædicamentum *vbi*: ideo postquam loquuti fuimus in antecedenti quæstione de motu generationis & corruptionis, nunc agendum venit de augmentatione & diminutione in præsenti, & de isto sequentes referentur assertiones.

Dico 1. *quòd augmentatio in communi nihil aliud sit, quàm motus, seu mutatio à minori quantitate ad maiorem: sicut diminutio est mutatio à maiori quantitate ad minorem.* Augmentationis nomen sumitur latissimè, latè, & propriè. Augmentatio *latissimè* sumpta im-

importat quemcumque motum accretionis, siue illud augmentum fiat in quantitate *virtutis*, siue efficiatur in quantitate *molis*. Augmentatio *latè* considerata importat augmentum quantitatis corporeæ, siue fiat per iuxtapositionem, quo sensu lapides crescunt in visceribus terræ, siue fiat per intus positionem, qualiter viuentia augeri videntur per sumptionem alimenti. Augmentatio *propriè* vsurpata significat acquisitionem maioris quantitatis corporeæ per intus susceptionem, seu per sumptionem alimenti, quod in substantiam aliti conuertitur: & de augmentatione hoc modo attenta specialiter agunt physici, de ipsa dicentes quòd sit mutatio à minori quantitate ad maiorem vitaliter facta.

Dico 2. in viuentibus dari potentiam augmentatiuam, & qua viuens ex alimento potest sibi maiorem quantitatem acquirere, & augmentationem actualem, seu acquisitionem maioris quantitatis. Viuens enim à principio natiuitatis suæ non sortitur magnitudinem sufficientem ad opera vitæ exercenda, cùm gignatur ex semine, quod in quantitate modica à viuente decidit, vnde necessarium est, vt successu temporis viuens genitum nouam, maiorem que sibi procuret quantitatem, adijciendo videlicet materiam alimenti propriç materiæ, & ob hoc diximus in viuentibus dari potentiam augmentatiuam, & augmentationem actualem, quæ est actio animæ vegetantis mediante facultate augmentatiua & calore naturali.

Dico 3. augmentationem *extensiuè* sumptam sic posse definiri per quatuor causarum genera. *Augmentatio est motus vitalis, ab anima vegetante ortus, beneficio facultatis augmentatiuæ & caloris natiui, per quem idem numero viuens suscepto intus & digesto alimento à minori quantitate ad maiorem promouetur; vt opera sua natura consentanea elicere valeat.* Res quæ augetur, est *viuens*. Motus quo augetur, dicitur *accretio illa*. Causa efficiens principalis est *anima vegetans*, Instrumentalis verò est *augmentatiua facultas & calor natiuus*. Causa materialis ex qua fit augmentatio est *alimentum*, quod intus suscipitur ab extrinseco. Causa formalis est *ipsa augmentationis essentia*, in hoc consistens, quòd *sit motus vitalis*. Causa denique finalis est *productio operum naturæ viuentis consentaneorum*. Hæc omnia indicant quòd præallata defini-

tio iure dici queat *causalis*, quia importat quatuor genera causarum: *Quòd autem motus ille augmentationis, debeat dici successiuus* colligitur euidenter ex Aristotele qui 1. *de generat. cap.* 5. definit accretionem motum, ad quantitatem; motus autem communiter est *successiuus*, vnde philosophi generationem potiùs vocant mutationem, quam motum, quia fit *in instanti*, non sic autem accretio, cùm alimentum secundùm omnes suas partes non æquè primò disponatur ad suscipiendam viuentis formam, sed successiuè; quidquid dicant Albertus, Toletus, & quidam alij. *Si ab aliquibus dicatur* augmentationem fieri *in instanti*; hoc debet intelligi de augmentatione prout confunditur cum nutritione; vnde quia nutritio sumpta *formaliter* pro conuersione præcisa substantiæ in substantiam, fit *in instanti*; sic etiam augmentatio pro nutritione sumpta, posset dici *instantanea*: licèt vtræque sint potiùs *successiua*, quia tum nutritio, cum augmentatio fiunt per partes alimenti.

Dico 4. *In multis dissidere augmentationem à nutritione, licèt in hoc conueniant, quod vtraque versetur circa idem subiectum, nempè circa viuens, & circa eandem materiam, videlicet circa alimentum*. Differunt, inquam *primò* quòd augmentatio superaddat, plus acquirendo quàm sit deperditum, & augendo proinde membra viuentis, nutritio verò est tantùm reparatiua eius quod consumptum est per actionem caloris naturalis. 2. Augmentatio præcipuè auget in longum, vnde animal non censetur crescere, dum impinguatur, sed solùm quando extenditur & maiorem acquirit staturam: nutritio enim de communi æqualiter nutrit omnia membra secundùm omnem dimensionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis. 3. Augmentatio certis vitæ temporibus definitur, quia ad illam calor naturalis fortior requiritur, vnde quia nonnisi iuuenes vigorosum habent calorem natiuum, ideo in senectute non fit augmentatio, licèt in quibusdam viuentibus semper augmentatio durare credatur à Naturalistis, qui dicunt crocodilum, balænas, & plures pisces cetosos augeri quandiu viuunt: nutritio verò semper durat, quia ad illam sufficit calor naturalis languidior. An autem viuentia & res aliæ naturales habeant terminum suæ magnitudinis & paruitatis dictum est in fine capitis de Quantitate. 4. Augmentatio est motus ad quantitatem, quam

pro

pro suo termino habet; nutritio verò est motus ad substantiam, quandoquidem nutritio est mutatio substantiæ alimenti in substantiam aliti: vnde non immeritò dici posset quòd nutritio sit instantanea, quatenus scilicet sumitur pro conuersione substantiæ in substantiam; vbi augmentatio intelligi debet *successiue*, quia consistit in additione quantitatis ad quantitatem, quæ fit per partes. Ob istas rationes contendit Doctor noster *in 4. dist.* 14. nutritionem distingui ab augmentatione.

Dico 5. *Non mediocrem esse controuersiam inter Doctorum præcipuos, an idem perseueret indiuiduum à principio sui ortus, vsque ad finem vitæ.* Magister enim sententiarum affirmat idem indiuiduum, quòd continuò nutritur, perseuerare à principio suæ natiuitatis vsque ad vltimam ipsius periodum; quia idem calor naturalis, idem humidum radicale, & eædem partes primigeniæ seu à parentibus acceptæ persistunt. Doctor Angelicus existimat idem indiuiduum remanere; quia licèt partes illius per actionem & reactionem caloris natiui & humidi radicalis dilabantur secundùm materiam, perdurant tamen secundùm formam. Doctor verò Subtilis *in 4. dist.* 44. *quæst.* 1. docet idem indiuiduum viuens secundùm totum permanere à principio ortus sui vsque ad obitum, licèt partes illius non semper eædem maneant, & mutentur secundùm materiam & formam substantialem earum. Ratio nostra est quia sicut ciuitas dicitur semper eadem, quamuis nonnulli semper nascantur & moriantur alij, sic etiam idem indiuiduum viuens debet dici semper manere, licèt partes illius semper fluant & absumantur. Quando enim vna pars materiæ primigeniæ cum sua forma substantiali corrumpitur, & loco istius substituitur alia per nutritionem, tunc ista identificatur cum toto quod remanserat & facit vnum cum illo. Quando postea alia pars absumitur, noua sufficitur illi, quæ facit adhuc idem cum toto, & sic deinceps quæcumque fiat consumptio particularum materiæ, totum est semper idem: ergo licèt partes indiuidui secundùm materiam & formam corrumpantur, semper illud indiuiduum viuens manet idem secundùm materiam & formam; & ob hoc de elementis dicitur quòd sint generabilia & corruptibilia secundùm partes, licèt sint ingenerabilia & incorruptibilia secundùm se tota; quod idem dici debet de quolibet viuente, quòd sit corruptibile secundùm

partes quæ continuò fluunt, licèt dicatur incorruptum secundùm se totum.

Nec dici debet, supposito quòd fluant partes viuentis, tunc non esse idem indiuiduum per realitatem, sed tantùm per æquiualentiam, sicuti aliàs diximus, turrim in fluuio constructam remanere in eodem loco per æquiualentiam, quia partes fluuij partibus fluuij succedunt. Volumus enim quòd sit idem indiuiduum per realitatem, sicut arbor dicitur esse eadem realiter, quamuis eius partes abscindantur; & idem numero flumen, licèt partes eius fluant continuò. *Ad comparationem* autem *allatam*, in hoc consistit disparitas, quòd partes fluuij, quem diximus esse locum turris in illo ædificatæ, omnes recedant simul: partes verò indiuidui viuentis non nisi successiuè abscedunt: & quando abit vna, succedit alia, quæ identificatur cum toto; & sic reuerà idem censetur persistere indiuiduum per realitatem, etiamsi partes viuentis exiguæ dispereant; sicut idem homo perseuerat, cui capilli & vngues præscinderentur. *Siquis dicat*, nihil remanere de materia primigenia, quam secum attulit viuens nascendo; proindeque ipsum non remanere idem. *Resp.* nihil ampliùs reuerà superesse de illa materia, quam nascens attulit; attamen ipsam quam habet in interitu eandem censeri debere, quia per particulas exiles vnita est cum toto corpore remanente: & sic semper fecit vnam & eandem numero materiam cum illo, & eandem numero formam substantialem cum primigenia.

Dico 6. quia quantitas videtur augmentari per rarefactionem, vt minui per condensationem, quæ sunt qualitates quantitati propriæ, vt distinctiùs innotescant augmentatio & diminutio: *quod sciri conueniat, quid per rarefactionem & condensationem intelligatur*. Cum autem Aristoteles 7. Phys. text. 21. dicat *rarum esse id, quod habet parum de materia*, seu de quantitate, *sub amplioribus dimensionibus*; & è contrà *densum esse id, quod habet multùm de materia sub angustioribus dimensionibus*; proinde *rarefactio potest in abstracto* sic definiri, *motus à minori quantitate ad maiorem per dilatationem & laxationem partium rei quantæ*. *Condensatio* verò est *motus à maiori quantitate ad minorem per compressionem partium rei quantitatem habentis*.

Quòd *dentur rarefactio & condensatio*, demonstratur com-

communi experientia. Ideo enim dolium frangitur aliquando, quia mustum intus contentum, dum calefit, maiorem extensionem habere postulat; puluis tormentarius igne accensus longe ampliorem appetit locum, lac in lebete ebulliens vas supergreditur, ouaque & castaneæ apposita igni magno impetu sæpiùs rumpuntur, quia cùm hæc corpora secundùm partem superiorem sint densa & dura, id quod intus est rarescit, maioremque locum quærit, vnde pellis frangitur cum fragore: quæ omnia manifestè denotant dari rarefactionem in corporibus. *Quòd detur etiam condensatio*, ex hoc patet quòd aqua congelata minus spatium occupet, quàm ante. Si etiam vas aliquod sit plenum aere calidissimo & orificium eius deorsum immergatur aquæ frigidæ, breui tempore aqua ascendet, non alia de causa, nisi quia aer ille propter calorem rarissimus implebat totum vas, postea verò condensatus ex frigore minorem locum occupat: quòd denotat manifestè dari condensationem.

Possibilitatem condensationis & rarefactionis postulabat bonum & commoditas vniuersi, vt eadem materię portio nunc diffunderetur in maius spatium, nunc colligeretur in angustius, & quantitas esset huius genij, vt posset suscipere varias dispositiones ac modificationes; quibus modò fieret explicatior, modò contractior. Si enim omnia corpora essent exactè tenacia suæ extensionis, fieri non posset, vt vnum colligeret se in breuiori spatio ad concedendum alteri copiam loci localis: vnde vt facilitaretur talis motus, quædam corpora creata suæ figuræ ac vnionis suarum partium minimè tenacia, & sese in omnem modum vertentia ratione fluibilitatis. Talis est aer præ cæteris, quem experimento constat facilè comprimi, rursusque diffundi, vt sine vacuo motus fiat, quatenus scilicet pro necessitate aer nunc se colligit ad præstandum homini transeunti copiam, nunc se explicat & diffundit ad occupandum loca, quæ homo ille reliquisset vacua, post transitum suum.

Difficultas explicanda remanet, *quomodo fiant condensatio & rarefactio*, non tantùm ea quæ fit ab extrinseco, quando scilicet corpus aliquod spissum extenditur in latum, vel diffunditur in longum: aut ex corpore longo vel lato efficitur aliud corpus contractum & spissum, tunc enim illæ rarefactio & con-

densatio fiunt per actionem externam manus aut instrumenti, quod extendit aut contrahit corpus, & quantitatem illius diuersificat; sed *maxima difficultas*, quæ dissidium parit inter philosophus, *est de rarefactione & condensatione, quæ prouenit ab intrinseco*, vtpotè quando lac ebulliens extremitates lebetis supergreditur; & farinæ quantitas augetur multùm ex fermento. Godfredus existimauit rarefactionem fieri per deperditionem antiquæ quantitatis & acquisitionem nouæ maioris; condensationem verò per deperditionem totius quantitatis maioris & acquisitionem nouæ minoris. Alij voluerunt rarefactionem fieri per aduentum nouæ quantitatis; absque nouo aliquo subiecto cui inhæreret talis noua quantitas; & condensationem fieri per deperditionem alicuius partis quantitatis habitæ manente altera, hanc opinionem proponit Scotus in 4. *dist.* 12. *quæst.* 4. quam tamen non amplectitur. Alij denique docent raritatem fieri per additionem nouæ quantitatis cum nouo subiecto: quatenus scilicet per rarefactionem aperiuntur pori corporis quod rarefit, in quos poros intromittuntur quædam corpuscula vt vacuum impediatur: condensationem verò fieri per talium corpusculorum eiectionem. Quæ sit nostra resolutio mox aperietur.

Probabilius est rarefactionem fieri per intromissa corpuscula intra poros corporis rarefientis: & condensationem effici per eiectionem talium corpusculorum ex poris corporis rarefacti, qui comprimuntur & ad pristinam situationem redeunt, quando abscedit virtus rarefaciens, quæ communiùs ex calore oritur. Hæc conclusio non est expressè Scoti, qui suam mentem positiuè non exprimit, exponendo diuersas authorum sententias; sed magis accedit ad suæ doctrinæ principia: vnde è nostris eam amplectuntur doctissimi Poncius & Frassennus. Quod, inquam, à nostra assertione non discedat Scotus, colligitur ex hoc, quòd *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 4. expressè dicat: in quacumque opinione circa rarefactionem, ponendam esse nouam quantitatem; sed non potest aduenire noua quantitas, quin ipsa inhæreat alicui subiecto, aliàs non esset ens alteri inhærens, sed subsistens per se: ergo si rarefactio fiat per additionem nouæ quantitatis, vt supponit Scotus; debet fieri per additionem nouorum corpusculorum, quibus adhæreat illa noua quantitas. Nec debet dici, quòd quan-

titas illa superueniens in rarefactione inhæreat subiecto prioris quantitatis: quia duo accidentia absoluta eiusdem generis nequeunt esse in eodem subiecto: aliàs fieret naturaliter penetratio dimensionum, quandoquidem vna quantitas existens in eodem subiecto vbi existeret alia, existeret proinde in eodem loco: ergo ex hoc quòd Scotus doceat in rarefactione acquiri nouam partem quantitatis, ritè concluditur quòd debeat addi nouum corpus, cui illa quantitas insideat.

Confirmatur præcedens veritas per refutationem aliarum opinionum; si enim rarefactio non fiat per deperditionem antiquæ quãtitatis & acquisitionem nouæ, nec per additionem partis cuiusdam quantitatiuæ sine subiecto, bene sequitur quòd fiat per introductionem corpusculorum. *Quòd autem rarefactio non fiat per deperditionem prioris quantitatis*, probatur ex hoc, quòd per rarefactionem non pereant priora accidentia corporis rarefacti, cùm species vini consecrati in Eucharistia, si rarefierent appositæ super ignem, retinerent suam dulcedinem, saporem & odorem: ergo non perit etiam quantitas, quæ est illorum subiectum. *Quod etiam rarefactio non fiat per additionem nouæ quantitatis sine subiecto quod de nouo superaddatur*, iam probatum est; quia scilicet illa quantitas noua, quæ non inhæreret subiecto, esset ens per se subsistens; quod est absurdum dicere. *Deinde*, si per rarefactionem produceretur noua quantitas, aliquando talis quantitas crearetur ab agente naturali, si videlicet hostia consecrata rarefieret per calorem; in tali enim casu noua quantitas produceretur, non ex materia, quæ nulla est: ergo ex nihilo; & sic diceretur creari. *Tandem* si per rarefactionem specierum Eucharistiæ produceretur noua quantitas, vel corpus Christi esset in ea, vel non esset; *primum* dici nequit, quia corpus Christi est tantùm sub ea quantitate, sub qua fuit substantia panis; sed substantia panis non fuit antea sub hac noua quantitate: ergo nec corpus Christi erit sub illa. *Aliud* etiam dici non potest, quòd Christi corpus non sit sub quantitate superaddita per rarefactionem; quia Christi corpus debet esse sub ea omni quantitate, sub qua esset substantia panis si adesset: at si adesset substantia panis esset sub illa quantitate: ergo & Christi corpus deberet esse sub illa. Remanet ergo veritas tertiæ opinionis, *quòd rarefactio fiat per intromissa cor-*

diuersificatur quidem dispositio cerę, sed quantitas illius non augetur: cùm non possit acquiri quantitas de nouo, nisi addatur subiectum cui inhæreat; in tali autem casu non acquiritur noua pars ceræ. *Resp.* 2. per rarefactionem ab intrinseco acquiri aliquam partem quantitatis, non quæ sit sine subiecto, aut quæ resideat in subiecto præcedenti, vt probatum est; sed quę inhæreat corpusculis illis nouis quę subintrant poros corporis rarefacti, qui dilatantur. *Dices* posse probari, quòd rarefactio non fiat per corpusculorum introductionem; quatenus scilicet si daretur vas aqua plenum fortiter obturatum; in quo congelaretur aqua, frangeretur illud vas ad impediendum vacuum; sed si condensatio fieret per egressum corpusculorum, non esset periculum vacui, quoniam locus derelictus ab aqua condensata occuparetur à corpusculis illis ab ea egredientibus: ergo signum est, quòd condensatio non fiat per eiectionem corpuscolorum, nec rarefactio per illorum introductionem. *Resp.* posse quidem vas illud frangi ad congelationem aquæ, sed non rumperetur ob metum vacui; quia tunc corpuscula illa egrederentur ad illud implendum: sed ideo frangeretur vas, quia magnum frigus comprimeret partes vasis, quod proinde frangi deberet.

QVÆSTIO III.

Quid dicendum sit de Alteratione.

SIcut qualitas in ordine prædicamentali sequitur quantitatem, sic motus qui terminatur ad qualitatem debet sequi ad illum qui ad quantitatem terminatur, & ideo postquam in præcedenti quæstione diximus de augmentatione & diminutione, quæ sunt motus ad quantitatem, in hac differere debemus de *alteratione*, quæ est motus ad qualitatem: & hoc fiet per assertiones sequentes.

Dico 3. *quòd alteratio ex vocabulo nihil aliud sit, quam rei altera ratio, seu motus per quem res habet quod sit altera accidentaliter*, vnde Porphyrius in *Isagoge cap. de differentia* docet differentiam accidentalem facere subiectum alterum, & essentialem facere subiectum allud. *Alteratio* sumitur tripliciter, latissimè nimirum,

rum, latè, & strictè seu ad propositum nostrum. *Latissimè* sumitur alteratio pro quocumque motu successiuo aut instantaneo, qui subiectum alterat & immutat accidentaliter, quo sensu elementa dicuntur alterari, dum cœlesti luce perfunduntur: pariterque alterari dicitur homo, dum species obiectorum recipit, aut suas elicit operationes; sic Aristoteles 8.*phys. tex.* 26. *Latè* accipitur alteratio pro sola mutatione & tendentia successiua ad qualitatem spiritualem aut corpoream; & hoc sensu qui crescit de virtute in virtutem, *alterari* dicitur; seu fieri alter, acquirendo vel deperdendo gradum aliquem virtutis. *Strictè* intelligitur alteratio prò solo motu & tendentia successiua ad qualitatem sensibilem, quæ ad generationem conducit.

Dico 1. Supposita existentia alterationis, quam nemo reuocare potest in dubium, cùm experientia sensibilis doceat, rem vulgò fieri calidam & frigidam, proindeque alterari; quod nihil aliud sit quàm *motus ad qualitates contrarias aut medias, eodem subiecto sensibili remanente*: vt eam definit Aristoteles 1. de *generat. cap.* 4. Quod etiam confirmat Doctor noster 9. *met. quæst.* 14. Dicitur 1. *motus*, & hæc particula tenet locum generis, in quo alteratio conuenit cum alijs motibus. Dicitur 2. motus *ad qualitates*, vt distinguatur ab alijs mutationibus, nimirum à generatione, quæ est motus ad substantiam; ab augumentatione & diminutione, quæ sunt motus ad quantitatem; & ab vbicatione, quæ est motus ad locum. Dicitur 3. motus ad qualitates *contrarias*, & per hanc particulam alterationes perfectiuæ, qua non supponunt expulsionem contrarij positiui, non sunt propriè alterationes; vt illuminatio, volitio, & intellectio. Non enim necesse est, vt qui sit volens priùs fuerit nolens, nec qui sit temperans prius fuerit intemperans; sed definitur tantùm hìc alteratio corruptiua, tendens ad generationem & corruptionem; vt frigefactio, calefactio, & similes. Dicitur 4. ad qualitates contrarias, *vel medias*, vt denotetur alterationem non semper esse inter qualitates extremas, sed etiam reperiri inter qualitates medias; vtpotè si paries fieret non de nigro albus, sed albus de cæruleo. Subditur denique *eodem subiecto sensibili remanente*, & per hoc distinguitur vlteriùs à generatione & corruptione, in quibus nō remanet idem compositum, sed nouum accedit recedente veteri.

Dico

Dico 3. alterationem diuidi in impropriam & propriam. Illa fit ad qualitatem non habentem contrarium, qualis est illuminatio corporis, cui tenebræ non opponuntur contrariè & positiuè. Ista verò fit ad qualitates, quæ contrariam qualitatem expellunt à subiecto, vt cùm aqua de frigida efficitur calida. Alteratio propria diuiditur in perfectiuam & corruptiuam. *Perfectiua* ea est, per quam subiectum tendit ad qualitatem quæ ipsum perficit; vt cùm aqua calida ad frigiditatem naturalem mouetur & transit. Corruptiua est illa, per quam res transit à qualitate sibi conueniente ad eam quæ est contranaturalis: vtpotè si aqua de frigida efficeretur calida. Alteratio perfectiua & corruptiua potest esse vel ad qualitatem simpliciter: vt si substantia denudata accidentibus illa reciperet de nouo, vel ea deperderet quę antea habuerit: vel ad intensionem aut remissionem qualitatis, dum scilicet subiectùm transiret à minori qualitate ad maiorem, vel è contra: terminus enim alterationis est ipsa qualitas, quę acquiritur aut deperditur, vel saltem augetur aut remittitur. In rigore tamen sermonis, quando subiectum non habens qualitatem vllam, eam postea recipit, non censetur propriè alterari; quia alteratio strictè sumpta est motus à qualitate ad qualitatem. Idem dicendum est, si subiectum habens qualitates eas omnes deperdat, tunc enim non mouetur de qualitate in qualitatem, sed in non qualitatem.

Dico 4. alterationem propriè & strictè sumptam dari tantùm ad qualitates tertiæ speciei, nempè ad patibiles qualitates; quales sunt calor, frigus, & cæterę. *Primò enim* non datur alteratio ad qualitates primę speciei, quę sunt habitus & dispositio; nam alteratio est motus, habitus verò & dispositio non acquiruntur per motum, qui continuus debet esse; sed per multos actus, qui simul sumpti non sunt quid continuum, sed quid discretum. *Secundò* alteratio non tendit ad qualitates secundę speciei, quę sunt naturales potentię; tales enim facultates non producuntur successiuè, sed in instanti dimanant à suis subiectis. *Tertiò* alteratio non datur ad qualitates quartę speciei, quæ sunt forma & figura; nam istæ qualitates sequuntur quantitatem, cuius sunt termini ab ea indistincti realiter: alteratio verò sequitur qualitatem: & proinde non datur alteratio ad qualitatem quartæ speciei. Remanet

ergo

ergo quòd alteratio propriè sumpta sit ad qualitates tertiæ speciei; Non quidem ad omnes, sed tantùm ad illas, quæ fiunt cum expulsione contrarii; vnde dicitur communiter, *quòd illuminatio non sit alteratio propria*; quia non supponit contrarium positiuum in subiecto, quod debeat expellere, vt introducat lumen successiuè, quod tamen requiritur ad alterationem strictè sumptam, quæ debet esse motus successiuus: per quod distinguitur à generatione, quæ est instantanea. Assertio præcedens est Philosophi 7. *Phys.cap.* 3. Quòd si ipse definiens alterationem exemplificatus fuerat de sanitate & ægritudine, quæ sunt qualitates primæ speciei: tales dicuntur pertinere ad alterationem per accidens, quia scilicet procedunt ex qualitatibus tertiæ speciei, quatenus scilicet ex alteratione calidi & frigidi sanus fit æger.

Dico 5. posse afferri tres species alterationis, nimirum alterationem simpliciter dictam, intensionem, & remissionem. Alteratio enim est motus ad qualitatem: sed tripliciter aliquid secundùm qualitatem moueri potest: ergo potest dici quòd triplex sit alterationis species. Minor ex eo patet, quòd subiectum moueatur de vna qualitate simpliciter ad aliam, vt de frigore ad calorem; & hæc dicitur *alteratio specialiter*: vel proficit in eadem qualitate, vt quando ex minùs calido fit magis calidum; & hæc dicitur *intensio*: vel demum deficit in eadem qualitate, vt quando corpus aliquod ex magis calido fit minùs calidum; & hæc alterationis species nuncupatur *remissio*. Sicut enim subiectum potest transire de vna qualitate ad aliam, in quo consistit alteratio specialiter dicta; sic etiam qualitas habet quamdam latitudinem intra essentiæ suæ terminos, quam decurrere potest modò accedendo ad suæ perfectionis culmen; & tunc hæc alteratio vocatur *intensio*, seu motus à statu imperfectiori ad perfectiorem: modò deficiendo ab illo, & tunc est *remissio*, seu motus à statu perfectiori ad imperfectiorem. Quomodo autem fiant intensio & remissio, dicetur postea.

Dico 6. alterationem esse motum successiuum, vt innuit Scotus 6. *Phys. quæst.* 6. post Aristotelem 5. *Phys. tex.* 39. vbi docet motum esse continuum; & antea præmiserat *tex.* 18. *eiusdem libri* alterationem esse vnam ex speciebus motus propriè dicti: ex quo euidenter colligendum est alterationem esse successiuam. *Deinde*

com-

communiter dicunt philosophi generationem in hoc differre ab alteratione, quòd generatio fiat in *instanti*, & alteratio in *tempore*; sed mensuratum debet respondere mensuræ: ergo cùm aleratio mensuraretur tempore, quod est continuum, proinde alteratio reputari debet motus continuus: *Tandem* motus ille est successiuus, quando inuenit resistentiam in passo, cùm Aristoteles 4. *Phys. text.* 71. doceat successionem motus oriri ex passi resistentia; sed causa alterans plerumque inuenit resistentiam in passo, quod impedire nititur, ne forma sibi repugnans introducatur: ergo alteratio est motus successiuus, cùm videamus aquam calefacientem non *primo instanti*, sed *successiuè* summum assequi calorem gradatim. Quòd si Philosophus 8. *Phys. text.* 23. reprobet eos qui tenent alterationem fieri continuò: ibi arguit tantùm Heraclitum dicentem alterationem semper fieri, & nunquam desistere, omniaque esse in continuo, & perenni fluxu, aquamque ver. gr. semper calefieri, & nunquam obtinere terminum caloris; quod tolerare non poterat Philosophus.

Dico 7. *alterationem esse motum continuum*: quidquid reclament Ægidius, Soncinnas, & Ferrariensis, existimantes alterationem effici per quasdam morulas, & instantia discreta; ita quòd ignis calefaciens lignum producat primum gradum caloris, & paululum quiescat deinde post exiguam quietem causet secundum caloris gradum; & sic deinceps alios gradus, donec vltimus attingatur. Sic cum omnibus ferè Scotus *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 3 quem præcessit Aristoteles 5. *Phys. text.* 18. vbi dicit alterationem esse vnam ex speciebus motus propriè dicti, & *tex.* 39. *eiusdem libri* ait omnem motum esse continuum: ex quo colligi debet alterationem esse motum continuum. *Deinde*, ex Aug. lib. 83. qq. quæst. 9. *cùm capilli crescunt, sine vlla intermissione fit*: ergo à pari, cùm aqua calefit ab igne, motus ille alterationis est continuus, & non interruptus; licèt aliquando ignis, qui cœpit calefacere lignum, desistat à sua calefactione, si contrarium fortius ipsi obsistat; quia tamen remoto impedimento, perseueraret calefactio præcedens naturaliter, proinde dicitur quòd alteratio sit motus continuus. *Tandem* si darentur morulæ seu instantia quædam quietis, quando ignis calefacit aquam, in tali quiete ignis non ageret in subiectum

sibi

sibi applicatum, quod sustineri nequit: ergo admitti debet alterationem esse motum continuum. *Dices* si subiectum non quiescat paulisper, quando ignis calefacit aquam, in quolibet instanti producitur nouus gradus caloris, & cùm instantia temporis sint infinita, infiniti producuntur gradus caloris: proindeque dabitur infinitum actu, quòd aliàs reiicimus. *Resp.* quòd possunt reuerà produci infiniti gradus caloris, *syncategorematicè*, licèt gradus infiniti categorematicè produci nequeant; sicut nec sunt infinita actu, & *categorematicè* instantia in tempore.

Dico 8. qualitates habere terminos suæ intensionis, sicut quantitates habent terminos suæ extensionis; vt probauimus cap. de Infinito. Loquimur enim de qualitatibus, quæ producuntur ab agente naturali; sed agens naturale est limitatæ actiuitatis: ergo infinitam qualitatem producere non potest. Adde quòd talis qualitas reciperetur in aliquo subiecto; sed nullum est subiectum naturale receptiuum qualitatis infinitæ: ergo omnes qualitates habent terminos suę intensionis. Hoc intelligi debet nedum de qualitatibus naturalibus, sed etiam de supernaturalibus; cùm Scotus doceat *in 2. dist. 13. quæst. 2.* gratiam collatam animæ Christi fuisse quidem summam, sed non infinitam; vt *cap. præcit.* probauimus. Imò ne per potentiam quidem diuinam produci potest qualitas infinita; vt ibidem habetur. Cùm autem qualitates habeant gradus determinatos, communiter philosophi intensionem qualitatis cuiuslibet reducunt ad octo gradus; ita quòd vltra octauum gradum qualitas augeri non intelligatur; licèt reuerà multò plures etiam sensibiliter discerni possent, & dari viginti aquę, quarum vna percipiatur calidior alterà.

Dico 9. qualitatem esse formam intensibilem, & remissibilem ex Scoto 8. *met. quæst.* 8. post. Arist. qui *lib. de Prædicam. cap. de qualitate* docet proprium qualitatis esse *quod suscipiat magis, & minus*. Videmus enim aerem lucidiorem, & parietem albiorem; tactu sentimus aquam calidiorem, & niuem frigidiorem; audimus cantum suauiorem, & experimur hominem doctiorem; quæ omnia euidenter demonstrant, qualitatem esse intensibilem, & remissibilem: fieri enim nequit, vt aliqua forma à multis participetur sub multiplici variatione graduum, nisi *suscipiat magis, & minùs*; sed habere graduum

duum pluralitatem nihil aliud eſt, quàm poſſe *intendi & remitti*: ergo qualitas eſt intenſibilis, & remiſſibilis, tum intenſiuè, tum extenſiuè. Accretio *extenſiua* ea eſt qua extenditur qualitas per partes ſubiecti cui inhæret; vt cùm calor diffunditur ad calefaciendas omnes partes ligni. Accretio *intenſiua* eſt illa qua qualitas maratur, & intenditur per nouorum graduum ſuſceptionem; vt ſi calor habens quatuor gradus quintum recipiat, tunc dicitur *intendi:* ſi verò à calore quatuor graduum dematur vnus, tunc dicitur *remitti*. Quando tamen dicimus *qualitatem eſſe intenſibilem*; hoc intelligi non debet de partibus eſſentialibus, & ſpecificis, quæ cum conſiſtant in *indiuiſibili* non poſſunt ſuſcipere *magis*, & *minùs*; ſed debet intelligi de partibus materialibus, & indiuidualibus, quæ ſunt capaces extenſionis & remiſſionis: vnde licèt vna albedo non ſit magis albedo, quàm alia: eſt tamen maior albedo. Porro multiplicatio graduum non facit vnum per accidens, ſed vnum per ſe homogeneum ex partibus ſimilaribus coaleſcens; ſicuti ex partibus heterogeneis conſtituitur vnum per ſe heterogeneum, vnum corpus videlicet conflatum ex capite, collo, pedibus, & manibus.

Dico 10. *quatuor eſſe philoſophorum ſententias de modo quo fit intenſio qualitatis*. Durandus enim cum alijs quibuſdam ait qualitatis intenſionem effici per corruptionem præexiſtentis, & ſubſequentis productionem, ita quòd ſi albedo fuerit intenſa vt quatuor, & accedat quintus gradus, quo reddatur intenſa vt quinque, tunc intenſio vt quatuor deperdatur, & producatur de nouo intenſio vt quinque; proportione ſeruata idem ſuſtinet de remiſſione, quòd ſcilicet qualitas imperfectior corrumpatur, & producatur perfectior. Ægidius exiſtimat qualitates intendi per remotionem contrarij, ſeu per depurationem ab illo; ita quòd ſicut aurum perficitur, cùm depuatur à fœcibus, ſic intendatur calor per depurationem à frigore. Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 24. *art.* 5. cum ſuis arbitratur intenſionem, & remiſſionem qualitatis fieri per maiorem, & minorem radicationem in ſubiecto; ita vt qualitas ſit intenſior, quæ perfectiùs afficit ſubiectum; & remiſſior, quæ imperfectiùs à ſubiecto participatur: vnde opuſc. 48. tract. 2. cap. 4. ait *non eſt intelligendum, quòd cum forma intenditur, augeatur, per additionem gradus ad gradum, ita quod ſint ibi duo gradus diſtincti, quorum vnus ad-*

datur alteri, & possit ab illo distinctè signari; sed fit tale augmentum, in quantùm forma imperfecta fit perfecta; ita quod ipsa perfecta plùs habet quàm prius, non secundùm partes diuersas, sed virtute. Alij deuique, & communiùs cum Doctore nostro *in 2. dist. 17. quæst. 3.* Alensi, sancto Bonauentura, Ochamo, & aliis, docent, intensionem formæ accidentalis fieri per additionem gradus ad gradum in eadem parte subiecti. Tres priores sententiæ nobis refutandæ sunt, vt quarta firmiùs stabiliatur.

Dico 11. qualitates non intendi per destructionem veteris imperfectæ, & substitutionem nouæ perfectioris. Quidquid enim corrumpitur, à contrario corrumpitur; sed intelligi non potest, quomodo in intentione qualitatis præcedens qualitas corrumpatur à contrario, cùm qualitas magis intensa non opponatur contrariè qualitati minùs intensę: ergo velut iam antiquata debet repudiari hæc opinio Durandi. Ob hoc Scotus præcitatus dicit, intensionem qualitatis fieri remanente entitate præcedenti illius. Aristoteles verò 1. de generat. tex. 31. innuit augmentum esse præexistenti magnitudini additamentum. Ratio nostræ veritatis potest colligi ex intensionis voce, quandoquidem non benè diceretur intendi qualitas, nisi præexistens qualitas remaneret; si enim qualitas præcedens destrueretur, non rectè diceretur intendi, sed noua produci simpliciter. Hoc confirmat Aug. ad Bonifacium scribens, *charitas meretur augeri vt aucta mereatur, & perfici*; quod idem dici debet de aliis qualitatibus, siue materialibus, siue spiritualibus. Qualitas similiter non deperditur per depurationem à contrario, quia qualitas dum intenditur, perficitur intrinsecè, & non solùm extrinsecè, per remotionem contrarię qualitatis. *Deinde* lux in aere crescit, vbi tamen non habet contrarium, & in Beatissima Virgine nihil erat de peccato, & de cupiditate inordinata, quæ est contraria charitati; attamen eius charitas in dies crescebat, & facta est intensior vsque ad mortem. *Tandem* eques est armatior pedite, tametsi nihil ei sit contrarium: ergo intensio non prouenit per depurationem à contrario. Quod si Aristoteles *5. phys. tex. 29.* dicat qualitates intendi, & remitti per minorem aut maiorem admixtionem contrarii: debet intelligi causaliter, & concomitanter, quatenus vna qualitas habens contrarium non possit intendi, quin re-

remittatur alia; non verò intelligitur in sensu formali, quasi intensio vnius qualitatis sit expulsio qualitatis contrariæ. Hæc conclusio est Scoti, vbi supra.

Dico 12. *Intensionem qualitatis non fieri per maiorem radicationem illius in subiecto*. Sic Scotus loco præcitato contra D. Thomam præallegatum 2. 2. *quæst*. 24. *art*. 4. Sicut enim, inquiunt Thomistę, arbores dicuntur *crescere*, dum maiores agunt radices, & profundiùs terram penetrant; sic qualitas *crescere*, & *intendi* censetur, dum profundiùs penetrat subiectum, & ei firmiùs adhæret. Ratio nostra in contrarium est, quòd si nullus de nouo qualitatis gradus produceretur in subiecto, quando ipsa intenditur qualitas, talis qualitas deberet produci in subiecto secundùm se totam in *instanti*; ita quòd in toto sequenti tempore ignis, ver.gr. nihil produceret in ligno; sed hoc absurdum est dicere, cùm motus ad qualitatem non fiat in *instanti*, sed *successiuè*; ergo falsum est, quòd qualitas intendatur per maiorem radicationem in subiecto; alias ignis desineret agere in subiectum sibi applicatum, quod est contra rationem agentis necessarii. *Deinde* qualitas magis intensa aliquando est minùs radicata in subiecto, quàm qualitas remissa; quoniam rubor ex verecundia ortus, est intensior rubore causato à natura; attamen iste magis radicatur in subiecto, quoniam difficili auferri potest: ergo intensio qualitatis non petitur ex maiori radicatione in subiecto. *Tandem* ipsemet D. Thomas 1. 2. *quæst*. 51. *art*. 2. *ad* 2. dicit subiectum intendi per maiorem participationem formæ, sed non potest intelligi maior formæ participatio, nisi intelligatur multiplicatio graduum talis formę: Ergo non intenditur qualitas per radicationem in subiecto. *Imò* ex metaphora allegata à Thomistis, qualitas intenditur, sicut arbores crescunt, longiores ducendo radices; sed in augmentatione radicum additur gradus quantitatis ad gradum: ergo in intensione qualitatis debet fieri multiplicatio graduum, proindeque non intenditur qualitas per solam radicationem in subiecto.

Dico 13. *Intensionem qualitatis fieri per additionem gradus ad gradum, seu entitatis ad entitatem*. Sic Scotus *in* 1. *dist*. 17. *quæst*. 5. cum turba communi Philosophorum in hoc subscribentium Aristoteli, qui 4. *Phys*. *text*. 85. & 1. *de Generat*. *text*. 31. dicit augmentum effici ex additione nouæ entitatis præexistenti ad-

iun-

iunctæ. Veritas ista colligitur ex experientia communi, qua videmus aquam crescere per additionem nouæ aquæ; quantitatem augeri per accessum nouæ quantitatis; lumen intendi per aduentum noui luminis: ergo qualitas pariter intenditur per æduentum gradus ad gradum. *Deinde* quando agens agit in subiectum affectum qualitate remissa, debet suæ actionis producere terminum; sed non producit qualitatem præexistentem, hoc enim repugnat, ergo producit qualitatem nouam, proindeque intensio qualitatis fit per additionem gradus ad gradum, & entitatis ad entitatem. *Tandem* ipsemet D. Thomas 3.*p. quæst.* 7. *art.* 12. *in corp.* docet hominum viatorum gratiam posse augeri, tum ex parte formæ, quia homines non attingunt summum gratiæ gradum; tum ex parte subiecti, quia nondum peruenerunt ad terminum: ergo ex mente Doctoris Angelici gratia, & quælibet qualitas intenditur per additionem gradus ad gradum. Idem determinat Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 10. *Canone* 24. gratiam augeri per bona opera; quæ verba clarè important latitudinem gratiæ, & cuiuslibet qualitatis. *Dices* ex Arist. 4. *phys. text.* 84. ex calido fieri magis calidum, nullo addito calido in materia. *Resp.* subiectum fieri magis calidum sine additione noui calidi, sed non sine additione noui gradus caloris. *Dices*. Si adderetur gradus ad gradum, adderetur ad actum; proindeque fieret vnum per accidens. *Resp.* Ex tali additione fieri vnum per se, non quòd componatur ex genere, & differentia, aut ex materia, & forma; sed quòd erit vnum per se integrale, sicut plures guttulæ aquæ faciunt vnam aquam vnione integritatis: pariterque vnus totalis calor ex pluribus caloribus minimis.

Dico 14. *Gradus, per quos augetur qualitas, esse homogeneos, seu eiusdem rationis*. Sic ferè cum omnibus Doctor noster *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. & *quæst.* 6. *Report.* contra Suarem, & Durandum negantes formam intendi per gradus similares. Iam diximus hanc esse differentiam inter totum homogeneum, & heterogeneum, quòd illud componatur ex partibus eiusdem rationis, & denominationis, cum omnes partes aquę, & ignis sint, & denominentur aqua, & ignis; illud verò sic compactum ex partibus diuersæ rationis, vt homo ex capite, collo, & cæteris membris, quorum quodlibet in particulari, nec est, nec denominantur homo. Ratio as-

assertionis est, quòd eodem modo ratiocinandum sit de toto integrali qualitatis, sicut de toto integrali substantiæ, & quantitatis; sed partes integrales substantiæ & quantitatis sunt homogeneę, cum partes aquæ, & ignis, sint ignis, & aqua; sicut partes quantitatis continuę sunt quantitas continua: ergo partes, & gradus qualitatis sunt homogenei. *Deinde*: Si secundus gradus per quem augetur qualitas esset perfectior primo, tertius secundo, & sic deinceps; quomodo fieri posset quòd octauus gradus summè perfectus destrueretur à primo, & infimo gradu contrariæ qualitatis, & vltimus gradus aquæ calidæ destrui per primum gradum aquę frigidæ, qui esset longè ignobilior illo. *Tandem* si quis iustus actionem meritoriam de nouo eliciat, gratia illius debet augeri; sed ille gradus gratiæ de nouo superadditus erit eiusdem rationis ac præcedentes: ergo qualitas intenditur per gradus homogeneos. *Dices*. Si gradus intensiui essent similes, qualitas remissa esset eiusdem perfectionis ac qualitas intensa; quia tales gradus per multiplicationem non mutant suam perfectionem. *Resp.* negando hanc sequelam, quia licèt tales gradus non mutent suam perfectionem particularem, mutant tamen perfectionem communem totius integralis, quod componunt.

QVÆSTIO IV.

Quid dicendum sit de Motu Locali.

INter motus naturales vltimum locum tenet ille, qui vocatur *localis*; quia pro termino habet locum ad quem mouetur corpus naturale: hoc non impedit tamen quin sit omnium apparentior, & sensibilior, & ille quem solum admittit Carthesius dicens, composita naturalia non aliter generari aut corrumpi, augeri vel diminui, nec alterari etiam, nisi per motum localem atomorum; ex quibus sibi fingit omnia corpora constitui, per accessum scilicet vel recessum, vel per talem aut talem dispositionem. Iam multa in præcedentibus dicta sunt à nobis de motu locali, qui nihil aliud est quàm *transitus de loco ad locum*; probando scilicet successionem non esse de essentia motus localis, quem diximus posse effici in instanti per potentiam diuinam,

& as-

& assignando rationes quæ faciunt velocitatem motus localis, & propter quas ipse motus localis fit velocior in successu quàm in prrncipio; ac demonstrando denique, vnde oriatur reflexio motus, & vtrùm in puncto reflexionis intercipiatur quies. Superest ergo tantùm, vt dicamus in præsenti quæstione, *quid sit motus localis*, *quotuplex sit*, *& quænam sint ipsius causæ*.

Dico 1. *Quòd motus localis*, quem demonstrat experientia, per quam videmus animalia de loco ad locum transire, quidquid dicat Zeno cum suis; *nihil aliud sit quàm transitus ab vno loco ad alium*. In hac definitione *transitus* tenet locum generis, quia in illo transitu conuenit motus localis cum alijs motibus, qui omnes sunt transitus quidam, vel *à non esse ad esse*; vt generatio; vel *à minori quantitate ad maiorem*, vt augmentatio; vel *à qualitate ad qualitatem*, vt alteratio. Dicitur 2. *ab vno loco ad alium*, quæ particula innuit partem differentiæ motus localis à generatione corporum, quæ licèt transeant ad locum in quo non erant ante productionem, attamen ille tansitus non fit à looo; & propterea generatio non potest dici motus localis. Dicitur 3. *ad alium locum*, & ista particula facit differre motum localem à corruptione, quæ reuerà est transitus à loeo in quo est, non tamen est transitus ad alium locum; sed ad *non esse* illius corporis, quod corrumpitur, & esse desinit. Propter defectum secundæ conditionis, quæ requirit, *vt motus localis sit transitus ab vno loco*; si corpus aliquod de vacuo transferretur ad aliquem locum, talis transitus non esset propriè motus *localis*, & propter defectum secundæ conditionis, quæ exigit ad motum localem, *quod sit transitus ad alium locum*; si aliquis desereret locum, & in vacuum transferretur, non esset motus *localis strictè* sumptus.

Dico 2. *Motum localem diuidi vniuocè in naturalem, violentum, mixtum, & neutrum*. Motus erit *naturalis*, si fiat secundùm inclinationem formæ mobilis; vt quando lapis cadit deorsum, ignis tendit sursum, & homo graditur, sicut, & quodcumque animal. Motus localis *violentus* censetur, si fiat contra naturalem inclinationem rerum quæ mouentur; vt cùm sursum projicitur lapis, vel ignis descendit è cœlo. Motus ille est *mixtus*, qui partim fit à forma naturalis mobilis, & par-

partim à proijcientis impulsu; quando scilicet lapis proijcitur à vertice montis ad imum. *Neuter* denique appellatur motus localis, qui non est contra, nec iuxta inclinationem mobilis, & huiusmodi censetur esse *motus rotæ*, quæ in gyrum voluitur. *Quod diuisio præcedens sit vniuoca*, ex hoc patet quòd motus localis in se consideratus tribuat suis inferioribus prçallegatis eandem rationem sub eodem nomine. Præter motus locales suprà dictos, potest vlteriùs ipsemet diuidi per respectum ad diuersa, & varia subiecta, quæ mouentur; in *progressiuum* scilicet, qui competit animalibus habentibus pedes: in *volatiuum*, qui auibus congruit: in *natatiuum*, qui competit piscibus: ac denique in *reptatiuum*, qui vermibus, & serpentibus adaptatur.

Dico 3. *Causam motus proximè desumi à vi motrice, qua in actum reducitur*. Virtus autem illa motrix, tum in corporibus simpliciter naturalibus, tum in viuentibus, tum in sensitiuis, tum denique in intellectualibus, pro suo principio Deum agnoscit, *In quo viuimus, mouemur, & sumus*. Cum enim vis loco motrix per se tendat ad efficiendam dispositionem quamdam in corporibus, & ad applicanda agentia corporalia proprijs passiuis, illa debet primò, & per se descendere ab eo, cuius est primariò ordinare corpora, illis præesse, vti virtutibus eorum actiuis, illas regere, & applicare ad agendum super passiua propria; sed primò, & per se competit Deo præesse corporibus, illa ordinare, ijs vti, ipsaque applicare ad actionem, cùm *præesse, ordinare, regere, & vti, cognoscenti, & sapienti conueniant*: ergo Deus est primò, & per se fons omnis motus localis ac virtutis loco motricis, quæ est in substantia corporali, & ob hoc diximus quòd Deus sit *primus motor, qui immotus manens dat cuncta moueri*. Primus autem ille motor dedit virtutem hanc motricem vnicuique entium naturalium, conformiter ad illorum naturam; ita quod alia mouentur à forma, vt grauia, & leuia, quæ naturaliter mouentur deorsum, & sursum à seipsis; alia mouentur per imaginationem, vt bruta animantia, quæ naturaliter mouent suum corpus per apprehensionem confusam obiectorum: alia verò se mouent per opus suæ intelligentię, vt homines, quorum anima mouet corpus; vnde dicitur communiter, *quòd corporea substantia moueantur à substantia spirituali*.

Quia non nisi difficilè intelligitur causa, qua moveatur globus è tormento bellico tanto impetu excussus, aut sagitta tantâ celeritate emissa, aut ventus impetuosè aliquando concitatus, aut ferrum attractum à magnete; non immeritò *respondere* potest quòd tales motus refundi debeant in Deum, substantiam illam spiritualem, quæ naturæ, & motus naturalis est conditrix: vnde, non immeritò dicit Goudinus Deum triplicem indidisse corporibus naturalem vim loco motricem, *quarum prima est inclinatiua*, per quam vnaquæque res petit locum sibi proprium, vt lapis centrum; *Secunda dicitur elastica*, quâ res quædam nitûtur repetere debitam suarum partium explicationem aut situationem, & hæc cernitur in arcu inflexo, & in aere nimis compresso: *Tertia nuncupatur sympathica*, quâ res quædam sese adiungunt alijs vel ab illis recedunt. Ex hac triplici causa nascuntur omnes motus locales rerum inanimatarum, itâ quòd lapis per virtutem inclinatiuam deorsum inclinantem remoueat omnia obstacula, quæ suum motum impedire contendunt. Ex virtute elastica procedit, quòd flamma subitò producta ex pyrio puluere inardescente, vt obtineat debitam explicationem, & extensionem suarum partium, obstantem globum pellat cum impetu, & eadem vi elastica arcus excutit sagittam, vt sese in debitum situm restituat; per eandemque virtutem exhalatio sese explicans conuertitur in ventum. Tandem ex vi magnetica fit, quòd ferrum occulto quodam modo immutatum à magnete, vi sua sympathica tendat ad certam dispositionem circa illum.

QVÆSTIO V.

Quid dicendum sit de Actione, quæ est communis ad præcedentes quinque motus.

CVm multa dixerimus in Logica de *actione*, quæ vnum prędicamentum constituit ab alijs diuersum; vt videtur inanis repetitio, pauca tantùm hic subiungemus; nimirum *an actio sit in agente, vel in patiente; an idem possit agere in seipsum, & simile in simile; an actio semper procedat à proportione maioris inæqualitatis*, & denique *an admittenda sit Antiperistasis in actione*.

Dico

Dico 1. *Actionem diuersimodè consideratam esse, & non esse in agente.* Si enim actio sumatur *formaliter* pro forma respectiua, seu pro relatione extrinsecus advenientε transmutantis ad transmutatum, sub qua consideratione actio constituit vnum ex prædicamentis, tunc subiectatur in agente, vt innuit Scotus *in 4. dist. 13. quæst. 3.* In illo enim est relatio, in quo est fundamentum relationis; sed in agente est fundamentum actionis, nempè potentia actiua transmutatiua: ergo actio formaliter sumpta pro relatione in agente subiectatur. Si autem actio sumatur *materialiter* pro actione actu, seu pro termino producto per agentem; tunc aliquando potest dici, quòd actio, seu actionis terminus ab agente exiens recipiatur in patiente: vt calor, qui per calefactionem productus egreditur ab igne, & in ligno recipiatur, à quo ipsum lignum dicitur *calefieri*. Aliquando tamen actio sumpta pro termino producto est etiam in agente, quando nimirum actio est *immanens*; quales sunt actiones intelligendi, volendi, videndi, & similes: intellectio enim, volitio, diuisio productæ recipiuntur, & remanent in intellectu, voluntate, & oculis; vnde propterea dicuntur actiones *immanentes*.

Dico 2. *Nihil posse agere per se in seipsum actione corruptiua, licèt possit agere in seipsum actione perfectiua.* Sic Scotus *in 1. dist. 28. quæst. 3.* Prima pars est Arist. 8. *Phys. cap. 3. text. 43.* & ratio illius est, quòd actio corrumpens sit tantùm inter contraria; sed nulla res secundùm se totam est sibi ipsi contraria: ergo nihil potest agere in seipsum, actione corrumpente; cum nihil seipsum destruere velit: imò tendit quantùm in se est in sui conseruationem, iuxta Paulum ad Ephes. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam*; vnde videmus quòd vnumquodque fugiat quod sibi est contrarium. Quòd si ignis sese extinguat absumendo oleum lampadis, hoc fit per accidens tantùm. *Secunda* pars patet ex hoc, quòd aqua calefacta agat in seipsam; quando se reducit ad natiuum frigus, quod est perfectio naturalis aquæ; Intellectus similiter agit in seipsum, quando producit in se intellectionem sui, aliorumque subiectorum à se: Non est tamen quòd possit dici, idem agere in seipsum, actione *vniuoca*; aliàs gigneret seipsum: benè autem actione *æquiuoca*, producendo scilicet in seipso ali-

quod accidens, quod non participat rationem substantialem producentis: & hoc est quod dicunt alij, *nullum agens creatum agere in seipsum actione substantiali*: licèt hoc faciat continuò agens *Increatum*: quandoquidem Pater diuinus producit semper in seipso Verbum D. substantiale.

Dico 3. *Quòd simile in qualitate & gradu non agit in aliud similis qualitatis & gradùs, benè autem agere potest in aliud, quod est simile in qualitate, & dissimile in gradu qualitatis.* Ratio *primi* est quia *omne agens intendit producere sibi simile*: ergo si inueniat illud iam productum, non aget in ipsum. *Deinde* agens ex Arist. 1. *de Generat. cap.* 7. agit ex victoria quam habet supra passum; sed simile in qualitate & gradu non superat aliud, quoniam vtrumque supponitur æquale: ergo vnum non potest agere super aliud simile in qualitate & gradu. *Tandem* si agens omnino simile ageret in sibi simile, ab eo repateretur; sed simile non potest repati à simili, quia passio non potest esse, nisi à contrario: ergo simile nequit agere in aliud similis qualitatis & gradus. Ratio *secundi* est quòd *agens conetur assimilare sibi passum quantùm potest, & passum perficere sicut est agens*; sed simile in qualitate & dissimile in gradu potest sibi assimilare illud, & ipsum reddere perfectum: ergo simile potest agere in id quod est similis qualitatis, & dissimilis gradus. Videmus enim per experientiam, quòd manus calefacta à calore solis, magis calefieri possit à calore ignis, qui est intensior; & sic simile agit in simile, si similitudo se teneat tantùm ex parte qualitatis, & non ex parte gradus. *Si dicatur in primum.* idem agere in seipsum, quando qualitas per Antiperistasim suas vires auget, & seipsam roborat. *Resp.* In Antiperistasi non augeri qualitatem, sed solùm vniri & ex vnione ipsam fieri actiuiorem. *Dices in secundum*, manus æqualiter calidas sese calefacere mutuò; & proinde simile agere in simile. *Resp.* Vnam non posse alteri maiorem calorem dare, quia *nemo dat quod non habet*; vnde si inuicem iunctæ faciliùs retineant calorem, quàm si essent separatæ: hoc ideo fit, quia faciliùs resistunt agentibus frigefactiuis.

Dico 4. *Licèt ex similibus in qualitate & in gradu vnum sit densius altero, non tamen vnum potest agere in aliud.* Quia vnum agens eatenus tantùm agit in aliud, vt possit illud sibi assimilare; sed cùm duo

agen-

agentia sunt similia in *qualitate* & in *gradu*, neutrum nititur sibi assimilare alterum, etiamsi differant penes densitatem materiæ, quam nullatenus affectant, cùm ferrum calidum non contendat producere densitatem in aere, sed tantùm calorem: ergo quod est simile in qualitate & gradu non agit in sibi simile, etiamsi densiori materia constet. *Dices*. Densitas iuuat ad agendum: ergo simile potest agere in simile; si sit densius illo; & proinde ferrum calidum vt quatuor poterit calefacere aquam calidam vt quatuor. *Resp.* Densitatem iuuare quidem ad velociùs & constantiùs agendum, non verò ad agendum efficaciùs; quia non est qualitas actiua; vnde ferrum densum vt quatuor non calefaciet aquam calidam vt quatuor: non enim potest illi dare calorem *vt quatuor*, quia iam illum habet; nec calorem, *vt quinque*, quia *nemo dat quod non habet*. Quòd si ferrum illud possit producere ignem, quem non poterit producere illa aqua; hoc non procedit ex densitate ferri, sed ex hoc quòd in poris ferri candentis existant particulæ ignis; vt patet ex eruptione illarum, cùm malleo tunditur.

Obijcies Radios solis conglobatos & addensatos in speculo caustico, seu vstorio, comburere; quod non faciunt in aere dissipati: ergo densitas iuuat ad agendum simpliciter, contra id quod prædictum est; & proinde simile potest agere in simile, si sit densius. *Resp.* Radios in speculo caustico non esse densiores quàm sunt in aere, sed tantùm intensiores; quia sunt magis vniti, *& virtus vnita est maior seipsa dispersa*: cùm enim lux non sit corpus, sed qualitas; propriè non addensatur, sed intenditur. Ratio autem cur lux intendatur in speculo caustico, tantasque vires acquirat, vt eximium illud speculum causticum in Bibliotheca regia Parisijs existens, nedum ligna inflammet, sed etiam solidissima metalla dissoluat, coctosque lateres in vitreum fluorem colliquefaciat; non alia videtur quam quòd sol agat iuxta dispositionem subiecti & medij, à quibus eius actio dependet: beneficio autem speculi caustici fit, vt focus speculi, seu centrum illius, meliùs sit dispositus ad receptionem radiorum solis; ideoque nil mirum si fortiùs illuminetur. Hæc autem melior dispositio in hoc consistit, quod focus ille seu centrum speculi pluribus vijs ac modis collustret à sole. Sol enim illuminat speculum illum secundum lineam

rectam, ita tamen, vt cùm radij eius per vitrum conuexum traijciuntur, refrangantur, seu paulisper ferantur motu obliquo à circumferentiâ ad centrum: vnde focus ille pluribus modis illuminatur per radios solis sibi inuicem vnitos, & fortissima illuminatio illa in causa est, cur beneficio talis speculi ligna illi exposita inflammentur, & in liquorem resoluantur metalla.

Dico 5. *Actionem semper procedere à proportione maioris inæqualitatis*, seu, vt magis explicetur propositio; *ad hoc vt agens agat, actiuitas agentis debet esse maior resistentia passi*. Quando enim agens & patiens comparantur, si actiuitas vnius sit maior resistentiâ alterius, ista comparatio vocatur *proportio maioris inæqualitatis*; si verò actiuitas vnius est minor resistentiâ alterius, hæc comparatio nuncupatur *proportio minoris inæqualitatis*; sed vt agens agat efficaciter, debet esse maior actiuitas agentis, quàm resistentia passi, aliàs agens quod non vinceret passum non haberet effectum suæ actionis in illo: ergo actio semper procedit à proportione maioris inæqualitatis. Si enim mœnia arcis talem haberent resistentiam, qualem actiuitatem haberent ictus bombardarum, mœnia illa nunquam læderentur, illorum enim destructio procedit ex minori resistentia. *Dices*. Gutta aquæ durissimum lapidem cauat, & funis scindit putei viuos lapides, quos cauare videtur: sed maior est resistentia lapidis, quàm actiuitas guttarum aquæ & funis: ergo actio non semper procedit à proportione maioris inæqualitatis. *Resp*. cum Doctore *in* 2. *dist*. 2. *quæst*. 9. primam guttam aquæ, aut secundam, aut tertiam, non cauare lapidem, sed multas simul ad cauationem disponere lapidem, paulatim mollificando illum, & tandem vltima in virtute præcedentium lapidem cauat: non quòd sit actiuior alijs, sed quia lapis *ad cauari* dispositus minùs resistit: quod idem dicendum est de fune, quæ lapidem scindit per continuam actionem. Resistentia quæ nihil aliud est quàm obstaculum actiuum aut passiuum quo patiens impedit ne agens agat in ipsum passum, cognosci potest ex eo quòd res sit dura & densa: *omne* enim *durum & densum resistit corrumpenti*, vt patet de ferro: sicut *rarũ & molle non resistit*, vt videre est de cera, quæ licèt non destruatur quantùm ad entitatem, cessat tamen de facili quantùm ad figuram in seipsa impressam.

Dico

Dico 6. *Dari reactionem & passionem* ex Scoto *in 1. dist. 17. quaest. 3.* Actio enim est quaedam victoria, per quam agens frangit & superat actionem patientis; sed in tali conflictu agentis & patientis agens repatitur à passo: ergo reactio & repassio admitti debent. *Deinde* datur elementorum mixtio ad faciendum compositum; sed in mixtione debent alterari elementa, & alteratio non fit nisi per reactionem, quatenus scilicet elementum temperatur per reactionem sui contrarij, quae facit vt qualitates non sint in summo, sed in mediocritates; ergo reactio & repassio concedi debent. *Tandem* experientia docet, quòd nix à manu compressa frigefaciat manum & calefiat ab ipsa manu; aqua frigida prunis ardentibus iniecta eas extinguit quidem, sed ab illis repatitur, in quantùm calefit & soluitur in vapores; ferrum candens proiectum in aquam frigidam, eam calefacit, & calor ferri remittitur per frigiditatem aquae: & sic non rectè inficiantur reactionem illi quos recitat noster Fauentinus *theor. 43. cap. 4:* Reactio autem nihil aliud est, quàm *actio reciproca*, seu actio passi qua passum agit in agens. *Dices.* Si per reactionem passum agat in agens, virtus agentis minuetur per actionem patientis; & sic non poterit agens sibi assimilare passum, quod tamen est finis agentis. *Resp.* per reactionem reuerà minui virtutem agentis, sed non est necesse vt agens assimilet sibi passum quoad omnes gradus, quos continebat antequam ageret; sed sufficit quòd illud sibi assimilet secundùm gradus illos quos habet dum operatur. *Dices.* Astra agunt in haec inferiora, à quibus nihil patiuntur; similiterque ignis comburit stuppam, attamen nihil patitur ab illa. *Resp.* Astra non repati à sublunaribus, tum quia maxime distant ab illis: tum quia non sunt capacia qualitatum sublunarium. Quoad stuppam, si proijceretur in ignem, illum paulisper extingueret secundùm partes viciniores; licèt statim victa consumeretur.

Tres praesertim conditiones requiruntur vt agens agendo in passum repatiatur ab illo. Prima est *quod agens & passum contrarijs afficiantur qualitatibus*, quales sunt calor & frigus; vnde vinum agit in aquam sibi infusam per suum calorem, & ab ea repatitur, ob frigiditatem aquae. Secunda conditio est *vt agens & passum sint capacia vtriusque qualitatis*; vnde inter spiritualia non daretur reactio, quia non possunt recipere

qua-

qualitates elementorum, quæ sunt causa actionis. Tertia conditio est *quod vt resultet reactio, agens & patiens sint intra sphæram suæ actiuitatis*; & ideo cùm passum est in nimia distantia, vel est valdè debile, non resurgit reactio. Quando autem triplex illa conditio reperitur inter agens & passum, tunc semper admittitur reactio, vt docet Doctor noster *in 2. dist. 44. quæst. 1.*

Dices. Si daretur actio reciproca passi agens, vnum & idem esset simul fortius & imbecillius; fortius, inquam, quatenus ageret, & agens non agit nisi ex prædominio in passum, inquit Philosophus *lib. de Motu animalium*: imbecillius verò, quatenus repareretur: sed hoc dicere absurdum est: ergo non datur reactio.

Resp. Vnum & idem esse simul fortius & imbecillius diuerso respectu, fortius siquidem in agendo, & infirmius in resistendo; non verò potest eodem respectu esse simul fortius & debilius: quotiescumque ergo agens agendo repatitur, agens est in agendo fortius, & in resistendo debilius.

Dico 7. *Qualitatem agentis & patientis intendi per Antiperistasim*, quæ est nomen græcum, quod latinè significat obsidionem, seu circum obsistentiam contrarij, per quam corpus obsessum euadit potentius ad retundendas contrarij vires. Antiperistasim negat Galenus *lib. 3. de Facult. simpl. medic. cap. 7.* vbi scribit, *quòd si aqua videatur æstate frigidior, & calidior hyeme; hoc procedit ex falsa apprehensione intellectus nostri, qui iudicat aquam esse frigidiorem æstate, quia tangitur manibus calidis, licèt à parte rei sit æqualiter frigida*. Contrarium probant Aristoteles, Hippocrates, & reliqui philosophi per multas experientias; & præsertim per hoc, quòd aqua putei hyeme sit calidior, quàm æstate; quia scilicet exhalationes calidæ, quæ superfuerunt in terra, per recessum solis & hyemis aduentum, occludantur à frigore, quod viget in superioribus partibus terræ: ex opposito aqua putei æstate est frigidior quàm hyeme; quia frigiditas terræ circumobsidetur à calore, qui tunc æstuat super terram: & sic frigus remanens in terræ visceribus facit, vt aqua sit calidior hyeme, quàm æstate. *Deinde*, propter Antiperistasim venter animalium est hyeme calidior; vnde Hippocrates aphoris. 15. dicit, *quòd hyems iuuet digestionem, quam æstas eneruat*; & ob hanc rationem Septentrionales nationes sunt voraciores ciborum, &

me-

meridionales parciores notabiliter. *Tandem* ex Antiperistasi procedit, quòd media aeris regio frigidior fit æstate, vt testantur grandines, quæ gignuntur tunc temporis; quod aliunde non prouenit, quàm ex calore infimæ regionis, quæ tunc calida est; & proinde per antiperistasim, seu per pugnam contrariorum, auget frigiditatem mediæ regionis.

Hic notari debet, quòd res omnes taliter à natura conditæ sint, vt nedum per antiperistasim resistant suis contrariis; sed etiam quando opprimuntur & versantur in extremis, tunc facto conatu quidquid habent virium excitant & impendunt. Sic videmus candelarum flammas in fine suo existentes, & ad suæ extinctionis vigiliam per breuissimum aliquod tempus augeri; quasi vehementiùs aduersus mortem suam colluctari tentent. Experimur pariter ignem frigidissimis diebus acriorem esse; calorem naturalem humoribus oppressum in animalium corporibus irritari & fieri vehementiorem; indeque nascitur *febris, quæ nihil aliud est, quàm calor naturalis irritatus, & vehementiùs accensus ad debellandum humorem noxium*. Ex his omnibus apparet manifestè dari antiperistasim in qualitatibus, quidquid dicant Cardanus 2. de subtilitat. versus finem, & Galenus loco citato. Ad hoc quod ille dicit falsò iudicare sensus, *aquam esse frigidiorem æstate*; loquitur contra experientiam: quià cum maiorem illam frigiditatem experiamur tempore æstatis, quàm hyemali; pugnat etiam contra rationem, cùm hyeme videamus aquas fontales exhalare fumum, qui calorem aquæ denotat in illo tempore.

Finis primæ partis Physicæ.

